CHRONOLOGIA PONTIFICUM

Benoît Audran, François Carrière

Digitized by Google

9
13-c
19

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
7 H A
13

9 — [redacted]

Digitized by Goo

111 b 39

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA CHRONOLOGICA PONTIFICUM ROMANORUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R. P. F. FRANCISCI CARRIERE
Aptenſis Minoritæ Convent. D. Theolog. cùm præſignatione futurorum ex S. Malachia.

HUIC ULTIMÆ EDITIONI ACCESSIT Continuatio ejuſdem Hiſtoriæ Chron. ab Alexandro VII. uſque ad Innocentium XII. feliciter ſedentem: Auctore Religioſo ejuſdem Ordinis.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

LUGDUNI,
Apud { JOANNEM THIOLY. & ANTONIUM BOUDET. } in vico Mercatorio.

M. DC. XCIV.
Cum Approbatione & Privilegio Regis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Carthuſiæ Romanæ

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISS. ECCLESIÆ PRINCIPI

MODESTO DES ARTS,

EPISCOPO APTENSI

ET PRINCIPI.

QUOD duo ex celebrioribus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Pontifices Urbanus V. & Greg. XI. anno 1635. & die 22. Octobris magno cum Eminentiſſimorum Cardinalium, Dynaſtarum & Magnatum comitatu Aptam Civitatem convenerint venerabundi ſacra lypſana beatorum Comitum in matrimonio virginum Eleazarij & conſortis eius Delphinæ in præfatæ Civitatis conventu Minoritam quieſcentium movit me ejuſdē Conventu alumnum plenam & planam Romanorum Pontificum *Chronologiam retexere, ut qui è ſummo vertice pietatis fulgor illuxerat, noſtræ repercuſſus irradiaret ætati quam nuperrimè anno 1660. & die 18. Martij novo perſtrinxit lumine Regia & planè mirabilis devotio Chriſtianiſſimo Francorum Reginæ Annæ Auſtriacæ, qua voti cauſa eandem Seraphicam viſitans Eccleſiam incredibili comitate & dignatione congratulatorios ſervitutis meæ ſuſcepit applauſus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Utinam (Præſul illuſtriſſime) *pari humanitate & benevolentiâ hanc quam gloriæ tuæ patrocinio ſubmitto Hiſtoriam Pontificiam admittas, nihil enim jamdudum mihi fuit antiquius, quàm ut quæſito meæ in Te obſervantiæ & reverentiæ pignore devotam tibi mentem poſteritati condigno teſtarer monimento. Sed quid Epiſc. Aptenſi & Principi digniori inter digniſſimos, meliori inter optimos, majori inter maximos, nobiliori inter nobiliſſimos offerri poterat condignum & amplitudinis affinitate cognatum? Certè hæc ſola ſummorum* Pontificum *Vita & Prophetia de futuris opportunè occurrit, quæ ex præfixo illuſtriſſimi tui nominis, & dignitatis caractere Zoilorum obtrectationes ſupergrediens, Galliam cæteráſque Europæ oras incolumis gratáque Lectoribus ad futura uſque ſæcula Deo annuente percurret ut in eodem confidit.*

Celſitudinis veſtræ.

Obſequentiſſimus & humillimus
in Chriſto ſervus,

Fr. F. C. M. A.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

DAmus (Amice Lector) ſummariam non incommodè deferendam, & ambulando ſi lubet pervolvendam (ut communi voto expetebatur) Chronologiam ſummorum Pontificum: hanc digeſto noſtro fidei jam pridem adjunximus pro coronide xxxvii. articuli qui eſt de Romano Pontifice, eique depromenda obedientia quæ & cum ſpecialibus Approbationibus venundatur in folio. At ex uſu publico fore commodiori perſuaſi ſumus, ſi eam darem quaſi ad manum breviuſculo volumine in duodecim, ut vocant Bibliopolæ, exaratam. Ne autem actum agerem, illam quàm potui diligentia excuſſi, & ex ſelectioribus Hiſtoriographis ampliavi, curavíque ſoleter ne quid omitterem in quo hærere poſſet Lectoris curſus & cognoſcendæ veritatis aviditas; quò autem curioſitati plurimorum ſatisfacerem, ſubjunxi quæ circumfertur ex Sancto Malachia Archiepiſcopo Hyberno, Prophetiam de futuris uſq; ad finem ſæculi Romanis Pontificibus; minus fortaſſe eam probando quàm vellent qui aſſerunt ſatius eſſe errare cum pluribus, quàm à ſe ſolo ſtare. Sed (niſi mea me fallit opinio) negativa quinque argumenta quæ præfixi, ſi ad pondus Sanctuarij trutinentur Lectorem ad me trahent, qui ſaltem ignoſcet, ſi candidum attulerit animum, cùm mei candorem ſtudiúmque cognoverit. Vale.

TABULA
SUMMORUM PONTIFICUM,
ordine Alphabetico.

Cum anno Chriſti quo ſedere cœperunt, & ſchiſmatum Conciliorúmque notatione.

A

ADrianus I.	772
Adrian. II.	867
Adri. III.	884
Adrianus IV.	1154
Adrianus V.	1276
Adrianus VI.	1521
Agatho.	678
Agapitus I.	535
Agapitus 2.	946
Alexander I.	121
Alexander II.	1061
Alexander III.	1159
Alexander IV.	1254
Alexander V.	1409
Alexander VI.	1492
Alexander VII.	1655
Alexander VIII.	1689
Anacletus.	103
Anaſtaſius I.	398
Anaſtaſius 2I.	496
Anaſtaſius 3.	910
Anaſtaſius IV.	1153
Anicetus.	167
Anterus.	237

B

Benedictus I.	573
Benedictus 2.	684
Benedictus 3.	855
Benedictus IV.	905
Benedictus V.	964
Benedictus VI.	972
Benedictus VII.	975
Benedictus VIII.	1012
Benedictus IX.	1033
Benedictus X.	1058
Benedictus XI.	1303
Benedictus XII.	1334
Bonifacius I.	419
Bonifacius II.	530
Bonifacius III.	606
Bonifacius IV.	607
Bonifacius V.	617
Bonifacius VI.	895
Bonifacius VII.	974

Digitized by Google

Bonifacius VIII.	1294
Bonifacius IX.	1389
C	
Caius.	283
Caliſtus I.	221
Caliſtus II.	1119
Caliſtus III.	1455
Cæleſtinus I.	423
Cæleſtinus II.	1143
Cæleſtinus III.	1191
Cæleſtinus IV.	1241
Cæleſtinus V.	1294
Clemens I.	93
Clemens II.	1046
Clemens III.	1188
Clemens IV.	1265
Clemens V.	1305
Clemens VI.	1342
Clemens VII.	1523
Clemens VIII.	1592
Clemens IX.	1667
Clemens X.	1669
Cletus.	80
Conon.	686
Cornelius.	253
Conſtantinus.	708
Chriſtophanus.	907
D	
Damaſus I.	367
Damaſus II.	1048
Deus dedit.	614
Deo datus.	669
Dionyſius.	251
Donus I.	676
Donus II.	972
E	
Eleutherius.	179
Evariſtus.	112
Eugenius I.	654
Eugenius II.	824
Eugenius 3.	1145
Eugenius IV.	1431
Euſebius.	309
Eutichianuss	275
F	
Fabianus.	238
Felix I.	272
Felix II.	357
Felix 3.	483
Felix iv.	526
Formoſus.	891
G	
Gelaſius I.	492
Gelaſius II.	1118
Gregorius I.	590
Gregorius 2.	714
Gregorius 3.	731
Gregorius IV.	827
Gregorius V.	996
Gregorius VI.	1044
Gregorius VII.	1073
Gregorius VIII.	1187
Gregorius IX.	1227
Gregorius X.	1271
Gregorius XI.	1370
Gregorius XII.	1376
Gregorius XIII.	1572
Gregorius XIV.	1590

Digitized by Google

T A B U L A.

Gregorius xv. 1621
H
Higinus. 154
Hilarius. 461
I
Innocentius I. 402
Innocentius II. 1130
Innocentius III. 1198
Innocentius IV. 1243
Innocentius V. 1276
Innocentius VI. 1352
Innocentius VII. 1444
Innocentius VIII. 1484
Innocentius IX. 1591
Innocentius X. 1645
Innocentius XI. 1676
Innocentius XII. 1691
Ioannes I. 323
Ioannes II. 331
Ioannes III. 559
Ioannes IV. 638
Ioannes V. 685
Ioannes VI. 701
Ioannes VII. 705
Ioannes VIII. 871
Ioannes IX. 901
Ioannes X. 913
Ioannes XI. 931
Ioannes XII. 956
Ioannes XIII. 965
Ioannes XIV. 984
Ioannes XV. 985
Ioannes XVI. 996
Ioannes XVII. 1003
Ioannes XVIII. 1003
Ioannes XIX. 1124
Ioannes XX. 1276
Ioannes XXI. 1316
Ioannes XXII. 1410
Ioannes XXXIII. 1410
Iulius I. 336
Iulius II. 1503
Iulius III. 1550
L
Lando. 912
Leo I. 440
Leo II. 683
Leo III. 795
Leo IV. 847
Leo V. 907
Leo VI. 928
Leo VII. 936
Leo VIII. 963
Leo IX. 1049
Leo X. 1513
Leo XI. 1605
Liberius. 352
Linus. 69
Lucius I. 255
Lucius 2. 1144
Lucius 3. 1181
M
Marcellin. 296
Marcellus I. 304
Marcellus 2. 1555
Marcus. 336
Martinus I. 649
Martinus 2. 889

Digitized by Google

Martinus 3.	1417
Martinus 4.	1281
Martinus 5.	1417
N	
Nicolaus 1.	858
Ninolaus 2.	1059
Nicolaus 3.	1277
Nicolaus 4.	1288
Nicolaus 5.	1447
O	
Oormiſda.	514
Onorius 1.	626
Onorius 2.	1124
Onorius 3.	1216
Onorius 4.	1285
P	
Paulus 1.	754
Paulus 2.	1464
Paulus 3.	1534
Paulus 4.	1555
Paulus 5.	1605
Paſchalis 1.	817
Paſchalis 2.	1099
Pelagius 1.	555
Pelagius 2.	977
PETRUS	45
Pius 1.	158
Pius 2.	1458
Pius 3.	1503
Pius 4.	1559
Pius 5.	1566
Pontianus.	223
R	
Romanus.	900
S	
Sabinianus.	604
Sergius 1.	687
Sergius 2.	844
Sergius 3.	907
Sergius 4.	1009
Severinus.	639
Silveſter 1.	314
Silveſter 2.	998
Silverius.	535
Simachus.	498
Simplicius.	467
Siricius.	385
Siſinius.	708
Sixtus 1.	132
Sixtus 2.	260
Sixtus 3.	432
Sixtus 4.	471
Sixtus 5.	1585
Soterus.	175
Stephanus 1.	257
Stephanus 2.	752
Stephanus 3.	752
Stephanus 4.	768
Stephanus 5.	816
Stephanus 6.	885
Stephanus 7.	897
Stephanus 8.	929
Stephanus 9.	939
Stephanus x.	1057
T	
Teleſphorus.	142
Theodorus 1.	641
Theodorus 2.	901

Digitized by Google

TABULA.

V			
Valentinus.	827	Urbanus IV.	1261
Vigilius.	540	Urbanus V.	1362
Vitalianus.	655	Urbanus VI,	1378
Victor 1	194	Urbanus VII.	1590
Victor 2.	1054	Urbanus VIII.	1623
Victor 3.	1086	**Z**	
Urbanus I.	226	Zephirinus.	198
Urbanus II.	1088	Zacharias.	741
Urbanus III.	1185	Zoſimus.	416

Pontifices indiſcriminatim è diverſis mundi Provinciis electi.

Palæſtini.	2	Saxones.	2
Græci.	11	Anglus.	1
Itali.	68	Hollandus.	1
Romani.	102	Benedictini.	31
Galli.	15	Eremitæ.	2
Hiſpani.	3	Dominicani.	3
Africani.	2	Franciſcani.	6
Germani.	4		

Extrait du Privilege du Roy.

PAr lettres patentes du Roy données à Verſailles le 27. Aouſt 1693. ſignées GAMART; il eſt permis à JEAN THIOLY, Marchand Libraire, de faire imprimer, vendre & debiter un Livre intitulé *Chronologia Pontificum R.P.F. Franciſci Carriere, cum continuat. ejuſdem Hiſtoria uſque ad Innocentium XII.* pendant le temps de ſix années à commencer depuis le jour que ledit livre ſera achevé d'imprimer. Avec deffences à toutes perſonnes de l'imprimer vendre & debiter à peine de quinze cens Livres d'amende confiſcation des exemplaires & de tous dépens dommages & intereſts, comme il eſt plus au long par leſdites lettres.

Regiſtré ſur le livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris le 10. *Septembre* 1693.

Signé AUBOUIN. Sindic.

Achevé d'imprimer le 8. *Avril.* 1694.

Digitized by Google

ubſequentia Symbola vſque ad finẽ mundi.

F Lores circumdati.
. De bona Religione.
Iiles in bello.
:olumna excelſa,
.nimal rurale.
.oſa umbriæ.
'rſus velox.
eregrinus Apoſtolicus.
.quila rapax.
:anis & coluber.
'ir Religioſus.
)e balneis Etruriæ.
:rux de Cruce.
.umen in Cœlo.
gnis ardens.
.eligio depopulata.
'ides intrepida.
aſtor Angelicus.
aſtor & Nauta.
los florum.
)e medietate Lunæ.
)e labore Solis. Gloria Olivæ.

In perſecutione extrema S.R.E. *ſedebit Pe-rus Roma qui paſcet oves in multis tribu-ationibus quibus tranſactis Civitas ſepti-ollis diruetur, & Iudex tremendus judica-it populum ſuum.*

iumma III. De quibus ſymbola præſignavit S.Malachias, è quibus 29. futuri reſtant.

Hanc Chronologiam omnino ſubjicio S.R.Ec-cleſiæ, & pedibus S.D.N. Innocentij XII.

FINIS.

Digitized by Google

PERMISSIO.

FR. ANTONIUS PAGI Are.. & ſacræ Theologiæ Doctor in Provincia S. Ludovici Fr. Minorum Convent. Miniſter Provincialis & Commiſſarius Generalis, R.P.F. FRANCISCO CARRIERE ejuſdem Provinciæ Diffinitori perpetuo Pœnitentiario Apoſtolico, Regiſque Chriſtianiſſimi Concionatori.

Cùm jamdudum Typis mandaveris *Digeſtum fidei Catholicæ*, cum ſupplemento *Chronologiæ Papalis*, quam ſub commodiori volumine contractam expeti vox ſit publica. Præſentium tenore tibi eam in novā contrahere formam noviſque additionibus amplificare, & quovis meliori modo perficere cōcedimus. Datū Arelatij die 26. Maij 1663.

Fr. ANTONIUS PAGI
Provincialis & Commiſſarius
Generalis.

Fr. NICOLAUS DE VADE
Secretarius Provinciæ.

Approbatio Doctorum.

R. P.F. Franciſci Carriere *Hiſtoriam Chronologicam Pontificum Romanorum* legimus, nos infra ſcripti Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi, nihilque in ea deprehendimus quod veræ fidei ac probis moribus non ſit conſonum. Actum Lugduni die ſexta Septembris. 1663.

F. CYRILUS MOREL
Carmeli Lugdunenſis Prior.

F. ELIAS VIAL.

Digitized by Google

HISTORIA CHRONOLOGICA

Pontificum Romanorum.

Anno ab orbe condito 4022.

JESUS-CHRISTUS Deus homo natus eſt ſecundum carnem ex Virgine Maria, die vigeſimaquinta Decembris, anno mundi (ut vulgaris habet ſupputatio) notántque Pererius lib. 2. in Daniel. quæſt. 5. & Apparatus Annalium §. 118. Olympiadis 194. anno 2. à Roma condita 751. Octavij Auguſti ab inito Triumviratu 41. à nece Julij Cæſaris 42. Herodis regis 29. inchoato anno. Mortuus eſt autem & crucifixus ætatis ſuæ anno 34. à tribus menſibus inito, ut ſcribit S. Ignatius

Digitized by Google

ad Trallianos, & apertè docuit Beda lib. de Ratione temporum, c. 45. Tiberij Imperatoris anno 18. Ipſe Dominus & Redemptor noſter, & Summus Pontifex qui ſeipſum in holocauſtum Deo Patri offerens in ara Crucis legalium differentiam hoſtiarum unius perfectione ſacrificij conſummavit, quod pridie quam pateretur in antitypo & Euchariſtico ſub ſpeciebus panis & vini incruentè ſecundùm ordinem Melchiſedech pro remiſſione peccatorum inſtituerat; Sacerdotij & Pontificatus ſui participes ordinans Apoſtolos ſuos ſub his verbis, *Hoc facite*, quibus & toti Eccleſiæ, Petrum collatis clavibus præfecit, non ut ſui ſucceſſorem (cum nullum habeat utpote qui ſemper jam vivat) ſed ut Vicarium & Summum Paſtorem, ſeu Epiſcopum, qui poſſit in terris quodcunque ligare & ſolvere, & dominicum ovile plenipotentialiter paſcere, id eſt regere & gubernare.

Digitized by Google

Petri itaque & Succeſſorum ejus geſta, quæ ad illuſtrationem Tractatus de Pontifice, & ad compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ concurrunt, ſummariè hic habe, Benevole Lector, *eaque juxta calculum Baronij.*

PETRUS APOSTOLUS PONTIFEX I. Petrus Galilæus à Betſaïda promiſſam à Chriſto Math. 16. univerſalis Eccleſiæ præfecturam ſub Metaphora claviũ, *& tibi dabo claves regni cœlorum*, ſuſcepit poſt ejus reſurrectionem, cum ad maris Tiberiadis littus ter à Domino interrogatus de ſingulari dilectione, *Simon Ioannis diligis me plus his*; audivit coram ſex ejus ſociis qui cum eo piſcari venerãt: *Paſce agnos meos. Paſce agnos meos. Paſce oves meas*, quo verbo *paſce* includitur omnis actus juriſdictionis qui ad claudendum vel aperiendum regnum cœlorum conferre poteſt, ut hoc modo donatio ſit æqualis promiſſioni. Itaque Petrus tenuit Primatum Apoſtolicum ab anno Chriſti 34. uſque ad 70. id eſt 36 annis, menſibus 5. diebus 12. ſcilicet Hyeroſolimis annis quinque, Antiochiæ ſeptem, initis anno Chriſti 39. & Romæ 24. menſibus 5. diebus 12. ſic famoſiores habent Chronologi. Petrum enim fundaſſe Eccleſiam Antiochenam, atque in eadem ſediſſe Epiſcopum anno Chriſti 39. Caij

ANNO CHRISTI 44.

Digitized by Google

Imperatoris anno primo conſtat traditione Majorum, & authoritate Conciliorum, nec non ipſius inſtitutionis anniverſaria celebritate ſolita fieri olim in Eccleſia Catholica die 22. Februarij.

Notandum autem non ita rudè intelligendum ſediſſe Petrum Antiochiæ, ut nunquam per illud tempus receſſerit Antiochia, qui univerſæ Eccleſiæ proſpicere tenebatur, ſed quòd donec alia ab eo ſedes nempe Romana (quam maximam omnium eſſe voluit) eſſet erecta, dictus eſt Epiſcopus Antiochenus, inde verò Romanus Epiſcopus ſit appellatus.

Non eſt autem dictus Epiſcopus Hieroſolymitanus, quia ipſe unà cum Joanne & Jacobo fratre ejus, id eſt Zebedæo, præfecit Hieroſolymorum Eccleſiæ Jacobum Alphæi ſeu Majorem dictum & fratrem Domini, hoc eſt conſobrinum, qui primus Apoſtolorum ab Herode Agrippa occiſus fuit, Act. 12. idque per impoſitionem manuum & ordinationem, quæ uſitato jam vocabulo dicitur *conſecratio.*

Anno Chriſti 44. Petrus Romam venit ut Simonem Magum populo ſuis magiis illudentem expugnaret, qui divinos ſibi magicis artibus comparaverat honores, & Statuam ex Senatus-Conſulto à Claudio Imp. erectam in inſula Tiberina cum hac inſcriptione SIMONI DEO SANCTO, ut aſſerunt Juſtinus Ireneus, Tertull. & poſt eos Euſebius qui & ipſe æquè ac Hieronymus aſſerit Petrum Apoſtolum à Deo quaſi ma-

Digitized by Google

nu Romam deductum ad ejuſmodi Simonis Magi peſtiferam corruptelam delendam.

Excipitur Petrus à Pudente Senatore, qui cum familia ſua Chriſto credidit, cujus domum in Eccleſiam converſam, Paſtoris Titulum dixêre Chriſtiani ibi audientes Petrum, qui poſt aliquot menſes ab adventu ſuo peractos cum Judæis incolentibus trans-Tiberim, Romanam Eccleſiam omnium totius orbis principem inſtituit, ac Sede Pontificia decoravit anno Chriſti 45. Claudij Imp. anno tertio, decimoquinto Calendas Februarij, ſeu 18. Januarij ut in tantæ rei memoriam anniverſariâ ſolemnitate recolit univerſa Eccleſia; aſſervatur hactenus in Baſilica Vaticana ipſa ſedes Petri lignea Cathedra quàm plurimis ſemper illuſtrata miraculis.

Quia autem Petrus Apoſtolorum Princeps & caput, ſedem fixit, cathedramque ſibi conſtituit in Romana Eccleſia quam nō minavit, ſed proprio ſanguine & morte conſecravit, ideo Romana Eccleſia primatum Petri hæreditavit, *& mater & radix omnium Eccleſiarum totius orbis*, ut eam vocat S. Cyprian. Epiſt. 45. meritò dicitur, cujus eſt alias in fide confirmare, utpote quæ portas inferi ſeu hæreſes non timeat, ob ſingularem Dei aſſiſtentiam, quam Chriſtus oratione ſua Petro, ejuſque ſucceſſoribus impetravit: Ne dicas Primatum dignitatis Pontificalis datum eſſe perſonæ Petri, conſequenter privilegium hoc eſſe perſonale?

Quod ſi ſedes ejus ab ipſo Petro mutuatur, jam ergo ſedes Antiochiæ habebit, ſemel autem conceſſum non poteſt auferri, etiamſi Petrus inde recedat & alibi moriatur. Reſpondeo ſiquidem Primatum eſſe perſonale privilegium Petri, non privatum, ſed publicum, id eſt datum,non tantùm pro ipſo, ſed & pro ſuis ſucceſſoribus, & ex ipſo facto Petri factum eſſe locale, ſeu Romanum: ita ut quamdiu Petri ſucceſſores retinent Romæ ſedem, ſuccedant & Primatui Petri.

Hinc fideles qui *Chriſtiani* nomen ſortiti ſunt Antiochiæ anno Chriſti 43. (& poſtea ab ipſis Apoſtolis *Catholici* cognominati fuere, ut ea diſcriminatione diſtinguerentur ab Hæreticis, qui Chriſtianos ſe dicebant (quod primò feciſſe Carpocratianos author eſt S Epiphan. hæreſ. 27. quare vera Dei Eccleſia cognominata eſt in Symbolo quod Apoſtoli ediderunt *Catholica*) à communione fidei quam habent cum ſucceſſore Petri Epiſcopo Romano *Romani* dicti ſunt, ut quemadmodum omnes qui Romano ſubeſſent imperio *Romanorum* appellatione nobilitati ſunt: ſic & omnes quotquot fide & communione Catholica pollerent *Romani* itidem dicerentur, eo quòd & ipſa fides Catholica *Romana* pariter appellaretur; id enim antiquo uſu receptum fuiſſe probatur & Scriptura Roman. 1. *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* Ex Patribus, Ireneo. lib. 3. cap. 3 *Eccleſia Romana dicitur propter protentiorem*

principalitatem ad Romanam neceſſe eſt omnem Eccleſiam convenire, idque uſu receptum fuiſſe tam apud Catholicos quàm ipſos etiam Hæreticos plurima demonſtrant veterum teſtimonia & exempla.

In hunc igitur modum Romanâ Cathedra ſtabilitâ ceſſit Petrus Eccleſiæ Antiochenæ,& alium ſibi in ea Epiſcopum ſubrogavit, Euſebius ſcribit *Evodium*: memor autem Eccleſiarum quas in Ponto, Galacia, Capadocia, Aſia minori, & Bithinia erexerat, ſuam primam ad eas ſcribit epiſtolam, quam quidem hoc ipſo anno antequam ab eo Marcus mitteretur Alexandriam, eſſe conſcriptam innuunt hæc verba: *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta & Marcus filius meus*; ubi per Babylonem Romam intellexiſſe Patres omnes qui ea de re egerunt,teſtantur,Euſeb. lib. 2. Hiſt.c.14. Hieronym. de Script Eccl. in Marco, & alij hinc convincuntur Novatores negantes Petri adventum Romam.

Hoc eodem anno Chriſti 45. poſt epiſtolam ſcriptam Marcus ſcripſit Evangelium quod Eccleſiæ legendum propoſuit Petrus, deinde miſit Evangeliſtam (filium ſuum ſpiritualem & unicè dilectum) Alexandriam fundaturum Eccleſiam nomine ſuo, unde & Patriarchalis eſt habita, & primum locum poſt Romanam obtinuit, licèt Petrus per ſe rexiſſet Antiochenam ob excellentiam ſuã, ait Spondan. quoniam illa erat quaſi theatrum Orbis,ad quod ex Aſia, Africa, Europa univerſæ fermè Gentes confluerent, quã

Digitized by Google

& ideo Ammianus lib. 22. *Verticem omnium civitatum* appellat. Herodianus item primum eidem locum poſt Romam tribuit: niſi quòd de ſecunda palma cum ea tradit certaſſe Chartaginem.

Anno 46. Qui Petri ſecundus dicitur ſtabilitâ jam Sede Romana Petrus, cui univerſi gregis cura à Domino commiſſa erat, cœpit diſcipulos amandare ad diverſas inſtituendas Eccleſias, hoſque priùs ordinavit Epiſcopos; plurimi leguntur in Martyrologio, & alij apud probatos Authores.

NOTA tamen maritima Provinciæ confinia fidem ſuſcepiſſe ante inſtitutionem Cathedræ Romanæ, & antequam Petrus intellexiſſet reſeratum oſtium Evangelij Gentilibus; conſtat enim Act. 8. diſperſos fuiſſe poſt necem Stephani Fideles, qui erant Hieroſolymis, præter Apoſtolos; unde per diverſas Paleſtinæ, Judææ, atque Samariæ civitates propagatum intelligimus Chriſtianiſmum. Hac ipſa diſperſione Ananias diſcipulus profectus Damaſcum, collegit Eccleſiam.

Anno Chriſti 51. Petri VII. Claudius Imp. edixit Judæos omnes à Roma diſcedere 1. Petrum autem receſſiſſe Hieroſolymis teſtatur Lucas, dum hoc ipſo anno eundem ait interfuiſſe Concilio in quo diffinivit circumciſionem & legem Moyſis abrogatam eſſe. Poſt hanc Synodum Petrus venit Antiochiam, ubi cum Gentilibus æquè ac Judæis agebat & edebat; cùm verò quidam Judæo-Chriſtiani adventaſſent, Petrus

Digitized by Google

ſubtraxit ſe à Gentilibus Chriſtianis, & Judæis Fidelibus inhærens ſimulavit ſe judaïcè vivere, quod Paulus reprehendit Galat. 2. eò quod in perniciem Gentium converti aſpiceret, quæ inde ad judaizandum impellerentur, nulla tamen in opere culpa fuit, cùm Apoſtoli potuerint abſque culpa uti legalibus ſecundùm loci & temporis rationem, ſicut & Paulus ipſe ſæpè feciſſe conſpicitur, nam poſtea Timotheum Patre Gentili natum circumcidit, Act. 16. ipséque ſibi caput totondit more Nazaræorum Act. 18. & Jeroſolymis ſe purificavit cum Judæis Act 21. ac denique factus eſt Judæus Judæis ut eos lucrifaceret 1. Cor 9. Opus ergo Petri viſum eſt Paulo non conſonum tempori, quia inde Gentes adduci poterant ad judaizandum, ſicque coram omnibus redarguit illum, quò & Gentiles in officio retineret & Judæos quid agere de cætero deberent Petri exemplo commoneret.

Anno Chriſti 68. Petri 24. cùm jam à duobus annis Nero Romæ ipſe incendiarius, inviſos vulgo effeciſſet Chriſtianos, & ut loquitur Tacitus *exitiabiles ſuperſtitioſos*, quos Authores incendij falsò publicabat, ideóque diriſſimam perſecutionē in eos inſtituiſſet, Petrus & Paulus divino conſilio ut afflictatæ à perſecutoribus Eccleſiæ Romanæ ſuccurrerent Romam ſe iterū contulerunt è diverſis Orbis partibus. Cùm enim Neronis gladio in Romanos qui in eum conjuraverant converſo temperatum fuiſſe à Chriſtianorum ſanguine videretur, hac

Digitized by Google

ipſi opportunitate bene uſi collabentem, ut licuit Eccleſiam inſtaurarunt, & Petrus ſecundam ad Judæo Chriſtianos ſcripſit epiſtolam. Interea Simon Magus divinos ſibi ex magia comparat honores & charus Neroni magiæ ſtudioſiſſimo, ſe *virtutem Dei magnam*, quæ Angelis dominatur publicè jactat, & ut de iis aliquod experimentum exhibeat, volatum per aëra populo promittit, & altercando cum Petro de Miraculis præſtandis, aſſerit ſe conſcenſurum in cœlum, & inde ſectatoribus ſuis omnia bona ſuppeditaturum: ſed cùm ſublatus à Dæmonibus volaret ſublimis, cuncto ſpectante populo, orat Petrus, & mox decidit Simon juxta cubiculum Neronis, quod cruore ſuo reſperſit, & fractis cruribus jacuit, ut teſtatur Clemens lib. 6. conſt. cap. 9. & Arnobius adverſus Gentiles lib. 2. & alij. Inde miſerè periit præſtigiator ille qui ut refert Anaſtaſius ſtatuas faciebat ambulare, & innoxiè volutabatur in igne, & ex lapidibus panes faciebat, aliáque ejuſmodi per imaginem ope Dæmonis oſtendebat Hac occaſione lapſus Simonis, Nero detruſit Petrum & Paulum in carcerem Mamertinum, in quo detenti fuêre novem menſibus uſque ad Martyrium, quod die 29. Junij conſummarunt, Petrus quidem ob conſternatum Simonem, Paulus verò ob converſam Neronis pellicem, aut ut alij ſcripſere quòd Proculum pincernam Neronis fide Chriſti imbuiſſet.

Cùm autem executio capitalis ſententiæ expectaretur Chriſtiani indigniſſimè ferētes

ſuum à ſe Paſtorem Petrum abripi, eum ut fuga ſibi conſuleret inſtantiſſimis precibus compulerunt, aderat enim præſens auxilium Proceſſi & Martiniani cuſtodum carceris, quos ſacro Baptiſmate (erumpente ad ejuſmodi miniſterium in medio carceris miraculoſo fonte) Petrus initiaverat, nec non & aliorum 47. militum quos in carcere poſiti Apoſtol. Chriſtianos efferant, Petrus ergo cœpit muro egredi nocte, ſed videns Chriſtum ſibi in porta occurrere; urbémque ingredi obſtupuit, & interrogavit: *Domine quo venis?* habito autem reſponſo: *Venio iterum crucifigi*, intellexit hoc pertinere ad ſuam Crucem ad quam pro Chriſto ſubeundam ſponte remeavit, ut ſcribunt S.Ambroſ. Acta Lini, Egeſipus junior, Gregor. in Pſal. 4. pœnitentialem.

Sed & Paulum unà cũ eo fugam arripuiſſe Acta Proceſſi & Martiniani tradunt, ambo ergo virgis cæſi ut morte damnatis apud Romanos fieri ſolebat, extant adhuc Romæ in Eccleſia S. Mariæ Tranſpontinæ; & in honore habentur Columnæ, in quibus ambo Apoſtoli alligari & virgis cæſi feruntur, Paulus quòd civis Romanus eſſet capite truncatus eſt extra portã Oſtienſem, Petrus verò quòd vilis eſſet perſona cruci addictus eſt: ipſe autem reputans ſe indignum qui ſic crucifigeretur, quemadmodum Dominus ſuus, petiit crucifigi capite deorſum verſo, & in ſublime pedibus elevatis, locus Maryrij fuit trans Tiberim (ubi Judæi habitabant) in sũmitate Janiculi, quæ pariter Va-

Digitized by Google

ticanus dicebatur, poſteà verò putâ honoris causâ, ob nobilem Petri triumphum *Mons aureus* dici meruit: ima autem Vaticani pars, ubi nunc cernitur nobiliſſima totius orbis Baſilica locum ſepulturæ dedit, juxta viam triumphalem, ut cum Hieronymo de Script. Eccl. multi ſcribunt. Qui plura de Petro Sedis Romanæ fundatore voluerit conſulat Scriptores Eccleſiaſticos, quorum una eſt vox ipſum tenuiſſe Romanum Pontificatum annis 24. menſibus 5. diebus 12 & Clementem ſibi ſucceſſorem ordinaſſe his verbis, ut refert idem Clemens in ipſa 1. ad Jacobum fratrem Domini. *Sicut mihi gubernandi tradita eſt à Domino meo Ieſu Chriſto poteſtas ligandi & ſolvendi, ita & ego tibi committo, ut ordines diſpoſitores diverſarum cauſarum, per quos actus non Eccleſiaſtici profligentur, & tu minimè curis ſæculi deditus reperiaris, ſed ſolummodò orationi & prædicationi ad populum vacare ſtud*. Tertullianus autem lib, de preſcript. cap. 32. Epiphan. hæreſi 27. & alij ſcribunt Clementem recuſaſſe Epiſcopatum uſque ad Lini & Cleti obitum, qui ipſius Petri coadjutores extiterant. Sub Petro celebratum eſt Concilium primum Hieroſolymis, ut videre eſt Act. 15.

70. LINUS, natione Tuſcus Volaterranus, ſubrogatus eſt primus in locum Petri, qui primò Pauli Diaconus extiterat, ut legitur 2. Timoth. 4. invaluit quidem penes aliquos Linum, & Cletum nequaquam poſt Petri

obitum ipſi ſuffectos eſſe,ſed tantùm viventis ādhuc (dum illum univerſalis Eccleſiæ ſollicitudo in diverſas Provincias evocaret) coadjutores extitiſſe, ipſumque Linum urgente Neronis perſecutione martyrio ſublatum eſſe ante martyrium Petri annis tribus, ait Metaphraſtes,ſed Lino & Cleto eſſe certa Sedis tempora tribuenda, veteres rerum Eccleſiaſticarum Scriptores convincunt, cùm S.Ignatius qui eodem ſæculo vixit cum Apoſtolis Epiſtol. ad Mariam Coſſobol. dicat Clementem ſucceſſiſſe, Cleto, & Euſeb. lib.3. hiſtor. cap.28. Nicephor. lib. 2. cap. 18. omnéſque Græci, ac Latini authores, teſtentur Clementem ſubiiſſe martyrium anno tertio Trajani Imp. idque S. Hieron. lib. de Script. Eccleſiaſt. firmiter aſſeveret, ipséque liber de Rom. Pont, doceat, & 33. annorum ſpatium ab obitu Petri ab hoc intercurrat, Clemens verò novennio tantum Eccleſiæ Rom. præfuerit. Adde ipſius Rom. Eccl. traditionem in Martyrologio & Canone Miſſæ, in quibus Linus, & Cletus ſecundùm antiqua Diptycha poſt Apoſtolos primi recenſentur. Quamobrem quæ habētur in Joannis Papæ tertij Epiſt.ad Epiſc. German.& alia Leonis Papæ II. quibus declaratur non fuiſſe à Petro Linum, & Cletum inſtitutos Romanæ Sedis Epiſcopos,ſed tantummodò coadjutores, non aliter ſunt intelligenda, niſi quòd ſic ſederint,dum Petrus vixit,quod verum eſt. Quod autem additur; Clementi datam manus impoſitionem pro Pontificatu ab ipſo Petro, Epiphanius

& Ruffin. exponunt id quidem verum eſſe. ſed Epiſcopatum recuſaſſe uſque ad Chorepiſcoporum, ſeu Coadjutorum obitum. Sedit itaque Linus ſub ultimo Neronis anno, & Saturnini Conſularis juſſu (cujus filiam à dæmonum vexatione liberaverat) capite truncatur, anno 9. Veſpaſiani Imperij, Pontificatus ſui anno undecimo, menſ. 2. die 23. Conſtituit. *Vt mulier velato capite in Eccleſiam introiret*, varias Ordinationes Diaconorum, Presbyterorúmque, qui Romanæ Eccleſiæ uſui eſſent, fecit, necnon & Epiſcoporum quos ad exemplum Petri in diverſas Provincias miſit. Scripſit Hiſtoriam de altercatione Petri cum Simone Mago.

81. CLETUS, natione Romanus, ſuccedit annis 12. m. 7. dieb. 12. ſub Veſpaſiano, Tito, & Domitiano Imperatoribus: Presbyteros 25. in urbe ordinavit. *Primus in litteris uſus eſt verbis illis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.* Ejus 2. Joan. Evangeliſta, qui Aſianas Eccleſias Epheſi degens curabat, Romam ad Domitianum reus impietatis à Proconſule Aſiæ vinctus mittitur ibi in ferventis olei dolium, cúmque illæſus exiviſſet relegatus eſt à Domitiano in Patmo ad effodienda metalla, cùm autem illic ageret accolas ejuſdem inſulæ ad pietatem inſtituit. Die 26 Aprilis, anno Chriſti 93. martyr occumbit Cletus, & in Vaticano ſepelitur.

93. CLEMENS, natione Romanus, antiquus Petri & Pauli diſcipulus, hunc enim

Digitized by Google

illum eſſe cujus meminit Paulus ad Philippenſ 4. quemque S. Eucherius vetuſtâ proſapiâ Senatorum, & ſtirpe Cæſarum tradit; omnes exiſtimant, poſt dies 20. vacationis, ſive à Petro nominatus jampridē ſucceſſor, ſive à Cleto declaratus Sedē tenet annos 9. menſes 6. & totidem dies, intra illud tēpus plures ordinavit Epiſcopos puta Taurinum, quem Ebroicenſibus dedit. Lucianum Bellovacenſibus, Eutropium Santonenſibus, Nicaſium Rotomagenſibus, Dionyſium Pariſienſibus, & alios aliis: & ne ingratus videar, memorabor Auſpicium Arſtenſibus. Clemens inſtituit ſeptem Notarios, eiſque Urbis Regiones diviſit, qui, (quod habet in ejus vita Anaſtaſius,) Acta Martyrum ſolicitè & curioſè per Regiones quiſque ſuas perquirerēt atque conſcriberent. Quod planè argumento eſt non uno tantum loco urbis carnificinas exerceri de Chriſtianis ſolitas, ſed multis, furens enim tunc Domitiani perſecutio debacchabatur. Multa ſcripſit Clemens, ut notavit Epiphan. hær 30. Hieron. apol. contra. Ruffin. & Sixtus Senen. lib 2. Biblioth. in Clemente, conſtitutiones Apoſtolicas, & epiſtolas pro quarum firmitate vide Franciſcū Turrianum. Reliquit etiam Eccleſiæ Romanæ Liturgiam, ſeu ritum Miſſæ, quem acceperat à Petro. Sedit annos 9. menſ. 6

ANACLETUS, natione Græcus, patria Athenienſis ſuccedit; qui cùm adhuc Presbyter eſſet conſtruxit deſuper corpus B. Petri in Vaticano memoriam, ſive Eccleſiā: 103.

aliqua fecit decreta Eccleſiæ utilia, *Quòd Sacerdotes ſacrificent non ſoli, ſed ſecum teſtes adhibeant: idque in ſacratis Deo locis,* juxta illud Deuter. 12. *Vide ne offeras holocauſta in omni loco quem videris,* &c. Primatum Petri, & Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiarum omnium caput, Seriemque Sedium Patriarchalium docuit, Clericiſque comam nutrire prohibuit, quomodóque eſſet Epiſcopus conſecrandus, ſcilicet per tres Epiſcopos, & à quibus accuſandus, declaravit. Martyr, autem occubuit ſub Trajano poſt annos 9. menſ. 3. d. 10.

112 EVARISTUS, natione Græcus ex patre Judæo, cùm vacaſſet Sedes dies 13. ſuffectus eſt: ipſe ut tradit Liber Rom. *Titulos diviſit in urbe Roma Preſbyteris,* id eſt, domus Fidelium cultui divino mancipatas, in quibus Chriſtiani Synaxes agere conſueverant, quas nos Eccleſias dicimus. Tituli nomenclatura à rebus fiſcalibus accepta eſt, cùm Tituli impoſitione rem aliquam ſibi fiſcus ſolitus eſſet vendicare, ac Principi cõſecrare: quæ conſtat fuiſſe vela quædam imaginibus, aut certè nominibus Imperatorum inſignita. Titulus, quo apud Chriſtianos domus aliqua cultui divino mancipabatur fuit vexillum Crucis, quod intelligimus ex eo quòd Theodoſius Imperat. edicto præcepit, *l. ſi decernimus, C. de Epiſcop. & Cleric.* ut delubra Gentilium Chriſtianæ legis cultui manciparentur, *collocato in eis venerando Chriſtianæ Religionis ſigno*; eaque ratione,

quòd titulo Crucis cenſerentur res dicatæ religioni. Leo itidem Imp. vetuit, *Novel.* 117.*cap.*7.*Venerabilem Crucem, aut ſanctorum martyrum Reliquias*, inferri in ædes publicas, vel loca populi voluptatibus fabricata; ne ſic *occuparentur ea quæ ad cauſas publicas, vel ad populi oblectamenta extructa eſſent*. Præter quæ ſunt & alia permulta exempla veteráque monumenta, quibus probetur Crucis ſigno illato velut præfixo titulo, res Deo dicati conſueviſſe.

Sed quod ad *tituli* nuncupationem ſpectat, eâ quoque ratione dici poteſt Eccleſiam appellatam eſſe Titulum, quòd qui ei Presbyter adſcriberetur, ab eo nomen Titulúmque acciperet. Verùm Romæ obtinuit tandem, ut non omnis Eccleſia Titulus diceretur, ſed tantum inſigniores quibus præficerentur Cardinales.

Poſt hæc additur in eodem libro Evariſtum, *Septem Diaconos ordinaſſe, qui cuſtodirent Epiſcopum Prædicantem*; hoc eſt, ei aſſiſterent, *propter ſtylum veritatis*, nempe ob muneris majeſtatem, & functionis amplitudinem; non autem, ſicut aliqui ſunt interpretati, ut eum tuerentur ab irruentibus Chriſtianæ fidei hoſtibus: perſeveravit per aliqua ſæcula, ut ſeptem tantùm in Eccleſia Romana Diaconi miniſtrarent: quibus fabianus Papa illud muneris poſtea addidit, ut quatuordecim urbis Regionibus præeſſent, ſingulis binas aſſignans, ut pauperum in eis degentium curam agerent, unde & Diaconi Regionarij dicti ſunt: iidémque in Conci-

Digitized by Google

lioRomano,ſub Sylveſtro,hoc eſt anno 325. nominati reperiuntur Diaconi CARDINALES, quòd licet diverſis in locis agerent, unius tamen Eccleſiæ, ejuſdémque primariç cardine continerentur: cùm alioqui non deeſſent in aliis urbis Eccleſiis Diaconi in ſingulis ſaltem duo, ut habet Canon 6. Evariſtus matrimonia publicè ſolemnizari,& benedictione Sacerdotali donari inſtituit, aliter verò præſumpta non conjugia,ſed adulteria dici voluit, coronatur martyrio ſub Adriano Imp. cùm sediſſet annos 9. m.3.

121. ALEXANDER I. Romanus poſt 18. dies vacationis ſubrogatus eſt Senatores complures, & Hermetem Urbis Præfectum alióſque Romanos cives ad Chriſti Religionem perducit,hincque truditur in carcerem, ubi multa edit miracula, & Quirinum Tribunum ejúſque filiam Balbinam Virginem contactu catenarum ſuarum ſanitati redditam ad fidem convertit : hincque multis cruciatibus,creberrimiſque punctis affectus, capite truncatur : ea lib. Rom. habet. Quod autem tradit ipſum inter alia conſtituiſſe,ut *Aqua aſperſionis cum ſale benediceretur in habitaculis hominum*, id ſanè jampridem Apoſtolica inſtitutione traditum,ab Alexādro potiùs decreto roboratum,quàm recens ſtatutum dici debet, ut notavi ſuo loco de Traditionibus.Habentur Alexandri Epiſtolæ tres, in quibus agitur de aliis ritibus Eccleſiaſticis,tanquam ab ipſo primùm ſtatutis;quod tamen non ita accipiendum eſt.Sed

Digitized by Google

ut quæ traditione Apoſtolicâ accepta ſervabantur à Catholicis ab eo fuerint decretis firmata, ne hæreticorum fraude conſuetudo aliqua in contrarium irreperet: ſicuti quod traditur ibi de vino aquâ miſcendo in ſacrificio, quod ex Apoſtolica, vel etiam Dominica traditione manaſſe Lithurgiæ ferè omnes oſtendunt, hincque SS. Patres, Juſtin. martyr. Oratione ad Antoninum Pium. Irenæus lib. 5. cap. 2. Theodoret. dialog. 2 Cyprian. epiſtol. 63. & ſubſequenter Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 6. Eucherius Epiſcop. Lugdunenſ. hom. 5. in Paſſion. Nec non, & Concilium Carthag. III. Can. 34. Aurelianenſe IV. cap. 4. quibus conſonat Hieron. cap. 14 in Marc. Expreſsè docent ita Chriſtum feciſſe, & docuiſſe conſequenter, & talem fuiſſe primitivæ Eccleſiæ praxim. (hæc notavi, quia ſuo loco in art. 15. deſiderantur.) Alexander multa de SS. Trinitatis fide docuit. Seditque plenus meritis, annis 10. menſ. 5. & diebus 20. ſic, Spondan.

SIXTUS I. Romanus poſt dies 25. ſubrogatur, leguntur ejus titulo duæ Epiſtolæ: ſed quod in alterâ ipſarum UNIVERSALIS APOSTOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS, inſcriptus habeatur miror adeò offendiſſe Novatores perinde, ac ſi fuerit humanum inventum, ut Petrus, & qui in Petro ſuſceperunt à Domino (quod art. 37. demonſtravi) totius oculis Dominici curam, *Vniverſalis Eccleſiæ*, inſcribantur *Epiſcopi*, quandoquidem, & hoc eodem ſæculo, apud Tertullia-

132. Rom. Pont. antiquus titulus.

num lib.de pudicit. c.1. Zephirinus Romanus Epiſcopus non niſi ſecundùm veterem nomenclaturam appelletur PONTIFEX MAXIMUS, & EPISCOPUS EPISCOPORUM.

Legitur in lib.Rom. Pont.Decretum, *Vt quicunque Epiſcopus vocatus fuerit ad Sedem Romanam Apoſtolicam rediens ad Parochiam ſuam non ſuſcipiatur, niſi cum Formatis ſalutationis ad plebem à Sede Apoſtolica.* Ejuſmodi quidem commercio FORMATARUM, unius Eccleſiæ Catholicæ ſervari; ac proinde probari ſolitam unitatem, docent Optat. lib. 2. contra Parmen. Auguſt. Epiſtol. 163. ad Eleuſ. quarum in Concil. Nicæno certa quædam forma (unde & formatæ dictæ) ne fraus irreperet eſt inſtituta,

Decrevit etiam, *Ne ſacra vaſa ab aliis, quàm à ſacris miniſtris tangerentur.* Si enim in iis quæ futurorum erunt umbra tanta Dei monitu Num 4. Orat obſervantia, ut ſacra vaſa filiis Caath, nonniſi tecta portare liceret quomodo non religioſi cultu ſervanda eſſent, quibus ſacrificium præſtantiſſimu n o nium exhibetur.

Conſtituit etiam ut Miſſarum actionem Sacerdote incipiente populus Hymnum decantaret, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, cum autem id jam fuiſſe in uſu aſſerat, lib.8. conſt Clementis, conſt 16. intelligo Sixtum Decreto ſuó firmaſſe, martyrio coronatus, obiit ſub Antonio Pio Imp. cùm ſediſſet an. 10.

TELESPHORUS, natione Græcus, ex 142.
Anachoreta ſuccedit; Epiſtola decretali ſtatuit, *Numerum dierum, ſeu hebdomadarum Quadrageſimalis jejunij*, quē olim variè in Oriente & Occidente obſervari cõſueviſſe, teſtantur S. Ignatius & Auguſt. vide quæ de Quadrãg obſervatione ex Apoſtolica traditione annotavi fol. 53. Decrevit, ait Anaſtaſius, Collector libri de Rom. Pont. *Vt in Natali Domini noctu Miſſæ celebraretur*, cum inquit omni alio tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret Miſſas celebrare, quia eâ horâ Dominus aſcendit in crucem. Verùm ſunt hæc accipienda de iis, quæ frequentiori uſu in Eccleſia celebrarentur: cùm alioqui multis conſtet exemplis in ſacris vigiliis noctu ſacrificium offerri conſueviſſe. Communiter creditur, quòd Teleſphorus tres Miſſas ſtatuerit debere cantari in die Natali, ad oſtendendum, quòd Chriſti Nativitas ſalvavit Patres trium temporum, ſcilicet Patres ante legem, ſub Lege & poſt Legem. Prima canitur media nocte ad inſinuandum horam Nativitatis Chriſti per quã aperitur noſtra ſalus. Secunda in Aurora, ut exprimatur hora qua Paſtoribus revelatus innotuit. Tertia pleno die ad deſignandam plenitudinem temporis gratiæ quæ illuminat omnem hominem. Aliqui referunt has Miſſas ad triplicem Chriſti nativitatem primam uti occultam, æternam de Patre æterno mortalibus obſcuram: ſecundam ad ejus temporalem de Maria Virgine: tertiam ad eam qua per gratiam ſpiritualiter generatur

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

in cordibus Fidelium. Vide Poſitivos. Statuit Papa, ut ante Sacrificium diceretur Hymnus *Gloria in excelſis Deo*, &c. Cùm autem ſediſſet annis 11. menſ. 3. d. 22. martyr occubuit, ſub Antonino Pio Imp.

54 HIGINUS natione Græcus Athenienſis Philoſophus ſubrogatur. Liber Rom. Pont. habet de illo quod compoſuerit Clerum & gradus ſeu officia diſtinxerit vel traditam ab Apoſtolis formam illuſtraverit; videns enim uni Eccleſiæ unum non ſufficere Presbyterum, ob increſcentem Fidelium numerum plures addixit cuilibet, cum Diaconis aliiſque Miniſtris altarium; Presbyteros illos nuncupavit *Cardinales*, tranſumpto nomine honorifico à Præſidibus Aſiæ ſic nuncupatis, & appropriato iis qui curam & adminiſtrationem habebant Eccleſiæ, in qua ſacramenta populo conferebantur; interdumque contigit ut primariæ alicui Eccleſiæ duo aſſignati fuerint adminiſtratores appellati *Cardinales*. Hæ autem Eccleſiæ dicuntur hodie *Tituli*, quorum numerus plurimum excrevit à primo per Evariſtum inſtituto, & per Higinum incremento. Sedit ann. 4. martyrio ſublatus.

158 PIUS Italus natione, Aquilejenſis, anno 2. ſuæ Aſſumptionis edidit decretum *de celebrando Paſchate die Dominica*, ex traditione Apoſtolica & ex revelatione per Angelum data Hermeti viro perito libri Paſtor nuncupato authori fratri ejus, jam

enim plures Eccleſiæ judaizantes 14. celebrabant idque corrigendum fuit. Gratian. plura ejus refert decreta quæ in duabus ejus Epiſtolis leguntur, ut qui prædia divinis uſibus tradita ſubtrahit ut ſuis inſerviant ſacrilegus habeatur. *Blaſphemus Eccleſiaſticus deponatur, Laicus anathematizetur.* Pœnitentiam injunxit ei cujus negligêntia aliquid de ſanguine Domini diſtillaverit. Conſuetudines quæ nihil contra fidem Catholicam habent laudavit. Primus omnium conſecravit Romæ templum Thermas Novati dictum, domum Pudentis Senatoris Patris Novati & Timothei. & virginum ſanctæ Pudentianæ & Praxedis ad quam primò Petrus receptus fuit. Sedit ann. 9. m. 6. martyrio donatus.

ANICETUS natione Syrus renovavit Decretum Anacleti, ut *Clerici comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum Sphæræ radant. Cavit à paucioribus, quàm tribus ne conſecraretur Epiſcopus, Metropolitanus autem ab omnibus Suffraganeis Epiſcopis ordinetur.* Martyrio clarus migrat ad Dominum, cum ſediſſet ann. 8. ſub M. Aurelio Imp, ſepultus traditur in eo Arenario. quod poſtea Caliſtus cœmeterium fecit. 167

SOTER natus Fundis in Campania ſubſequitur: hujus tempore recrudeſcit in diverſis Orbis regionibus Aureliana Perſecutio, ipſe longè poſitas Eccleſias non litteris modò conſolatus eſt, ſed & pecuniis ſub- 175

Digitized by Google

levavit, ac Chriſtianis ad metalla damnatis pari liberalitate ſubvenit Jam enim Romanam Eccleſiam tantâ habuiſſe opum abundantiam, teſtatur Euſebius lib.4. hiſt. cap. 22. idque ex Epiſtol. quam Dionyſius Corinth. Epiſcopus ad Romanam Eccleſ. ſcripſit,ut non ſolùm ſufficeret ad Fideles pauperes,qui Romæ eſſent ubertim alendos ſed etiam ad longè & propè poſitas Eccleſias egentes ſublevandas & fovendos Chriſtianos ad metalla damnatos, quorum ingens ſoleret eſſe numerus: cum & præter hæc non putandum ſit Gentiles tempore perſecutionis ſe temperaſſe à bonorum rapina, qui adeò immaniter ſævirent in corpora. Decrevit, *ut nullus niſi jejunus ſacrificet. Nec niſi duobus præſentibus,ſibique reſpondentibus, & ipſe tertius habeatur.* Quia cũ à Sacerdote dicitur, *Dominus vobiſcum,* &, *Orate pro me,* aptiſſimè convenit, ut ipſius reſpondeatur ſalutationi. Conſtituit ne ulla Diaconiſſa, licèt Monacha, ſacra vaſa, aut pallas, ſeu corporalia contingat, nec incenſum circa Altare deferat: id eâ de cauſa tunc potuit conſtitui, quòd ex Montani ſecta fœminæ ſe ſacris miniſteriis immiſcerent, *Incauta,& in malum vergentia juramenta non obſervanda definivit.*

Evariſti Decretum de Benedictione Sacerdotali, & conſenſu parentum in matrimoniis adhibenda renovavit. Sedit ann. 4 & martyrio extinctus eſt.

ELEUTERUS

ELEUTERUS natione Græcus, patria Nicopoleus poſt dies 11. ſubrogatur anno ejus 5. & Commodi Imp. 2. Chriſtiana Religio, ait Euſeb. lib. 5. cap. 20. ad tranquillum ſtatum deducta eſt, magnáque facta eſt cum aliis locis, tum Romæ accurrentium ad fidem ſuſcipiendam acceſſio, ac preſertim eorum, qui nobilitate generis divitiarum affluentia, & animi ingenuitate præſtarent. Inter quos Lucius Britannorum Rex legatos ad Papam direxit ad ſuſcipiendos ab eo ſacros miniſtros qui miſit Fugatium & Damianum, notat autem Gilda *de Excid. Britan.* Evangelium diù antè fuiſſe in Britanniam perlatum Epiſt. ad Galliæ Provincias direxit, in qua docet nullas eſcas ſuperſtitioſè refutari debere, quoniam univerſas Deus ad cibos tribuit fidelibus ſuis, & probat Matth. 15. *Non quod intrat per os coinquinat*, & Act. 10 Sedit annos 15. dies 23. incompertum autem eſt in gladio ſublatus fuerit, niſi quod in antiquis omnibus Martyrologiis martyr reperitur adſcriptus: cum alioqui certum ſit martyris nomen apud Tert. Cypr. & alios pleróſque antiquorum tribui conſueviſſe non iis tantùm qui mortem, ſed etiam qui cruciamentum aliquod Chriſti causâ ſubiiſſent, qui & aliquando dicti reperiuntur CONFESSORES, cùm & ſi earum vocum vim expendas, eædem ſint. 179

Martyres Confeſſores dicti.

VICTOR Africanus natione poſt quinque dies ſubrogatus eſt ſub primordiis iſtius Papæ; res Chriſtianorum floruiſſe 19

annuente Severo Imperatore, tradit Nicephor.imò Tertull.Apologiæ cap.37.qui ſub eodem Imp. ſcripſit adversùs Gentiles & Judæos, juſtè gloriatur jam tùm Chriſtianos omnia ubique impleſſe urbes,Inſulas,Caſtella, Palatium, Forum, Senatum, & Chriſti regnum longè latiùs ſe prodens, quàm Romanum ubique porrigi anno Chriſti 198. Victoris V. controverſia de tempore celebrandi Paſcha exorta eſt in Aſia, itaque tùm *Romæ* à Victore Papa, tùm in Palæſtina à Theophilo Cæſarienſi Metropolitano,itemque in *Ponto* à Palmâ Epiſcopo, in *Galliis* ab Irenæo Lugdunenſi,in *Græcia* à Bacchyllo Corinthio,ac dènique per univerſum fermè terrarum orbem ab Epiſcopis ad Synodos convocatis (unde obiter notabis Eccleſiarum omnium toto orbe tranquilliſſimam hoc tempore pacem) uno omnium conſenſu ex antiqua Apoſtolorum, traditione ſtatutum eſt Paſcha celebrandum eſſe tantummodo die Dominico, licèt Aſiani Epiſcopi traditionem Joannis Evangeliſtæ jactantes de Paſchate celebrando 14. Lunâ quocunque tandem die,hoc eſt,ſive Dominicus eſſet, ſive non, ea accideret vehementer obnixi fuerint Victoris, & aliorum ubique Epiſcoporum contrario judicio.Hæc autem Joannis traditio imaginaria eſt, ipſe enim nuſquam cenſuit quacumque die accideret 14. Luna celebrandum eſſe Paſcha: id tantùm,ſicut & alia multa toleravit in illa,tunc nuper in Aſia coaleſcente primitiva Eccleſia, cùm alioqui diem Dominicum Paſ-

chali aſſignare videatur, Apoc. 1. Ideò enim ejus meminit tanquam celebris in Eccleſia, ait Ignatius, quòd conſecratus eſſet Reſurrectioni Dominicæ.

Cæterùm Victor, ut refert Euſeb. lib. 5. cap. 24. torius Aſiæ Eccleſias tanquam alterius fidei & opinionis litteris graviter objurgatas excommunicavit; hinc ſeveritatis nimiæ ab ipſiſmet Epiſcopis Catholicis Irenæo maximè eſt redargutus. Porrò qui in Oriente eâ de cauſâ avulſi ſunt ab Eccleſiâ permanſerunt in ſchiſmate magna ex parte uſque ad Concilium Nicænum, à quo probata eſt ſententia Victoris. Hinc perpendas quanta auctoritate per univerſum Chriſtianum Orbem polleret Romanus Epiſcopus, de cujus poteſtate ad reſcindendas à communione ſua tot Eccleſias ne quidem ſchiſmatici quidquam oppoſuerunt. Conſtituit Victor ut dictante neceſſitate Gentiles ad fidem venientes quocumque loco, vel momento confeſſione Chriſtianæ credulitatis declaratâ, baptizarentur à quovis viro, vel muliere per quamvis naturalem aquam. Licèt tunc Baptiſma daretur tantùm ex ritu Eccleſiæ in Paſchate & Pentecoſte, auſpicatus jam per 2. menſes annum 10. ſui Pontificatus, martyrio coronatus eſt, & ſepultus in Vaticano.

Deſcivit Tertullian ab Eccleſia dilapſus in Montaniſmũ. 203.

ZEPHIRINUS Romanus poſt dies 11. ſubrogatur. Duæ extãt ejus Epiſtolæ in quarum prima tradit illud, quod & alij multi tradiderunt. *Quòd judicia Epiſcoporum &*

Digitized by Google

majores Eccleſiæ cauſæ à Sede Apoſtolicæ ſint terminandæ, quia ſic Apoſtoli, & ſancti ſucceſſores eorum ſtatuerunt. Tertulliano anathema dixit unde ipſe obſtrepere cœpit in Rom. Pontificem, quod de recipiendis mœchis pœnitentibus (quæ fuit ſemper Chriſti & univerſæ Eccleſiæ doctrina) promulgaſſet edictum. In edicto appoſiti leguntur veteres tituli Papæ. PONTIFEX MAXIMUS, EPISCOPUS EPISCOPORUM, nota autem Rom. Pont. dici *Maximum* reſpectu Epiſcoporum qui Summi Sacerdotes dici ſolebant, vel ob eminentiam ejus Sacerdotij *Epiſc. Epiſcoporum*, quòd tam eorumdem, quàm cunctarum rerum, ac cauſarum ad Religionem pertinentium ſit judex & arbiter à Deo conſtitutus: Decretum ejus, *Quòd calices & patenæ miniſteriales vitreæ eſſent*, habetur in lib. Rom. cujus obſervantia diu perſeveraſſe conſtat, ſiquidem Hieron. Epiſt. 4. ſcribit Exuperium Epiſcopum Tholoſanum, corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portare in vitro, & Cyprian. Gallus in vita S. Cæſarij Arelaten. *An non*, inquit, *in vitro habetur Sanguis Chriſti*: Quod tamen non ſit intelligendum, ut non niſi vitrei eſſent calices in primitiva Eccleſia; hanc enim aureis & argenteis abundaſſe ipſis etiam temporibus perſecutionum, teſtis eſt Auguſt. Epiſt. 103. de tempore Diocletiani lucernas quoque argenteas, & aureas, & ſuperllectiles habuiſſe ornatiſſimas, tradit Optat. lib. 1. contra Parmen. Sanctique Laurentij Acta declarant. In Conc. autem Rhe-

menſi ſub Carolo Magno vetitus eſt calix vitreus ob fragilitatem, & ligneus ob poroſitatem. Indixit Zephirin. *Omnibus Chriſtianis communicare in Feſto Paſchatis ſi 12. vel 13. attigerint annum* Sedit annos 18. totidémque dies; an martyr occubuerit dubitat Spondanus, quia ſub Antonino Eliogabalo Eccleſia pace fruebatur: hunc titulum håbet ab Eccl. tabulis forte quia Confeſſores, qui ob fidem aliqua paſſi eſſent eo decorantur, licèt diem extremum in pace clauſiſſent.

CALLISTUS Romanus poſt dies ſex 221 eligitur. *Quatuor anni Tempora, quibus jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum conſtituit, ut ab omnibus ſervaretur*, propter fructuum, inquit, abundantiam, juxta Prophetiam Zachar. cap. 8. quia ſicut replemur à Domino frumento, vino, & oleo ad alenda corpora, ſic repleamur jejunio ad alendas animas. Ædificavit Eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim,

In Epiſt. ad Epiſc. Galliarum vetuit, ſub excommunic. converſationem cum excommunicatis. *Prohibuit matrimonia inter conſanguineos.* Hos autem appellat quos Divinæ atque Imp. & Roman. atque Græcorum leges conſanguineos appellant, & in hæreditatem ſuſcipiunt, nec repellere poſſunt. Diuturno detentus carcere poſt longam famem, & quotidiana verbera, è feneſtra domus in qua cuſtodiebatur in puteum præcipitatus martyrij coronam adeptus eſt, cùm ſediſſet

Digitized by Google

annos 5.m,1.d.12. ſepultúſque in cæmeterio Calepodij, via Aurelia milliaria tertio, quamvis & eſſet aliud in via Appia nominatiſſimum ab eodem Calliſto conſtructum & ejus appellatione nuncupatum, in quo multi Sacerdotes,& Martyres ſepulti ſunt.

De cæmeteriis urbis eorumque uſu.

NOTA, fuiſſe quam plurima cæmeteria extra urbem (intra enim mœnia Romana prohibitum erat Romanis legibus defunctos ſepelire) quæ modò *Area*, interdum *Tumba, Catatumba, vel Crypta Arenariæ*,& loci natura nomine comparato dici conſueverunt? ſed frequentius *cæmeteria*, quod fides doceret Chriſtianos non mori ſed rurſus excitandos interea in Domino obdormire. Porrò ejuſmodi Cryptarum recenſentur nomina Quadraginta trium in lib.de Rom. Pont.Martyrologio Romano,& aliis. Erantque ſpecus ſubterranea, cùm ad ſepeliendos Fideles, tùm ad Conventus & Synaxes peragendas tempore perſecutionum, indéque fiebat, ut edictis Imperatorum, quod docet Euſeb.lib.6.hiſt. cap.10.& 12.ab eis Chriſtiani arcerentur, redditâ verò pace eadem frequentare permitterentur. Quæ & poſtea quamdiù in eis fuerunt corpora SS. Martyrum frequenti cœtu à fidelibus viſitari conſueviſſe, Hieronym. in Ezech. cap.40. Prudent.hymn.11.de S.Hyppol.teſtantur. Ceſſarũt autem ejuſmodi Fidelium ſtudia poſtquam ea quæ ibi ſita erant Sanctorum corpora delata ſunt in Urbem, & in diverſis Eccleſiis honorificentiùs collocata. Sed & accidit, ut ſicut majorum conſuetudine, etſi

non iiſdem ſepulchris, iiſdem tamen cœmeteriis ſepelirentur Fidelium corpora, ut notavi fol. 599. & tandem in Eccleſiis, quòd eos doceret fides meritis Sanctorum adjuvari animas defunctorum.

URBANUS Romanus poſt 6. dies à morte Calliſti ſubſtitutus eſt. Feciſſe legitur omnia Miniſteria ſacra argentea, & patenas argenteas viginti quinque appoſuiſſe, & vitrea excluſiſſe ab altari. Extat ejus Epiſtola decretalis ad univerſos Epiſcopos per quam ſtatuit, *Vt oblationes fidelium, hæreditates agri non vendantur, ſed relinquantur matricibus Eccleſiis*, (id eſt, quibus præſident Epiſcopi) & reditus earum diſpenſentur Clericis ab Epiſcopo, vel omnibus communem vitam agere volentibus, idque juxta eorum neceſſitatem, ut nemo in eis egens inveniatur. Nondum Eccleſiæ dona erant privata, & propria Clericorum, ſed ad neceſſitatem ſingulis ſingula: ipſæ enim res fidelium oblationes appellantur, ait Urban. quia Domino offeruntur. 226.

Rationem affert, cur Sedes Epiſcoporum excelſæ & paratæ ut Thronus habeantur in Eccleſiis, ſcilicet ob eis à Domino traditam poteſtatem judicandi & ſolvendi, atque ligandi, & ob impendendam eis venerationem.

Anno ſuo 6. Valerianum ſponſum Cæciliæ Virginis baptizavit, necnon & plures Romanos nobiles inter eos autem Tiburtiũ & Maximum cubiculi Imperatoris Præfe-

Digitized by Google

ctum, quos ad gloriam Martyrij perduxit, & ipſe ea non fruſtratus, cùm ſediſſet annos 6.m.7. d.4. ut habent Indices Vaticani.

PONTIANUS Romanus poſt triginta dies præficitur Eccleſiæ, ſub Imperatore Alexandro, qui anno 13. Pontianum unà cũ Hippolyto Presbytero in Sardiniam Inſulã relegavit Alexander Maximini dolo occiditur, qui accepto Imperio acerbam perſecutionem excitavit, quam Oſorius & Aug. ſextam appellant, hac Eccleſiarum Præſules, & Clerici tanquam authores doctrinæ Evangelicæ ad necem requiſiti ſunt, porrò hujus cauſam præceſſiſſe, tradunt Origenes, & Firmilian. Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, quòd cùm graviſſimi terræ motus Orientis oras acerbiſſimè excogitaſſent, ea mala Gentiles more ſolito adſcriberent Chriſtianis, quaſi non colerentur ab illis Dij, vel aliis cladibus orbem ſæpè irati concuterent; Maximini ergo juſſu Pontianus fuſtibus verberatur uſque ad mortem. Univerſos fideles per Epiſtolam docuit venerandos eſſe Sacerdotes, quoniam proprio ore Corpus Domini conficiunt, & populis tradunt. *Pſalmos in Eccleſiis, die ac nocte cantari:* Miſſæque præponi *Confiteor* conſtituit, ait Platina, Corpus ejus à Fabiano Romam tranſlatum eſt, & in cæmeterio Calliſti ſepultum, cùm ſediſſet annis quinque.

237 ANTERUS Græcus Epiſcopatum habet poſt dies 13. reſpondet conſulentibus

Digitized by Google

Epiſcopis Toletanæ Provinciæ licitas eſſe mutationes Epiſcoporum; ſi id communis utilitas, aut neceſſitas exigat, ut Petrus tranſlatus eſt, inquit, de Antiochia Romam. Euſebius de quadam parua civitate tranſlatus eſt Alexandriam, & Felix electione civium propter doctrinam, & exemplarem vitam communi Epiſcoporum Sacerdotum, & populi conſilio tranſlatus eſt Epheſum, & alij quidam Apoſtolica authoritate mutati sūt; Martyrio coronatus legitur cum vix menſem, ut habet Euſeb. in Chron. egiſſet, quòd *Geſta martyrum diligenter à Notariis exquiſiſſet, & in Eccleſia recondiſſet*: Cœterùm à Clemente Papa primùm magna diligentiâ curatum fuiſſe, ut à ſeptem Notariis geſta martyrum ſcriberentur, jam vidimus qui publicè agebantur, ſuſtinebantur, dicebantur, notabant. illa autem quæ intra cancellos obducto velo à Judicibus martyres interrogati dicerent, Publicorum Exceptorum, ſeu Graffariorum muneris erat inter publica Acta referre: quæ cum agerentur in Provinciis *Proconſularia* ab Auguſtino, & aliis dicta reperimus. eadémque ipſa, vel potiùs exempla eorum à Chriſtianis collatâ pecuniâ redimi ſolebant, & inter Acta martyrum ſedulò aſſervari. Cuius rei cauſa Anterus martyrio affectus dicitur; non ſolùm autem à Romana Eccleſia, ut Acta martyrum accuratè conſcriberentur, ſed ab aliis quoque diligenter curatum eſſe, extant clariſſima antiquitatis teſtimonia de inſignibus Eccleſiis Smyrnenſi, Viennenſi, & Lu-

Digitized by Google

gdunenſi, apud Euſeb. Alexandrina. & Carthaginenſi, & aliis apud Cyprian. Epiſt. 37. quæ quidem tanto ſtudio perquiſita maxima ex parte Diocletiani edicto flammis tradita lugemus.

FABIANUS Romanus poſt 13. dies ſubrogatus eſt quem divinitùs electum eſſe dum in ipſis Fidelium comitiis de repentè columba è ſublimi devolans ejus capiti incedit, Euſeb. ſcribit lib. 6. cap. 22. unde ab univerſo Clero, & populo electus fuit Epiſcopus qui ante Epiſcopatum habuit uxorem, quæ pòſt martyrio coronata eſt. Occiſo à propriis militibus acclamatus Cæſar Summum in Romano Imperio otium dedit, & tranquillitatem Eccleſiæ, qua bene uſi Prælati religionem propagare, & ædificiis illuſtrare ſtuduerunt in ſuis Parœciis, Fabianus præſertim erigens in cæmeteriis ædificia, quibus latentia martyrum ſepulchra fierent conſpicua. Gordiano item à Collegâ Philippo impiè occidi juſſo in finibus Perſidis. Philippus anno 4. ſui imperij fit Chriſtianus operâ Pontij Præfecti, ut Acta martyrij ejuſdem declarant unáque cum filio baptizatus à Fabiano, ſi quid autem poſt baptiſmum deliquit quo ab Eccleſia jure deberet eſſe extorris, idem facta exomologeſi publicè in Eccleſia (quòd Euſeb. narrat 6. hiſt. c. 27. Fabiano Papa aliter eum ad preces, cum reliquis celebrandas poſtremâ vigiliâ Paſchatis admittere recuſante magnæ pietatis exemplo diluit. *Anno Chriſti* 253. ut habet

Philippus I. Imperator Chriſtianus, baptizatur à Fabiano Papa.

inſcriptio Veronæ, *Philippus ſenior Veronæ, & Iunior Romæ sūt à ſatellitibus occiſi*. Imperat Decius qui mox perſecutionem conflat, eaque aufert Fabianum, qui rexit Eccleſiam annis 15. & diebus 4. multáque ſanctè conſtituit, *Quotannis chriſma conficeret, & vetus incendi.* Sic enim Apoſtolos docuiſſe ſcribit, & à Chriſto in ultima Jovis ſancti Cœna accepiſſe ſeptem præfecit Subdiaconos, qui ſeptem Notariis à Clemente inſtitutis pro colligendis Actis martyrum præeſſent, ut omnia accuratius perficerentur.

Nam ut colligo ex 1. Datis animadverſionibus Notarij, ut celeriter exciperent geſta dictáque martyrum notis compendiosè utebantur, hæc autem ſcribendi ratio valdè obſcura, imò fallax viſa eſt Fabiano, ideò 7. Notariis, 7. Subdiaconos præficit, qui curarent litteris integrè perſcribi, quod notis exceptum antea erat. Statuit, *ut fideles communicent ter in anno in Paſcha, Pentecoſte, & Natali*: decrevit, *ut in omnibus diebus Dominicis oblatio tam panis, quàm vini fiat ab omnibus viris, & mulieribus*, ut ſic à peccato liberentur.

Ad *Presbyterij ordinationem ætatem 30. annorum ſtatuit*, quia ipſe Dominus 30. annorum baptizatus eſt, & ſic cœpit docere. *Illiteratos Presbyteros vetuit celebrare Miſſam.*

Sedes vacat uno anno, & ampliùs ob Decij perſecutionem.

CORNELIUS Romanus durante adhuc perſecutione, electus eſt à Clero Roma-

no,& 16. Epiſcopis qui in urbe reperti ſunt adhibito populi ſuffragio,quod factum fuiſſe vivente adhuc Decio, atque ut colligo, menſe Aprili, Cypriani Epiſtola ad Antonianum indicat.

NOTA, tam vehementem ubique ſæviſſe perſecutionem, ut complures Epiſcopi ſe ſubduxerint ad tempus, inter quos Cyprianus Epiſcop. Carthaginenſis, magno Gentilium ardore quæſitus ad necem, ſæpiúſque ad leonem petitus in Circo; proſcriptúſque,& bonis ſpoliatus,non quidem formidine, ſed Spiritus ſancti monitu latebras quæſivit, ne per ejus præſentiam perſecutio in cæteros fideles acriùs ſæviret,ut idem ipſe teſtatur, tum ad Clerum ſuum, tum ad Romanum, de ratione ſui ſeceſſus ſcribens. Tunc plures ad ſolitudines montium confugiebant: inter illos Hieron. Paulum Anachoretarum anteſignanum in Thebaïdem ſeceſſiſſe recenſet. Porrò Cornelius poſt glorioſam,cùm ſuam,tùm totius Cleri ſui confeſſionem, una cum maxima ejuſdem Cleri parte exul miſſus eſt ad Centumcellas, audiens autem Voluſianus ſucceſſor Decij abſorpti in paludem Cornelium frequenti cõcurſu Fidelium, & abſentium litteris viſitari eundem Romam accerſivit, & tanquam ea fierent contra Rempublicam, quódque recuſaret Diis ſacrificare capite truncari juſſit.

SCHISMA I.

Novatus Epiſcopus Africanus Romæ

nunc exiſtens diſſenſionem concitavit, videns enim Novatianum Preſbyterum Romanum, qui ex Philoſophia, & dicendi peritia magnum faſtum ſibi comparaſſet, ob Cornelij electionem invidiæ ſtimulis agitari, cœpit unà cum illo adversùs Cornelium agere, & multa de eo falſa jactās, alios quoſcunque ab ejus communicatione retrahere; adeò ut etiam nonnullos ex Confeſſoribus qui nuperâ perſecutione vincula ſuſtinuiſſent in partes ſuas traxerit, ita ut Novatianum per tres rudiores, ac ſimpliciores Epiſcopos, vi ac fraude adductos, eoſdémque ebrios redditos clandeſtinè ordinarint Romanum Epiſcopum, qui ſecundùm Regulas Eccleſiaſticas non debuiſſet in Clerum aſſumi, quòd in lecto ægrotans Baptiſmum ſuſcepiſſet ſícque non liberè, ſed timore mortis Chriſtianus factus videretur, idémque nec cætera quibus poſt Baptiſmum imbui oportet, non accepiſſet, neque Confirmationis Chriſma, factúſque Presbyter, in perſecutione ſe Presbyterum negaſſet, idem verò adeò fuit in fulciendo ſchiſmate ſacrilegus, ut etiam in diſpertiendâ ſanctiſſimâ Euchariſtia ſuos cogeret jurare per Corpus & ſanguinem Chriſti, ipſos nunquam deſerturos illum, nec ad Cornelium reverſuros, patent hæc ex Cypriani Epiſt. 42. 52. & in ea quam Cornelius ad Fabian. Antiochenū Epiſcopum titubantem ſcripſit. Intereà dum contigiſſet Novatum unâ cum aliis quibuſdam Schiſmaticis Româ in Africam ad evertendam illam Eccleſiam legationem ac-

Digitized by Google

cepiſſe, fœliciter accidit, ut qui ab eodem Novato Romæ fuerant ſeducti Confeſſores, cognito dolo & malitia hominis (nam Lapſos, ſeu Apoſtatas in Cyprianum concitarat in Africa, quòd non protinus in Eccleſiam reciperet, ſed ex Decretis Eccleſiaſticis juberet prius agere pœnitentiam : jam verò mutans pro occaſione larvam more omniũ hæreticorum criminaretur Cornelium, quòd lapſos pœnitentes reciperet in Eccleſiam) errorem ſuum depoſuerunt, & Cornelium Papam legitimum agnoverunt ſpeciali profeſſione, cujus formula habetur apud Cypr. Epiſtola 46. &c. Novatianus autem addens ad Schiſma & hæreſim aſſeruit lapſos Dei judicio relinquendos, nec ullum eorum habendum eſſe diſcrimen criminúmve diſtinctionem.

Anno 255. habitâ eſt Romæ Synodus illa maxima, ut vocat Euſeb. 60. Epiſcoporum, totidemque Presbyterorum unà cum Diaconis adversùs Novatianum & ſectatores ejus, additque & per ſingulas ubique Provincias alios Epiſcoporum Conventus in eadem cauſa habitos eſſe, ac tandem ab omnibus eſſe decretum Novatianos omnes ab Eccleſia excluſos eſſe Lapſos autem poſt pœnitentiam recipi debere Cornelius ſedit annos duos m. 2. dies. 3.

NOTA, Lapſos ſeu deficientes à fide fuiſſe in multiplici differentia. Cyprianus aliquos vocat *Sacrificatos*, vel *Thurificatos*, qui quomodocumque guſtaſſent immolata diis, aut immolaſſent, vel thus obtuliſſent; alios

verò *Libellaticos*; ij autem erant qui Chriſtũ publicè negare erubeſcentes privatim id per ſe, vel per alios ſuo nomine facerẽt, & à Magiſtratibus libellos ſecuritatis impetrarẽt, ne amplius inquirerentur ſolutâ pro hujuſmodi diſpenſatione pecuniâ. Hinc Carthaginẽſis, & Romana Eccleſia *Libellaticos* damnavit. In iis autem non cenſentur Libellatici dicendi, qui pretium ſolverent, ne cogerentur negare fidem nam nullum crimen eſt vexationem à Gentilibus pecunia redimere, cùm ex præſcripto Evangelij Matth. 10. fuga licita ſit, *Cùm vos perſecuti fuerint in una civitate fugite in aliam*, & Chriſtiani ſæpè latebris vel fuga ſe ſubducere ſolerent à furore perſequentium, niſi privatus impulſus Spiritus ſanctialiter faciendum aliquibus ſuaderet, quod Cyprianus exemplo ſuo docuit, Athanaſius, & alij. Quidquid in contrarium hæretici Montaniſtæ dicant, qui nefas ducebãt captare fugam tempore perſecutionis : imò lego Eccleſias certam pecuniæ ſummam tanquam tributũ pendere conſueviſſe Principi, ut non ſolum redemptione martyrij privatim quiſque ſibi conſuleret, ſed ut ipſe ſuos Conventu- poſſent celebrare. Sic Act. 17. Jaſon, & alij diſcipuli Pauli ſatisfactione datâ, hoc eſt, ut olim expoſuit S. Petrus Epiſc. Alexandrin. pecuniæ largitione ſe redemerunt à vexatione Gentilium, & Judæorum Theſſalonicenſium, juxta quod dicitur Proverb. 13. *Pretium redemptionis anima hominis propria divitiæ*.

Digitized by Google

256 LUCIUS Romanus poſt 35. dies ſuffectus eſt unus ex Presbyteris confeſſoribus, qui cum Cornelio exulaverant. Hunc verò non poſt multum temporis à creatione ſua relegatum apparet in lib. Rom. qui habet ſtatuiſſe, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi in omni loco Epiſcopo aſſectarentur, nec deſererent *propter teſtimonium* ait, *Eccleſiæ*, hujus decreti ſanciendi cauſam dediſſe putantur calumniæ in Cornelium Lucij deceſſorē à Novatiano confictæ. Hoc anno obiit Origenes, de quo dictum ab antiquis, *Vbi bene nemo melius; ubi male nemo peius*, Lucius in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ & Hiſp. excommunicat expoliantes bona Eccleſiæ, traditque Rom. Eccleſiam eſſe Apoſtolicam matrem omnium Eccleſiarū, quæ à tramite Apoſt. traditionis nunquā erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit ſecundùm Domini pollicitationē Luc. 22. *Rogavi pro te Petre, &c.* Miniſtros Altaris continentes elegi mandavit, quibus & cum mulieribus contubernia & frequentationes prohibuit. Paſſus eſt ſub Valeriano Imp. quarto Nonas Martij; hincque colligitur ſe diſſe in 2. uſque annum incœptum, ſepultus eſt in cæmeterio Caliſti.

257 STEPHANUS Romanus poſt 35. dies creatus eſt Archidiaconus Lucij. Hoc anno Cypryan Synodum celebravit in Africa, ad quam inter alia perlata eſt querela quòd moriens Chriſtianus homo Presbyterum filiis ſuis tutorem ex teſtamento nominaſſet

contra Eccleſ.canones. Quod facinus ſeverè admodum ulta ſancta Synodus, ſecundum antiquam diſciplinam cenſuit ne pro eodem defuncto Sacrificium offerretur, aut preces frequentarētur in Eccleſia, ut ſic cæteris daretur exemplum, ne quis Sacerdotes Dei miniſterio, & Altaris mancipatos curis ſæcularibus implicaret. Hic vide ſolitū fuiſſe miſſas celebrare pro fidelibus defunctis. Anno 258. Novationorū occaſione, & Cataphrygum magna in Eccleſia agitata eſt controverſia, *Num qui ab hæreticis, baptizati erāt cùm ad Eccleſiam Catholicam ſe conferrent eſſent denuò baptizandi.* Quod enim utrique iidē hæretici ſoliti eſſent, quos pervertiſſent Catholicos rebaptizare tanquam immundos, id provocavit quoſdam Epiſcopos Catholicos, ut & ipſi quos ad Eccleſiam redeuntes ſuſciperent hæreticos, denuò baptizarent, rati apud ſe ſolum, nempe in Eccleſia Catholica, verùm eſſe baptiſma. At non quidem in Africa hoc à tempore Cypriano tātùm ejuſmodi cœpta eſt controverſia agitari, ſed primo ea mota eſt in Oriente; eā nimirum occaſione quòd *Iconium* in Phrygia convenientes finitimarum Provinciarum Epiſcopi in odium Cataphrygū ſtatuiſſent, nihil eorū quæ ab hæreticis facta eſſent recipiendum eſſe ab Eccleſia Catholica, non ordinationes, non baptiſmum, non manuū impoſitionem, nec aliud quodvis ſacrum, teſtatur hæc Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, qui interfuit in Epiſtol. ad Cypryan. Aliarum in eandē ſententiā cele-

Digitized by Google

bratarum in Oriente Synodorum meminit Dionyſius Epiſc. Alexandrinus,qui & addit tam eundem Firmilianum,quàm alios ejuſdem opinionis ſectatores,ab Stephano Papa, Apoſtolicæ Sedis cõmunione privatos eſſe. Cyprianus ergo Cõcilia cogit Carthagine, & concludit rebaptizationem Stepheanum per Synodicum certiorem facit de decreto: deſcribit Papa, *Si quis à quacunque hæreſi, ad Eccleſiam eveniret*, NIHIL INNOVARETUR, NISI QUOD TRADITUM EST. (nempe ſervaretur) ut manus illi imponeretur in pœnitentiam. Sic Papa ex ſola authoritate Traditionis confutat omnia, quæ ex Scriptura,vel rationibus ob robur ſuæ ſententiæ coacervarat Cyprian.ſpecialiter ex Epheſ 4. *Vna Fides, una Spes, unum Baptiſma,* quæ apud hereticòs non ſunt.Proh! dolor: Cyprianus non ferens veram Sedis Apoſt. definitionem Stephano notam inuſſit ſuperbiæ, & imperitiæ, & quod hæreticorum cauſam cõtra Eccleſiam Dei aſſerere conaretur,non quidem id agens, ut legitimas traditiones impugnaret, ſed ut quam Stephanus Traditionem prætendebat, haud de Apoſtolico fonte dimanare demonſtret, ſed ob repentẽ errorem eſſe pravámque conſuetudinem Hieron adv.Lucifer Auguſt.lib.2.cont. Donat.hoc de Cypriano exprimunt,quod conteſtationem fecerit in Synodo 1.& 2.quàm habuit, de pace & unione conſervanda cum iis qui secùs ſentirent,ut videre eſt in libello *de Bono Patientiæ*,quem ſcripſit in quo docet, ut quiſque adverſantem ſibi fratrem

æquanimiter ferat. Porrò Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincent. & lib. cit. affirmat Cyprianum mutaſſe ſententiam, & Stèphano adhæſiſſe, qui martyrium pro Eccleſia obiit. Idem fecerunt Epiſc. Africani.

Anno 259. ſæviit perſecutio, quæ ſubſtulit illuſtriores Chriſtianos, quorum plerique ipſius Stephani in cryptis ut plurimùm latentis prædicatione, & miraculis converſi fuerant. Legitur in lib. Rom. quod conſtituerit ut *Sacerdotes & Levitæ ſacratis veſtibus in uſu quotidiano non uterentur, ſed tantummodo in Eccleſia eáque non contingerentur, aut ferrentur niſi à Sacratis hominibus* ne ultio Baltaſaris in præſumentes veniat. Multi ſcribunt Stephanum ordinaſſe qualia debent eſſe veſtimenta quibus cultus divinus celebratur. Lucillæ filiæ Nemeſij Tribuni viſum dedit, & baptiſmum, decollatus eſt ante altare, in quo Miſſam fecerat, & cum ſua ſede ſanguine ejus reſperſâ ſepultus in cæmet. Caliſti Pontificatus ſui an. 3.

SIXTUS II. natione Græcus, Athenienſis Philoſophus poſt 22. dies ſubrogatur, ſævit ubique crudeli edicto Valeriani Imp. perſecutio, qua ob denegatum ſimulachro Martis ſacrificium capite truncatur, cùm ſediſſet menſes undecim, dies 12. & Laurentio poſt triduum coronam prædixiſſet. 260

DIONYSIUS, Græcus, qui aliquando vitam monaſticam ſolitudine egerat ſubſtituitur poſt 35. dies, quem à Maximo 261

Digitized by Google

Epiſcopo Oſtienſi conſecratum fuiſſe, habent Acta S. Laurentij. Hoc anno Cyprian. Epiſc. Carthag. poſt integrum annum exilij martyrium ſubit capitis abſciſſione, juxta Carthag. muros. Liber Rom. tradit Papam anno 270. ſcripſiſſe epiſtolam ad Severum Epiſc. Cordubenſem de Parochiarum diviſione, ipsúmque Presbyteris diviſiſſe Eccleſias, & Cæmeteria, Parochiáque & Diœceſes conſtituiſſe. Quod cùm à prædeceſſoribus id factum reperiatur, intelligendũ eſt, quòd in perſecutione Valeriani ab Eccleſiis avulſi eſſent Presbyteri & cæmeteria prohibita illo ſublato, & à Galieno reſtituta pace Dionyſium eaſdem Parochias aliis aſſignaſſe Presbyteris Paulum Samoſatenum Epiſ. Antiochenum negantem Chriſti deitatem compreſſit, & Sabellium negantem perſonarum divinarum diſtinctionem confutavit, non ſolùm definitione Conciliorum, ſed & libris duobus conſcriptis, ita benè meritus de Eccleſia feliciter migravit ad Dominum cùm ſediſſet annos undecim, m. 3. dies 14. ſepultus eſt in cæmeterio Calliſti.

273 FELIX Romanus, poſt dies 5. eligitur: Decrevit ne Miſſa præterquam in loco ſacro celebraretur, eáque ſuper ſepulchra, aut memorias martyrum: quod cùm longè ante Eccleſia id faceret edocta ab Apoc. 6. *Vidi ſub Altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei.* Altare fuiſſe ſepulchrum martyrum docent Interpretes dicendum eſt Felicem ſtabiliſſe decreto, quod priùs; ſim-

p̃lici traditione ſervabatur: ſicut & de aliis ejuſmodi rebus ſæpiùs jam notavi: ſcripſit Epiſtolas adversùs Samoſaten,& Sabellium: martyr occubuit cùm ſediſſet ann.2. m.5.

EUTICHIANUS, Tuſcus, poſt 5. dies ſubrogatur: multa ejus decreta extant apud Gratian.inter illa. *Quam duxit fidelis uxorem ante Baptiſmum liberum ei eſſe habere, vel non habere.* Decrevit excommunicandos Chriſtianos,qui ebrietatis vitium vitare noluerint 342. Martyres per diverſa loca manu ſua ſepelivit, vetuit *ne martyres ſine Dalmatica,* aut colobio purpurato,quod eſt tunica ſine manicis *ſepelirentur.* Quod autem lib.Rom.refert eum conſtituiſſe *fruges fabas, & uvas ſuper Altaria benedici,* id cùm jam uſus obtinuiſſet in Eccl.decreto ſuo corroboravit,ut magis obniteretur Manichæorum erroribus,qui quòd à malo principio creaturas exortas,ac propterea execrabiles eſſe dicerent, eis pariter maledicebant, ut præter alios docet Cyril. Hieroſ. catech. 6. paſſus eſt ſub Numeriano Imp. cùm ſediſſet ann.9. 275

CAIUS, natione Dalmata, ex genere Diocletiani poſt dies 9. præfectus eſt, ſubſequenter Diocletianus acclamatus eſt Imperator,menſe Maïo, qui anno 3 Maximianum collegam Imperij ſibi adſcivit.; poſteà verò immanem in Chriſtianos ſuſcitavit perſecutionem Romæ, ut nulli quicquam, vel vendere, vel emere liceret, niſi 284

parvis quibuſdam ſtatuis ubique paſſim collocatis thura priùs incenderent: eſſentque conſtituti circa Inſulas vicos,& aquas compulſores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi poteſtatem facerent, niſi iis qui libaſſent idolis. Hoc edictum manaſſe ad reliquas orbis partes aliquot poſt annis teſtatur de Gallis Beda tomo 3. Aretas Epiſc. Cæſarien. oratione de SS. Martyribus Curiâ atque Saniosâ Cauſam initæ perſecutionis dedere Pontifices Gentilitiæ perſecutionis Chriſtianis infenſiſſimi, & more ſolito calumniantes eos quaſi aliquid contra Imperium molirentur. Caïus latebras aliquandiu frequentavit, ob crudelitatem Diocletiani, qui affines ſuos Chriſtianos *Suſannam* filiam Gabinij fratris Caij, ipſum Gabinium, & alios ferro,& igne conſumpſit. Caïus unà cum ipſis perit. Quod autē habet lib. Rom. ab eo conſtitutum, ut per omnes ſeptē Ordines ad Epiſcopatum aſcenderetur, cùm ab Apoſtolis id inductum ſit, firmatum à Caïo credendum eſt, ne quis Epiſcoparetur, niſi qui in ſingulis ordinibus conſueto tempore miniſtraſſet. Sedit ann. 12. incœptos.

296 MARCELLINUS Romanus, poſt dies 11. ſubrogatus eſt: quem quidē ſic poſt Caïm Euſebius,& alij eum ſecuti, poſuerūt, ut Marcellum qui Marcellino ſucceſſit, omninò prætereuntes, ex ambobus ob nominis ſimilitudinem unum conflarint, verū Chronologi duos agnoſcunt. Quos ipſa ſua ipſorum Acta plus ſatis ab invicem diſtinguunt.

Anno Chriſti 301. Marcellini 6. Dioclet. 18 Perſis, ac Parthis penitus devictis cùm coregnantes Dioclet. & Maximian. triumphũ agerent Romæ de tanta felicitate, quam diis acceptam ferebant, quam ad majorem eorum gratiã promerendam unanimiter conſilium inierunt, infeſtum diis Chriſtianum nomen prorsùs extinguere, adeóque de inferendâ univerſis toto Orbe Chriſtianis ſæviſſimâ omnium perſecutione edicta promulgarunt. In actis autem *S. Sabini* Epiſcopi Spoletini & illuſtris martyris, traditur quòd is Calendas Maïas Maximiano Imp. Ludos Circenſes in Circo Maximo Romæ ſpectante acclamatum ſit à populo *Chriſtiani tollantur* duodecies, & *Chriſtiani non ſint* decies, atque ex eo factũ, ut Eugenio Hermogiano Præfecto Prætorio referente in Senatu de Perſecutione in Chriſtianos decernendâ, eadémque decreta Maximianus pridie Calendas Maïas ad Venuſtianum Auguſtalem reſcriptum dederit, cur ubicumque Chriſtiani inventi eſſent, aut ſacrificare Diis cogerentur, aut pœnis ſubjicerentur eorúmque facultates Fiſco vindicarentur.

Anno ſequenti perſecutio novis aucta eſt edictis promulgatis menſe Martio; fuerunt autem illa edicta, ut ait Euſeb lib. 8. hiſt. c. 3 ut diruerentur Eccleſiæ, & omnes Chriſtianorum Scripturæ igni traderẽtur, & qui honores fuiſſent adepti, deponerentur, cæteri verò libertate privarẽtur; denique ut omnes ubique Eccleſiarum Præſides conjicerentur in vincula, & quibuſcumque adhibitis ma-

chinis cogerentur immolare diis. Quanta inde fuerit ſtrages Chriſtianorum aperit Liber Rom. qui 17. millia Martyrum uno in menſe(totius decem annorum temporis,quo ea poſt hæc perduravit aucta,& ferocior perſecutio) recenſet. Adeò acerbè graſſata eſt perſecutio, ut à Gentilibus creditum fuerit Chriſtianam Religionem eſſe penitùs abolitam, ac de ſubactis deletiſque Chriſtianis columnas erexerint. Hæc enim Cluniæ in Hiſpania inſcriptio legitur:

DIOCLETIAN. JOVIUS. MAXIMI. HERCULEUS CÆS. AUG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMPE. ROM. ET NOMINE CHRISTIANORUM DELETO QUI REMP. EVERTEBANT.

Rursúſque ibidem hæc altera, DIOCLETIAN. CÆS. AUG.

GALERIO IN ORIENTE ADOP. SUPERSTITIONE CHRISTI, UBIQUE DELETA. CULTU DEORUM PROPAGATO.

Nec verò in Hiſpanis tantum erecta fuiſſe trophæa de Religione Chriſti proſtrata credendũ eſt,ſed toto Orbe Romano ſimiliter factitatum, Marcellinus minis ac terroribus inductus Deorũ ſimulachris thus adhibuit, ſed pœnitentia ductus Sinneſſum Cãpaniæ urbem (ubi Concilium 180. Epiſcoporum coactum

coactum erat) cilicio inductus, ac ſqualidus venit, petens pro inconſtantia juſtis pœnis puniri. Verùm à nemine damnatus fuit, cunctis clamantibus eadem animi infirmitate, & Petrum deliquiſſe, ac veniam ſimilibus lachrymis fuiſſe aſſecutum à Deo, *Tuo te ore*, inquiunt, *non noſtro judica, nam prima Sedes à nemine judicatur.*

Marcellin. Romam reverſus Imperatorem adit, graviter eum accuſans, quòd ſe ad tantam impietatem impuliſſet; qui iratus ipſum cum pluribus aliis ſupplicio affecit, cùm præfuiſſet Eccleſiæ ann. 8. cùm verò interfectorum corpora jacuiſſent inſepulta juſſu Diocletiani 36. dies Marcellus Presbyter à S. Petro in ſomnis admonitus honorificè ſepelienda Presbyteris, & Diaconis, ac luminibus adhibitis ea in cæmeterio Priſcillæ condidit.

MARCELLUS, Romanus, ex Presbytero eligitur Papa, poſt 25. dies, ſub Conſtantino, & Galerio Imp. nam Diocletian, & Maximian, ſe abdicarant: primus Nicomediæ. Max. Mediolani, uno eodémque die purpuram deponentes, prætexentes fortunæ ſatietatem, & amorem mutationis; ſed privatim amicis fidelioribus, fatentes ſe id mœrore, & deſperatione agere, quòd cum ſperaſſent immanibus ſuis perſecutionibus Chriſtianam Religionem radicitùs excidere, tamen præter expectationem viderent eam fœcundiori germine propagari. Perſeverat perſecutio nomine eorum quorum edictis 304

inducta fuerat. Hinc multi variis in regionibus Martyres, anno 306. Galerius duos Cæſares creavit Severum & Maximinum: illum præfecit Italiæ: iſtum Orienti. Hic conſule quæ notavi art. 36. fol. 1073.

Quievit perſecutio ſub Maxentio occupatore Imperij Romæ, qui ut Chriſtianos à Conſtantino dato ei in collegam averteret, pacem dedit ubique Eccleſiis occidentalibus, eâ bene uſus Marcellus, ait Lib. Rom. *Viginti quinque Titulos in urbe conſtituit; & quaſi Diœceſes propter Baptiſmum, & Pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis, & propter ſepulturas martyrum.* Videtur illud à Maxentio conceſſum, ut corpora Chriſtianorum martyrum liceret ſepelire intra urbem, quod omnibus vetitum olim erat lege duodecim Tabularum, ut notat Cic. *lib. 2. de legibus.*

Maximinus interea perſecutionem renovat in Oriente. Maxentius autem vafer, quam ſimularat fidem, ut Chriſtianos Romanos, & Afros ſibi devinciret, eidem penitus renunciavit, poſtquam extinctis Severo Cæſare in Italia, & Alexandro in Africa res novas molientibus, firmaſſe Imperium ſibi viſus eſt. Quapropter Marcellum componentem Eccleſiam Romanam longa perſecutione diſſipatam comprehendit, & quod diis ſacrificare renuiſſet damnat in catabulum (ſtabulum ſcilicet jumentorum publico uſui adſcriptorum) rémque inde poſt novem menſes à Clericis ſuis noctu erectus, & à Lucinâ viduâ receptus ejuſdem Lucinæ domũ,

Digitized by Google

in Eccleſiam convertiſſet, quæ hodie titulo B. Marcelli nominatur, ibique munia Eccleſiaſtica obiret: his auditis Maxentius in eam Eccleſiam Catabuli beſtias transferri, & à Marcello earum ſervitio iterum deſtinato curaret jubet, ubi loci fœditate nudus, & cilicino habitu amictus multis ærumnis afflictus, poſt multos dies defunctus eſt, cùm ſediſſet annos quinque m. 1. d. 25. Extat Epiſt. ejus decretalis ad Epiſcopos Antioc. de primatu Eccleſiæ Romanæ, quam cap. Eccleſiarum appellandam demonſtrat, ad quam omnes Epiſcopi recurrere debent, ut inde recipiant liberationem, unde acceperunt informationem & conſecrationem, ubi etiam illud ſcriptum eſt nullum Concilium jure celebrari, niſi ex authoritate Rom. Pontificis.

EUSEBIUS Græcus quondam medicus poſt dies 20. creatus eſt, decrevit: *Sacrificium altaris, non in ſerico panno aut tincto, ſed in puro lineo ab Epiſcopo conſecrato celebrari.* Sic corpus Chriſti in Syndone munda ſepultum fuiſſe conſtat. Definivit *Sacramentum Confirmationis perficiendum à ſolis Epiſcopis, nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis peractum. Et ſi aliter præſumptum fuerit irritum haberi, & vacuum.* Anno ejus 3. imperante Maximiano in Oriente, cum decimus, at ultimus declinaret perſecutionis annus, tamen Gentiles ſatiati ſanguine effuſo, non deſtiterunt in aliquos graſſari. Hoc enim anno contigit martyrium Luciani piiſſimi & doctiſſimi 309

Presbyteri Antiocheni, qui cum Nicomediam ductus, ubi agebat Imperator apologiam coram ipſo, pro Chriſtiana religione dixiſſet in carcerem conjectus eſt. Vide Euſebium, libro nono, capite quinto & Acta ipſa Luciani. Sedit Euſebius annos 2. menſ. 7. dies 25. ut habet judex Creſconianus, neſcio an martyrio coronatus, Confeſſione tamen talis.

311 MELCHIADES, natione Afer poſt 8. dies ſubrogatur, extat ejus Epiſtola ad Epiſc. Hiſp. docens præeminentiam poteſtatis Petri in Apoſtolos: vetuit Jejunium die Dominico, & die quinto, quia invaleſcentibus tunc per urbem Manichæis ſolemne erat; inſtituit propagationem panis benedicti in ſymbolum unionis inter Fideles, vide quæ notavi fol. 619. Sedit ann. 2. men. 2. dies 7. martyr ab aliquibus conſignatus ex Confeſſione, ut notavi.

314 SYLVESTER, Romanus ex Presbytero ſubrogatus in deceſſoris locum Petri claves ſuſcipit anno 9. Imperij Conſtantini, quo Maximini miſerandus contigit exitus. Ceſſat ubique perſecutio, & pax reſtituitur; quare Sylveſter inveniens Conſtantinum optimè in Chriſtianos animatum, ei auctor eſt ut varia Templa ad Dei honorem ædificet. Quorum primum in domo Lateranenſi conſtructum dedicavit, ac conſecravit ritu, qui nunc eſt in uſu, conſecravit quoque Baſilicam D. Petri extructam in vaticano. Vide

quæ de liberatione Eccleſiæ ſcripſi fol. 1073. Hoc Pontifice Chriſtianiſmus excrevit fœliciter, nam ad Indos uſque penetravit per Frumentum Tyrium, qui etiam Alexandriæ conſecratus Epiſcopus in Indiam reverſus doctrina ac miraculis Indos ad Chriſtum convertit. Silveſter multa Decreta fecit Eccleſiæ Dei utilia: *Vt à ſolo Epiſcopo Chriſma conficeretur. Vt Presbyter baptizati verticem Chriſmate liniret, ut Diaconi Dalmaticis in Eccleſia uterentur, & palla linoſtima ad lævam uterentur. Præſcripſit tempus exercendi Ordines ſuſceptos.* Primus Pontificum uſus eſt Phrygiâ mitrâ, cúmque creaſſet 65. Epiſcopos, 42. Presbyteros, 36. Diaconos, ſediſſet ann. 21. menſ. 11. obdormivit in Domino.

Nicænum Concilium Generale I.

Anno Chriſti 325. Sacro-ſancta OEcumenica Synodus Nicææ in Bithynia celebrata eſt, ubi præſidentibus Legatis Sylveſtri, qui ætate præpeditus accedere non poterat, præſentéque Conſtantino & 318. Epiſcopis ſancta &

Catholica fides explicata eſt, Cauſa autem ejus indicenda S. Athanaſ. lib. de Synod. Euſeb. lib. 3. de vita Conſt. Chryſoſt. hom. 10. ad pop. tradunt ut Orientali Eccleſiæ ſubveniretur, quæ Ariana hæreſi invaleſcente, & Quartadecimanonum errore maximè apud Syros, Cilices, & Meſopotamos infectabatur. Arrius accerſitus, cum ſuis fautoribus propoſuit quæcunque Filium Dei ab æterna, atque ineffabili Patris *ſubſtantia ſeparare videbantur concludere. Decretum fuit à trecentis & uno Epiſcopis Filium Dei* ὁμȣ́σιον *hoc eſt, conſubſtantialem eſſe* Patri. *Exemplárque* Profeſſionis *fidei, ſeu Symbolum ab Euſebio* Pamphilo *fuit conſcriptum Cæſareæ* Pale*ſtinæ Epiſcopo, & ad* Pa*ſcha ritè celebrandum* Cyclus *novemdecennalis fuit compoſitus, aurei numeri, cujus initium auſpicaretur primo anno Imperij Diocletiani, Canones quoque editi 20. & Synodales litteræ Miſſæ Alexandriam, atque in Ægyptum, & ad alia loca: omniáque ſubſcripta, ac ſignata fuere* Thalia, *hoc eſt, Convivium liber Arrij, quem edide-*

rat, & quæcumque ſcripta ejus, & ſectatorum Conſtantinus ubique comburi juſſit, pœnâ capitis adverſus occultatores ſancitâ, ut narrat Soſomen.

MARCUS, Romanus ſubrogatur poſt dies 15. conſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis pallio uteretur, quando conſecrat, ut moris eſt, Papam. Inſtituit ut recitato Evangelio in Miſſa Symbolum Nicænum à Clero, & populo decantaretur. Duas extruxit Eccleſias alteram in urbe aliam viâ Ardeatinâ, ejus anno Arrius moritur infami obitu, divertens enim ad latrinas publicas Conſtantinopoli, ut ventrem exoneraret, ibi medius crepuit effundens unà cum excrementis viſcera omnia ſplen & jecur, ut Athanaſ. Socrat. Soſomen. Theodoret Ruffin. affirmant. Sedit Marcus menſes 8. dies 22. 335

Infam. obitus Arrij.

JULIUS, Romanus poſt 20 dies eligitur: ſub eo univerſus Oriens tumultuabatur ob hæreſim Arrianam & fautorum in Athanaſium odium hoſpitalitatis commendatur, quod Epiſcopos ad ſe venientes profugos benignè exceperit, præcipuè Athanaſium, in cujus cauſa Romæ Concilio habito 50. Epiſcoporum eum innocentem declaravit, & Sedi ſuæ Alexandrinæ reſtituit. Quàm autem proficuus fuerit Athanaſij Romam acceſſus, vel ex eo poteſt intelligi, quòd in Urbe divulgans vitam admirandam Antonij 336

Magni adhuc viventis, Monaſteriorum quoque in Thebaïde Pachomij, & Virginum, & Viduarum, invexit primus omnium diſciplinam: quam ad omnes Evangelicæ perfectionis numeros attemperatam etiam nobiliſſimæ fœminæ conſectari cœperunt. Sicut de S. Marcella teſtatur Hieron. Romæ item cùm eſſet Athanaſius inſigne fidei ſuæ reliquit monumentum Symbolum, quòd hactenùs Athanaſij nomine in Eccleſia Catholica publicè recitatur. Indixit Concilium Sardicenſe, in quo diverſorum Antiſtitum cauſæ tractatæ ſunt, Canones 21. ſanciti pro diſciplina Eccleſiaſtica, quam Arriani pluribus modis convallabant, & ſtatutum eſt, ut ſi quis in judicio Com-Provincialium Epiſcoporum ſe injuſtè damnatum putaret, liberum ei eſſet provocare ad Rom. Pontif. qui vel judicata confirmaret, vel denuò eandem cauſam cognoſceret. Sedit Julius ann. 15. men. 5. dies 17.

352 **LIBERIUS Romanus, poſt dies 26. ſubrogatur dum Conſtantius, filius Conſtantini Magni, Arrianorum fautor regnat, jam ab annis 16. qui jubet Liberio, ut ſubſcribat condemnationi Athanaſij: detrectanti autem (quòd nefas ſit hominem inauditum condemnare) iraſcitur, eúmque tandem prævalentibus Arrianis relegat in Bœream Thraciæ. Interim in ejus locum Felix Rom. Eccleſiæ Diaconus ſuffectus eſt anno 4. ab Acacio Epiſc, Cæſarien. Arriano id operante.**

SCHISMA II.

FELIX non poteſt dici ſubrogatus, ſed intruſus, nam ſuperſtite Liberio, eóque confeſſionis gloria celebri nullus canonicè Sedem Romanam tit. Rom. Epiſcopi occupare poteſt, adde quod,ut ſcripſere Hieron. & Athanaſ. Felix ordinatus dicitur à tribus Arianis Epiſcopis, ideóque nulla & irrita fuit hæc ordinatio, ut non ſit mirum, quod ſcribit Theodoret. lib 2. cap. 17. nemo ex Romano populo in Eccleſiam,dum Felix intus eſſet, ingredi vellet. Certum itaque habeatur Felicem non eſſe inter Romanos Pontifices computandum toto illo biennio quo ſedit, cùm Liberius legitimus Pontifex exularet.

Anno 356. Conſtantinus Imperator in urbem ſe contulit triumphum agens de Magnentio Tyranno extincto, cujus pompa ab Ammiano deſcribitur lib. 16. Ibi autem cum eſſet, inquit Theodoret. inſtant Matronæ Romanæ de reſtituendo Liberio, cujus reditus notatur anno ſequenti, quo victus tædio exilij biennalis ſubſcribit damnationi Athanaſij, & fidei formulæ in Syrmienſi Concilio Arrianorum editæ defectivæ vocis *Conſubſtantialis*, quâ tamen aſſerebatur Filium Patri tam ſubſtantiâ, quàm cæteris omnibus eſſe ſimilem; quam quidem S. Hilarius interpretatus, agnoſcit eſſe Catholicam, quippe cui nihil deeſſet præter vocem *Conſubſtantialis*. Hinc Liberius malè audit, quaſi

Conſubſtantialitatis Nicænam vocem damnaſſet, quod non eſt verum, longè enim aliud eſt damnare conſubſtantialitatem, aliud vocem illam ſilentio præterire; nam aſſeverando Filium ejuſdem eſſe cum Patre ſubſtantiæ, idem eſt, ac ſi profeſſus eſſet Conſubſtantialitatem. Quocirca Liberius nullo modo dici poteſt hæreticus. Quòd autem ſubſcripſerit Regulæ fidei ab Hæreticis conſcriptæ, & cum iiſdem communicaſſet, ac denique Athanaſij condemnationi conſenſiſſet, cujus tanta exiſtimabatur cauſa, ut qui in eam ſubſcriberent Nicænæ pariter fidei contraîre exiſtimarentur. Ex his, inquam factum eſt, ut à Catholicis exiſtimatus fuerit in hæreſim ſubſcripſiſſe. Itaque hac Syrmienſi approbata fide Conſtantius dat Liberio poteſtatem revertendi Romam, addit Soſomenus Epiſcopos Concilij ſcripſiſſe litteras Felici, ac Clero Romano, ut Liberium reciperent, & ambo Apoſtolicam Sedem adminiſtrarent. At Clerus populúſque audito conſenſu Liberij Conſtantium, & Arrianos junxit ſe Felici, jã extollenti & propugnanti Catholicam fidem adversùs Liberium. Jámque Felix legitimus declaratur à Clero populóque Rom. Pontifex. A quo tempore vix reperio quantum ſederit: Liber Rom. dat ei annum, & tres menſes totidémque dies.

356 FELIX II. Romanus recenſendus inter Pontifices Romanos, licèt ingreſſus ejus fuerit vitioſus, & tempus Sedis ejus incluſum habeatur Pontificatu Liberij, cujus præſum-

pta hæreſis fuit ſufficiens motivum Clero Romano abdicandi eum: quod ſine dubio fecit; legitimúmque declaravit Pontificem Felicem, quando prævaricationem Liberij audivit, cùm autem legitimè ſedere cœpit Felix condemnavit Cōſtantium Imperatorem, ob quam obtruncatione capitis martyrium conſummaſſe in civitate Cœre docet Martyrologium. Hoc jam plenè conſtat, nam tempore Gregorij XIII. cùm ageretur de emendatione Martyrologij, & de Felice non levis controverſia incidiſſet, an expungendus eſſet ob vitioſum ingreſſum ejus, vel abſque martyrij titulo relinquendus, ac demùm ob innumeras Doctorum contrarias aſſertiones, idem Felix causâ fermè cecidiſſet, accidit Dei providentiâ eo ipſo tempore 1582. ut cùm in Diaconia SS. Martyrum Coſmæ & Damiani in Foro Romano, clam quidam Altare ſuffoderent, ut theſaurum invenirent, quem acceperant ibi eſſe reconditum, in arcam marmoream inciderent in cujus altero latere corpus S. Felicis inventum ſit cum laterculo lapideo ibidem intus poſito hiſce litteris exarato: CORPUS S. FELICIS, PAPÆ ET MARTYRIS, QUI DAMNAVIT CONSTANTIUM. Quod contigit pridie ejuſdem diei, quo ejuſdem S. Felicis in Eccleſia natalis dies agi conſuevit, quarto Calendas Auguſti.

LIBERIUS itaque cum litteris ſuprà dictis Romam rediens quaſi Victor in Urbem intravit, verum qui expetitus anteà fuerat ab omnibus, jam quòd adeò turpiter con-

ſenſiſſet Conſtantio, omnium animos à ſe abalienatos invenit, & Felici addictos, unde magna turbatio Romæ, ac planè perſecutio facta eſt à Magiſtratibus adversùs eos, qui non parerent litteris Imperatoris pro Liberij reſtitutione conſcriptis, ita ut intra Eccleſiam Clerici, & Presbyteri plures necarentur, nec Liberio communicare vellent, tunc fortè capite plexus eſt Felix, quo defuncto nullus in locum ejus ſubrogatus eſt, quia Liberius abruptâ penitus quæ recipiendæ Sedis causâ intercesſerat, cum Arrianis communicatione, ab omnibus legitimus Eccleſiæ Rom. Pontifex, ut erat antea cognitus, acceptus fuit. Conſtátque auctore Marcellino Presbytero, eundem ad tollendum Eccleſiæ Romanæ Schiſma, eos qui Felice fuerant ordinati in Clerum cum ordinibus, & honoribus recepiſſe, factúmque unum paſtorem ovilis unius. Anno poſtea 359. indicta eſt ab Imperatore Synodus OEcumenica Arimini ad controverſias de fide componendas: ibi Regula fidei conſtituitur, in qua vox *Subſtantia*, & *Conſubſtantialis* (quod offendiculum in Eccleſia parere dicerent Arriani) prætermiſſa eſt, cujus loco poſita eſt vox *ſimilis*. Tunc Arriani jactarunt ſe feciſſe explodere nomen Uſiæ, ſicque conclamatam eſſe Nicenæ fidei damnationem; *Tunc ingemuit Orbis, & ſe Arrianum eſſe miratus eſt*, ait Hieron. Liberius hanc damnat formulam, ideóque ab Eccleſia exturbatur ſecundâ vice, & ſic ejectos delituit in cæmeteriis ſuburbanis Novellæ, & Oſtriano nun-

cupatis, ubi manſit uſque ad obitum Conſtantij, quando (ut teſtatur Hieron. adv. Lucif. reddita eſt pax Eccleſiæ, & ad Sedes proprias exterminati Epiſcopi redierunt: in hoc 2. exilio Liberij nullum legimus ſubſtitutum Epiſcopum, ſed ab ipſo Liberio *Damaſum* Presbyterum Vicarium eſſe relictum. Porrò Liberius recenſetur inter Sanctos, quippe quem Ambroſ. lib. 3. de virg. vocat, *Sanctæ & beatæ memoriæ virum* Baſilius *beatiſſimum*, Epiphan. *beatum*, cujus etiam nomine inſignita fuit primum Eccleſia ab ipſo extructa Romæ in monte Exquilino, ex collatis impenſis Joan. Patrit. quæ hodie dicitur S. Mariæ Majoris. Sedit Liberius ab ingreſſu annos quindecim, men. 4. d. 2. ſepultus in cæmeterio Priſcillæ.

DAMASUS Juſtinianus poſt 6. dies legitimè ſubrogatur ab iis qui faverant Felici. Pars autem adverſa (nam in Clero Romano orta erat diſſenſio ex ſubſtitutione Felicis) indignè ferens ex communione Felicis electum eſſe Pontificem unà cum Diaconis Rom. Eccleſiæ conſpirans, collectáque factioſorum hominum manu occupans Baſilicam Sicinini ſitam in regione quinta Urbis juxta Forum Exquilinum. *Urſicinum* Diaconum creavit Papam. 36

SCHISMA III.

Quod magnos tumultus, imò & cædes in eadem baſilica factas cauſavit, in ea ſiquidem

Digitized by Google

die reperta fuiſſe 137. cadavera peremptorum ſcribit Ammianus, ita ut Viventius urbis Præfectus hæc corrigere aut mollire non ſufficiens vi magnâ coactus ſeceſſerit in ſuburbanum. Addit verò idē author etſi Ethnicus, lib. 27. ſe non mirari ſi tanta contentione Rom Epiſcopatus appetetur; cùm (ut ait) id adepti futuri ſint ita ſecuri ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis incidentes circumſpectè veſtiti epulas procurantes profuſas, adeò ut eorum convivia regales ſuperent menſas. Equidem ita Romæ his temporibus effulgebat Pontificum ſplendor ut ipſis etiam ampliſſimis Magiſtratibus invidiam commoveret, unde Prætextatus ipſe Romanorum nobiliſſimus, qui in Græcia Proconſulatum geſſerat, & Viventio in Urbana præfectura ſequenti anno ſuffectus aliiſque Magiſtratibus auctus qui & Conſul deſignatus mortuus eſt: ſolebat, ait Hieron. ludens beato Papæ Damaſo dicere, *Facite me Romanæ urbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus*, ut planè appareat ſummo atque regali Chriſti Eccleſiæ ſacerdotio regiam pariter magnificentiam fuiſſe conjunctam. Sed quòd Damaſi electio legitima agnoſceretur, Schiſmatici ad falſas accuſationes converſi ſanctiſſimum virum adulterij accuſarunt, ſed probata ejus innocentia Concordius & Caliſtus Diaconi calumniatores ab Eccleſia fuere dejecti, latâ lege talionis in poſterum contra falſos delatores: duravit Schiſma 13. menſibus quando Urſicinus ſe Pontificatu abdicavit factúſque fuit.

Epiſcopus Neapolitanus. Damaſus anno 3. Synodum Romæ habet nonnaginta Epiſcoporum in qua damnatus eſt Auxentius Arrianiſmi fautor, & ſtabilita fides Nycena, damnatáque formula Ariminenſis Concilij.

Conſtantinopolitanum Concilium Gen. II.

Anno Chriſti 381. Damaſi 15. Theodoſij Imper. 3. præcepto & authoritate Damaſi litteríſque Theodoſij 150. Epiſcopi convenerunt Conſtantinopolim, tum ut Nazian. Gregorium ejus Sedis Epiſcopum ſtabilirent, tum ut fidem Concilij Niceni ſtabilirent: ſed cum in Nicæno parciùs de divinitate Spiritus ſancti actum eſſet (eò quòd nulla tunc hæreſis ei adverſaria emerſiſſet, jam verò Macedonianorum, ſive Pneumachomacorum hæreſis pullularet qui divinitatem Spiritus ſancti negabant, eúmque Patris miniſtrum & ſecretarium faciebant) placuit de ea

Digitized by Google

addere aliqua (ut olim de Filio, *in Nicæno Conc. factum fuerat) quibus adverſus omnes Hæreticos ejuſdem Spiritus ſancti una eadémque cum Patre & Filio divina ſubſtantia prædicaretur: nimirum hæc verba*; Et in Spiritum S.Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem cum Patre Filioque coadorandum & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas. *Itaque Canone 7. conſtitutum eſt Symbolum de fide quod canitur hodie in Eccleſiis in Miſſa ſalvo additamento proceſſionis Spiritus* S.Filioque, *facto in Concil. Florentino. Quæ ibi ſtatuta fuere Damaſus confirmavit, hincque Concilium hoc, licet* P*apa nec per ſe, nec per Legatos interfuerit, quia inde prætendebat Epiſcopos poſtea Romam venire, ubi ipſe cogerat Synodum Epiſcoporum Occidentalium ut Romæ pleniſſimum fieret Concilium Generalis, & Oecumenici nomen obtinuit.*

Plurima decreta Damaſi leguntur, ut ad finem P*ſalmorum alternatim cantatorum diceretur*, Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto, *ut* Alleluia, *jam dudum inductum diceretur, extra*

tempus Paſchale. Interpretationi Bibliæ quam juſſu ejus edidit Hieronymus authoritatem tribuit, quæ exinde ſucceſſit vulgatæ, quæ habebatur 70. Interpretum. Claruit ſcriptis & miraculis, ipſius tamen non eſt ſeries vitarum Rom. Pontificum, qua ejus nomine fertur. Sedit annos 17. men. 3.

SIRICIUS Romanus Presbyter tituli Paſtoris creatur poſt dies 31. ſtatuit *ut Symbolum Conſtantinop. loco Nicani decantaretur in templis. Monachos promoveri ad Clerum Ordinéſque interpolare, non autem omnes una ordinatione dari decrevit, & ut non celebretur Baptiſmus præterquam in Paſcha & Pentecoſte.* Manichæos ab urbe pepulit, quam variis imbuebant ſuperſtitionibus, induxítque Theodoſium Imperatorē, ut undique pellendos ſcripſerit; Jovinianum damnavit Pſeudomonachum aſſerentem ejuſdem eſſe gloriæ virgines, ac maritatas. Deiparámque Virginem deſiiſſe eſſe cùm Chriſtum peperit. Siricium ſugillat Hieronymus ob non damnatum Ruffinum Origeniſtam, & ob hanc negligentiam, vel ſimplicitatem, qua non potuit credere occultari venenum in Chriſtiano tam conſpicuo, quòd tamen ſerpebat in urbe, & detectum fuit à S. Marcella, notat eum citiùs è vita ſublatum invigilante nimirum ſuper Rom. Eccleſiam divinâ providentiâ, ne quâ vel levi ſuſpicio-

ne hæreticæ contagionis aſpergeretur. Sedit annos 13. men. unum, d. 14.

398 ANASTASIUS Romanus Patreque Presbytero natus electus eſt poſt 20. dies. *Vir ditiſſimæ paupertatis*, ait Hier. Epiſcop. ad Demetriad. *Et Apoſtolicæ ſollicitudinis.* ad excludendum Manichæos qui de Orientis partibus Romam veniebant, vetuit ne in Clerum admitterentur niſi quinque Epiſcoporum teſtimoniales litteras haberent; Origenis hæreſeon damnationem promulgavit, hincque ubique denuntiatus fuit Origenes Hæreticus in Synodis Orientis, & Occidentis, hanc ſententiam Epiſcoporum ſecuta eſt ſanctio Imperatorum de pellendis ſectatoribus ejus. Statuit ut ad Evangelium ſtarent Sacerdotes, quòd & omnibus injunctum, qui eſſent in Eccleſiis docent Chronologi, cùm tamen ex diſſidio eis temporibus orto inter Diaconos & Presbyteros occaſionatum ſit decretum, Diaconi enim adminiſtrabant res Eccleſiæ non tantum Romæ ſed ubique, hincque à populo majori frequentabantur obſequio, & ita inſolebant ut in domeſticis conviviis benedictiones dare, & inter Sacerdotes ſedere præſumerent, Presbyteri autem ex conſuetudine Eccleſiæ Romanæ ipſis in Eccleſia ſedentibus Diaconos ſtare contendebant; eò progreſſa eſt contentionis pertinacia, ut etiam cùm ſtantes Diaconi coram populo legerent Evangelium, Presbyteri minimè è ſeſſione conſurgerent. Quòd ut enorme factum Ana-

Digitized by Google

ſtaſius emendandum ſancito eo decreto putavit. Sedit ann. 4. men. 1. d. 13.

INNOCENTIUS Albanus poſt 21. dies creatus eſt, multa decreta Eccleſiæ utilia edidit, inter illa, quòd parvulis conferatur Baptiſmus, antiquas Patrum traditiones ſervandas eſſe docet. Ad eum exagitatus, & calumnioſè damnatus Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinop. appellat è Concilio, ſeu Conciliabulo Conſtantinop. Legationibus utriuſque partis auditis reſcindit damnationem Chryſoſtomi eo mortuo in ferendo exilio excommunicat Arcadium Imperatorem & Eudoxiam Auguſtam miſſa ad eos fulminante litera, in qua ipſum Cainum & Eudoxiam Dalilam vocat. Arſacium quem in thronum Epiſcopalem produxerant exauctoravit unà cum omnibus, qui conſultò communicaverunt cum eo Epiſcopis erat is jam defunctus. Ad Theophyli Epiſc. Alexandrini, qui orditus erat vexationem Chryſoſtomi, anathematiſmum addidit abrogationem. Huic verò Innocentij epiſtolæ ſubjicit Glycas Arcadiæ ad eundem reſponſionem & humilē excuſationē de rebus per Epiſcopos adverſùs Chryſoſtomum eo inſcio geſtis, pro quibus Auguſtam conſentientem graviter corripuit, unde gravi detinetur ægritudine. Itaque Papa Imperatorem & uxorem abſolvit. Porrò accidit ut Alarico Gothorum Rege obſidente Romam fame, ac peſte vexatam annò 409. Innocentij verò VIII. ipſe tanquam juſtus Loth ſubſtractus à Sodomis 402

occultâ Dei providentiâ apud Honorium Imper. Ravennæ conſtiterit, ne peccatoris populi videret excidium, ait Oroſius Errores Pelagij & Celeſtij damnavit, unáque eorum authores, confirmavitque Conc. Carthaginenſe & Milevitanum, quæ Pelagianos damnaverant & ad Conciliorum epiſtolas gratulatoriè reſcripſit cúmque præfuiſſet Eccleſiæ annos quindecim men. unum, dies decem obiit, ſepultúſque eſt in cæmeterio Priſcillæ, quòd deceſſor ejus Anaſt. ædificaverat.

417 ZOSIMUS Græcus Cappadox poſt dies 20. ſubrogatur. Ad eum appellat Pelagius qui calumnioſè aſſerebat Innocentium ſecum ſenſiſſe, iterum damnatur in alio Concil. Carthag. 217. Epiſcoporum, quòd inſtaurandum in ea cauſa ſcripſerat Zoſimus. Demum ſententia Zoſimi Cæleſtius & Pelagius damnati ſunt, literæque ad univerſas Eccleſias miſſæ ſunt, quas reſcriptum Honorij Imperatoris irrogans exilij pœnam in Hæreſiarchas & eorum ſectatores mox conſecutum eſt. Scribit conſequenter Auguſtinus duos libros, unum, *de Peccato Originali*, quod negabat Pelagius, alium, *de Gratia Chriſti:* quam idem diverſimodè exagitabat. Papa dicitur conceſſiſſe licentiam, per Parochias *Benedicendi Cereum Paſchalem* cujus uſum jamdudum habebat Eccleſia (ut conſtat ex hymno quem de eo edidit Prudẽtius poëta Chriſtianus circa annum 376.) ſed in majoribus duntaxat Baſilicis incendi,

ſolebat. Vetuit *ne ſervi in Clerum reciperentur*, nec ſpurij,ait Platina Definivit tempus interſtitiorum circa Ordines Sacros: tres Legatos miſit Carthaginem ob diſſenſionem quamdam ortam de proſecutione Appellationum ad Sedem Apoſtolicam, quas decreto Concilij Nycæni (ſeu potius Sardinenſis, quod idem exiſtimabatur,utpotè celebratum pro corroboratione Nyceni) firmari profeſſus eſt. Miſit Auguſtinum cum aliis Epiſcopis in Cæſaream Mauritaniæ ad corrigendos multos pravos uſus, qui irrepſerant in Eccleſiam Africanam, ubi inter alios ſuppreſſit Balationes ante Baſilicas in feſtis Sanctorum exerceri ſolitas : inſectatúſque eos qui cogerent Presbyteros abbreviare Miſſas, & ad eorum libitum cantare. In quo obſerva priſtinum morem canendi omnes Miſſas, & notes abbreviationem earum , & recitationem ſummiſſa voce fluxiſſe ab indevotione populi, qui propter gulam , aut avaritiam recedebant antequam abſolverentur. Zoſimus obit poſt 14. men. d.7.

BONIFACIUS Romanus in lege Doctiſſimus & verùs Presbyter poſt unum diem 419
à Zoſimi obitu invitus ac reluctans eligitur à 70. Presbyteris & 9. diverſarum Provinciarum Epiſcopis , & conſenſu Optimatum divinæ inſtitutionis ordine conſecratur.

SCHISMA IV.

Eulalius Archidiaconus circumventis

Diaconis, aliquibus Presbyteris, ac multitudine plebis turbatæ faventéque Symmacho Urbis Præfecto intruditur, hincque Bonifacius coactus eſt deſerere S. Petri Baſilicam, & cum ſuis extra urbem ad S.Pauli Secedere, contentio deſertur ad Honorium Imper. Ravennæ exiſtentem, qui commotus mendaci relatione Symmachi ad ipſum dat reſcriptum, ut Bonifacium, ſi Eulalio cedere nollet, Urbe pelleret: cujus virtute reſcripti Eulalius in S.Petri Baſilicam intruſus eſt. Re autem fideliter comperta jubet Honorius utrumque ad ſe Ravennam accedere, ibique convocatis aliquot Epiſcopis ventilata eſt cauſa, quæ cum ob diſcrepantiam ſententiarum non poterit terminari, Imperator eam differens propter dies, qui imminebant S. Paſchæ utroſque Urbe juſſit abſtinere, & Spoletinum Epiſcopum Romæ Sacra myſteria celebrare; cùm autem Eulalius temerariè ſe in urbem intruſiſſet & publicæ ſeditionis præbuiſſet occaſionem, quâ & ipſe Præfectus Symmachus periclitatus eſt, Honorius juſſit urbe eum expelli, Clericóſque ei communicare, præſumentes & ut Bonifacius in urbem deduceretur & tanquam legitimus Papa regeret Eccleſiam. Quod confirmavit Concilium 252. Epiſcoporum, ut refert Lib. Rom. in quo legitur Eulaliam factam Nepeſinæ Eccleſiæ Epiſcopum. Hac ſint notata ad explodenda deliramenta. Novatorum, qui cùm ignoratione rerum geſtarum, tum obſtinatâ ad detrahendum Romanis Pontificibus malitiâ Bonifacium inva-

Digitized by Google

ſorem Sedis ſuperbum & maleficium nominant. Ejus anno 1. Synodus Carthaginenſis habetur 217. Epiſc. in cauſa appellationis ad Sedem Apoſt. cui juri derogare non intenderunt Epiſcopi Afric. Anno 2. Hieron. *Magiſter Catholicorum & Lampas mundi*, ut vocarunt S. Auguſti Proſper & alij nonagenario major è vita deceſſit in Bethleem qui Stridon in Dalmatia natus erat. Et ob ſingularem doctrinam Damaſo Papæ inſervierat in conſultationibus & Scripturis enodandis & Epiſtolis conſcribendis, quem ob tale munus donatum Cardinalatu à Damaſo multi adſtruunt, quibus refragatur Baron. vide Spond. Anno Chriſti 378. Leo ejus imagini depingitur, non quod Leonem curarit (id enim de Geraſimo Abbate in Paleſtina narratur) ſed Hieroglyphicè annotando robur ejus in ſectandis hæreticis, & vehementem in eos inſtar rugitus clamorem. Bonifacius coërcet temeritatem Patrocli, qui Sedem Arelatenſ. uſurpaverat, ſtatuit ne mulier, vel Nonna Sacra attingeret, aut incenſum adoleret, prohibuítque ne minor 30. annorum admitreretur ad Sacerdotium. Sedit annis quinque men. 2. minus.

CÆLESTINUS Romanus poſt dies 9. 423
fruſtrà quibuſdam petentibus reditum Eulalij Schiſmatici pacificâ electione ſubrogatur, qui à prima ætate in Monaſterio adoleverat, indéque invitus Epiſcopus Cyræ in Syria ordinatus fuerat. Auguſt. congratulatur ipſi promotionem Papalem Epiſt. 261.

Hujus anno v. emerſerunt in Gallia Narbon. & Vienn. Innovatores, qui in veſtitu Clericorum novum uſum inducerent, nempè ut incederent palliati ac præcincti renibus eò, quòd Dominus ſuos Luc. 12. admoneat, *ſint lumbi veſtri præcincti.* Quos reprehendens Cæleſtinus juſſit Clericos illum quem à majoribus accepiſſent retinere habitum, nec à Peregrinis peregrinum acciperet, quòd præſtaret moribus magis, quàm indumentis Sacerdotalem præſeferre decorem. Scothos atque Britannos ad fidem Catholicam, quæ apud illos Pelagianorum erroribus infecta erat, redegit per Germanum Epiſcopum Antiſiodorenſem illuc delegatum vice ſua. Anno 5. Neſtorius quem Theodoſius Imper. accerſerat ex Antiochia, ubi magnæ facundiæ Presbyter habebatur, aptum videlicet docendo populũ, creatus eſt Epiſcopus Conſtantinop. cum autem plenè poſitus eſt honore cunctarum hæreſeon inſectatur errores ut uni hæreſi ſuæ aditum patefaciat. Itaque prædicare incipit ex Mariâ hominem tantùm, & non Deum natum, eique divinitatem collatam eſſe pro merito, negátque Mariam dici debere Θεότοκον, ſeu Deiparam, audet & ad Cæleſtinum ſua de his mittere ſcripta in Oriente jam evulgata; oportunè autem contigit, ut paulò poſt reciperet Cyrilli Arch. Alexandrini volumina adverſus Neſtorij blaſphemias, quibus addita erat ſupplicatio ut dignaretur Orientis Antiſtitibus declarare, an cum Neſtorio communicare deberet necne; Cæleſtinus igitur viſis utriuſque

utriuſque ſcriptis colligit Synodum Romæ, & Neſtorium damnat, conceſſo tantum dierum decem ſpatio ad reſipiſcendum, ſcripſitque Cyrillo ſuas ipſi vices in hoc negotio delegans. Colligit Cyrillus Synodum Alexandriæ: decernuntur 4. Legati delaturi Conſtantinopolim ad Neſtorium litteras Cæleſtini unà cum decreto damnationis ejus, additáque eſt Synodalis ad eundem Epiſtola unà cum fidei confeſſione, & 12. Anathiſmis adverſus totidem ipſius hæreſis capita quibus ſubſcriberet. Tantùm autem abfuit, ut eis ſubſcripſerit, ut contrà tum ipſe eoſdem carpere cœperit, labémque hæreſis Cyrillo ex illis inferre ſtuduerit quaſi Apollinariſtæ. Hinc ſententia Cæleſtini non voluit mandari executioni, cùm qui ejus executor præpoſitus erat, Cyrillus æquè hæreſis accuſaretur à fautoribus Neſtorij, quapropter operâ Theodoſij Imper. movetur Cæleſtinus ad indicendam Synodum Oecumenicam, Obit interea S. Auguſt. Hippone anno 340.

Concilium Epheſinum Generale III.

Anno Chriſti 431. *Theodoſij* II. 24. *Cæleſtini Pap.* 8. *Convenerunt Ephe-*

Digitized by Google

ſum pluſquam ducenti Epiſcopi unà cum Legatis Cæleſtini & vices ejus agente Cyrillo, & duobus Legatis Imperatoris Theodoſij, qui conſultationibus Eccleſiaſticis non ſe immiſcere, ſed tumultus impedire habebant: convenerunt inquam in Eccleſiâ Marianâ, ac primùm omnium ut Chriſtum præſidere ſignificarent. Sanctum Dei Evangelium ex inolitâ conſuetudine in conſpicua Sede in medio collocata poſuerunt, & ſedentibus ordinatè ſub Cyrillo Epiſcopis cum omnium conſenſu 21. die Junij, inchoanda res eſſet judiciali ordine, ante omnia miſſi ſunt à Paſtoribus quatuor Epiſcopi invitare, ſeu potius citare Neſtorium ad diei ſequentis futurum in publico omnium conſenſu judicium, quibus ille faſtuosè reſpondit, conſiderabo & videbo, *poſtera verò die qua primam ſeſſionem haberi contigit lectis Cæleſtini, & Cyrilli geſtis contra Neſtorium, & litteris Imperatoris, de Indictione Synodi rursúmque miſſis ad citatum Neſtorium ſecundò ac tertiò, aliis atque aliis Epiſcopis, cum ipſe nunquam eos ad ſe admittere voluiſſet domúmque ſuam ma-*

Digitized by Google

nu militari vallaſſet ne ullus à Synodo miſſus ad ipſum ingredi permitteretur. Hoc intelligens Synodus ad deliberandum ſe convertit, & lectis Imperatoris litteris ad ipſam Synodum ſcriptis, ac recitato ex more Nyceno fidei Symbolo, lectis Cæleſtini Papæ de ipſius Neſtorij damnatione litteris, auditíſque aliorum Epiſcoporum relationibus, de blaſpemiis Neſtorij, ac rurſum poſt prolata Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum teſtimonia, hæc ego retuli in explicatione verborum : Ex Maria Virgine, *fol.* 299. *quibus demonſtraretur Verbi incarnationem indiviſè & inconfuſè in utero Virginis factam, duarúmque naturarum conjunctione unam tantùm redditam eſſe perſonam Jeſum Chriſtum Deum & hominem, poſt denique lectos, & cum exercitatione auditos Neſtorij quaterniones eidem Orthodoxæ fidei repugnantes, aliáque ad rem hujuſmodi neceſſaria peracta : tandem damnationis Sedíſque privationis in eundem Neſtorium lata eſt ſententia, cui omnes ſubſcripſerunt numero, ut habent Acta, pluſquam ducenti : eámque ipſi Neſtorio ſignificari eundem*

vocans Novum Judam, *Synodus juſſit.* *Expectabat populus Epheſinus à mane ad Veſperam S. Synodi judicium, qui ut audivit Neſtorium eſſe depoſitum cœpit Deum glorificare, & luminaria per totam civitatem accendere, imo ipſæ mulieres adolentes thymiamata cum thuribulis progredientes præceſſerunt; Patres è templo exeuntes, móxque per publicos præcones damnatio Neſtorij proclamata eſt. Vide hæc in Act. de officio divino fol.* 583.

De omnibus Synodales habet Celeſtinus litteras, confirmata acta Synodi, & quomodo futura mala caveri poſſint reſcribit, & poſt eas ad Orientales datas litteras 22. *diebus obit dignè perfunctus* Papatu *per ann.* 5. *men.* 5. *d.* 3. *Lib.* Rom. *tradit eum inter alia conſtituiſſe, ut Pſalmi Davidis* 150. *ante Sacrificium Pſallerentur Antiphonatim ex omnibus quod ut ait, antea non fiebat, ſed tantum Epiſtolæ* Pauli *recitabantur, & Evangelium. Hic, ſi Caranhæ credimus, inſeruit miſſæ Introitum, Gradus, Tractum, Offertorium, Communionem, & Orationes.*

SIXTUS III. Romanus poſt dies 20. eligitur moxque incubuit, ut acta Epheſina firmata perſtarent, & Joannem Antiochiæ Epiſcopum, qui cum aliquot Syriæ Epiſc. adverſus Cyrillum tumultus fecerat induxit ad pacem, & ratificationem Neſtorianæ damnationis, ſicque Schiſma ejus ceſſaret. Accuſatur Papa poſt 20. menſes de ſtupro Sacræ Virgini Chryſogonitæ nuncupatæ illato, unde Valentinian. Imper. & multus populus, ab ejus communione, ſe ſegregabat ob Arcinij Baſſi exconſulis & Mariniani, Patricij teſtificationem. Sixtus ſubjiciens ſe purgationi indicit Concilium Romæ, quod ventilet diligenter cauſam ejus præſente Imperat. Clero, atque Senatu, abſolvitur & prædicti calumniatores condemnatione & præſcripti fuerunt bonis Baſſi Eccleſiæ adjudicatis, qui intra tres menſes divina ultione mortuus eſt, & ab ipſo Sixto honorificè propriis manibus cum aromatibus conditus in ſepulchro Majorum ejus. In pauperes & Sacra ædificia profuſus fuit, & author Imperatori, vi Eccleſias exornaret: acerrimus Pelagianiſmi oppugnator cùm fuerit, calumnioſè ipſi attribuuntur tria volumina, primum de divitiis, ſecundum de malis Doctoribus, tertium de caſtitate, quæ Pelagianiſmis refecta ſunt, cum & alioqui nec ullus antiquorum dixerit Sixtum harum Scriptionum authorem. Sedit annis octo, menſe minus. 432.

440 LEO natione Tuſcus S. R. E. Diaconus è Galliis rediens, quò miſſus erat amicitiæ intes Aetium & Albinum Romani exercitus duces redintegrandæ cauſa, mirabili pace, atque patientia ab omnibus expectatus, publicáque legatione accitus ordinatus eſt Rom, Pontifex poſt 40. vacationis dies *Magnus* à majoribus cognominatus ob excellentiſſimum doctrinæ, & Curæ Paſtoralis ſtudium. Pontificatus ejus incidit in miſerrima tempora, cùm Orientalis Eccleſia Neſtorianorum causâ aſſiduis quateretur procellis: Occidentis verò Imperium à Barbaris devaſtaretur. Ex Africa per Genſericum devaſtatâ Manichæorum examina pulſa, in Urbem tanquam Catholici commiſeratione digni magno civium detrimento, ſed eo lethalius erat malum, quo occitiùs eorum venenum ſerpebat, quibus detergendis & reducendis non leviter inſudandum fuit Leoni. Proſper ſcribit eam illi curam divinitus inſpiratam non ſolùm Urbi, ſed etiam univerſo Orbi profuiſſe, dum confeſſionibus captorum, qui Doctores eorum, qui Epiſcopi, quive Presbyteri in quibus Provinciis, vel civitatibus degerent patefactum eſt. Anno 5. Concilium habuit Romæ adverſus Manichæos, quo iidem condemnati, ſunt alij cum pœnitentia recepti, alij pertinaces exilio multati ex legibus Imperatorum, & edita Valentiani conſtitutione,

Anno ejus 7. ingens terræ motus per varia loca concitatus eſt quo Urbes plurimæ

Digitized by Google

& muri Conſtantinop. cum turribus 77. corruerunt: ac fames & peſtifer aëris odor multa millia hominum, & jumentorum delevit; hincque ille eſt planè horrendus, & terribilis terræ motus, quo ad ſex menſes perſeverante univerſus ferme Orbis concuſſus eſt, cum innumerabilibus terrâ marique funeſtis caſibus. Accidit autem, hoc mirandum Conſtantinopoli, ut cum Theodoſius Imper. unà cum Patriarcha Proclo universóque populo, præ metu ruinarum ædificiorum extra urbem in loco, qui dicitur Campus, habitarent, ac die quadam motu vehementiùs graſſante, cuncti ſimul ex intimo corde miſericordiam divinam implorarent, & clamarent, *Kyrie eleiſon*, supernâ repente vi puer ſpectantibus omnibus, de media turba extra viſum hominum raptus, rurſumque per aërem priore via in eundem locum demiſſus, multitudini ſupplicationibus intentæ retulerit, ſe audiviſſe decantatum, ab Angelis Triſagion hoc modo, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis. miſerere nobis*, & ut ipſa eodem modo concineret hortatus eſt, quo dicto animam Deo reddidit. Ubi verò populus jubente Proclo Triſagion, ad eum modum decantare cœpit motus terræ omninò ceſſavit, quo miraculo commoti, Theodoſius Imper. & Pulcheria Auguſta Conſtitutione Imperiali decreverunt, ut per totum Orbem hymnus iſte divinus concinneretur, hancque Græci habent conſecratam in tabulis Eccl. die 24. Septembr. Ex eo tempore Eccleſia eum acceptum frequenter uſur-

Digitized by Google

pat, quem Concil. Chalcedon. in fine primæ Actionis, quando damnatus eſt Dioſcorus, ejuſdémque impietatis conſortes, hæretici, decantavit.

Concilium Chalcedonenſe Generale IV.

Anno Chriſti 451. Mariani Imper. II. & Valentin. Imper. XXVII. Leonis Papæ XII. convocati ſunt Chalcedonem propinquam Conſtantinopoli civitatem. Bithynia Metropolim 630. Epiſcopi contra Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum, qui Synodum Epheſinam ſecundam, abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu congregarat, & omnes Regulas Patrum perverterat. Et contra Eutychem Presbyterum Præfectum Monachorum, qui profitebatur Chriſtum ex divina humanáque naturis ita compoſitum, ut nulla eſſet in una perſona jam ſubſtantiarum, ſeu naturarum diverſitas, ſed una tantum natura. Præſidentibus legatis quatuor Leonis Papæ con-

Digitized by Google

ceſſui facto in Sanctuario ampliſſima baſilica S. Euphemiæ extra urbem 16. *habitæ ſunt ſeſſiones. In tertia Dioſcorus præmiſſis citationibus damnatus eſt, Epiſcopali dignitate & ſacerdotali miniſterio, ſpoliatus declaratus eſt, ob probata ejus plura crimina, quòd inter alia, cum fuſtibus & gladiis, in pura charta coegiſſet in Epheſina* P*ſeudo-Synodo Epiſcopos ſubſcribere confeſſioni Eutichetis, quam ipſe admittebat, quòd Chriſtus ex duabus naturis fuiſſet, ante adunationem, poſt verò unam naturam confitebatur. Quæ verba, cùm hic repeterentur, Epiſcopi dixerunt. Iſta nemo dixit, Anathema ei, qui dixit iſta.* P*haraonis iſta ſunt. Hæc Dioſcori ſunt. Quòd etiam præſumpſiſſet excommunicare Leonem Rom.* P*ontificem, &c. Notandum eſt Eutichem damnatum jam fuiſſe* Presbyteratu, & *Monaſterij adminiſtratione privatum latâ ſententia Anathematis in communicantes cum eo, pronuntiante ſententiam Flaviano Archiepiſcop. Conſtantin. in ejuſdem urbis Concilio* 32. *Epiſcoporum, &* 23. *Archimandritarum habito tribus ante hac annis. In* 6.

Digitized by Google

ſeſſione Chalcedon. conſcripta eſt recta, & omnibus numeris abſoluta fidei definitio, qua poſt trium Oecumenicorum Conciliorum Nyceni Epheſini Conſtantinop. profeſſiones fidei, itémque SS. Leonis, & Cyrilli adverſus Neſtorium & Eutychetem Epiſtolas confirmatas quæſtionem de duabus naturis Chriſti in una perſona, ſic Patres expreſſerunt: Conſtanter omnes docemus Chriſtum Jeſum Deum verum, & hominem verum, conſubſtantialem Patri ſecundùm divinitatem, conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato: ante ſæcula quidem à Patre genitum ſecundùm deitatem, in noviſſimis autem diebus eundem propter nos, & noſtram ſalutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundum humanitatem unum eundem Chriſtum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum nuſquam ſublata differentiâ naturarum propter unitionem, magiſque ſalvâ proprietate utriuſque naturæ, in unam per-

ſonam, atque ſubſiſtentiam concurrentis non in duas perſonas partitum, atque diviſum. *Sicque qui propter duarum in Chriſto naturarum differentiam perſonæ unitatem non agnoſcit, condemnatur, ut Neſtorianus. Et qui in perſonæ unitate naturalem non concedit differentiam, damnatur ut Eutichianus. Poſthæc Marcian Imper. pro firmitate Chalcedon. Concilij Sanctionem edidit ne cui amplius liceret de fide diſputare. Habetur in Codice Iuſtin. leg.4. cap. de Summ. Trinit.*

Porrò Leo approbavit Concilium. Anno 13. *Attilam devaſtaturum Romam regredi fecit eloquentiâ ſua, Adhibuit hæc verba in actione Miſſæ,* Sanctum Sacrificium immaculatam Hoſtiam, *Sepulchris Apoſtolorum cuſtodes ex Clero Rom. adhibuit quos Cubicularios appellavit, dictos jam Capellanos, his & aliis præclarè geſtis obiit 3. Idus Aprilis Sedit annos* 20. *men.* 10. *d.*28.

HILARIUS natione Sardus creatur poſt menſes ſeptem. Epiſtolam decretalem 461
de fide Catholica mox promulgavit, vetuit ne Epiſcopi delegerent ſibi ſucceſſores, anno

Digitized by Google

2. Conſiderans tam labentem. Theophili Alexandrini Cyclum abſolvendum, anno Chriſti 480. injunxit Victorino Aquinato, qui hujus facultatis habebatur omnium hoc tempore peritiſſimus novam conſcribere. Ædificavit duas Bibliothecas; munificentiſſimus notatur erga Eccleſias, & egenos: cúmque ſediſſet ann. quinq. m. 10. migravit ad Dominum.

467 SIMPLICIUS patriâ Tiburtinus, poſt dies 10. ſufficitur. Incidit autem in funeſtiſſima politici ſtatus tempora, cùm univerſus Chriſtianus Orbis, ſub hæreticorum Principum Dominio conſtitutus nullum penitùs Catholicum Regem alicui ſaltem exiguæ Provinciæ dominantem habuit. Etenim Italiam Rex Arrianus dominio occupavit: Gallias Burgundiones & Gothi itidem Arriani & Franci adhuc Gentiles partiti ſunt: Hiſpaniæ Gothos Arrianos dominantes patiebantur: Africa Vvandalos, æque Arrianos & univerſum Orientale Imperium Zenonem Eutychianum hæreticum. Quare ſolicitiùs Papa providet ſtatui Eccleſiaſtico, Urbem in quinque regiones Presbyteris diviſit, ſeu Eccleſiarum dependentias, prima fuit Petr. 2. Paul. III. Laurentij IV. Joannis Lateranenſis nunc in Orbe prima v. S Mariæ majoris. Gaudentio Epiſcopo Auſinienſis Eccleſiæ ob illicitas ordinationes ab eo habitas jus ordinandi penitùs abrogavit, proximo illud Epiſcopo delegans: & malè dividentem redditus Eccleſiaſticos adminiſtratione prorſus

interdixit, cùm & more Eccleſiæ conſueto Oblationes quadripartitò dividendas eſſe præcepit, ut ei una portio deberetur, una itidem Clero, duæ vero in Eccleſiæ fabricam & in peregrinos ac pauperes erogarentur. Vetuit Clericos recognoſcere beneficium Eccleſiaſticum à Laicis. Sedit annos 15. men. 5. dies 10.

FELIX III. Romanus, poſt 6. dies creatur, atavus Gregorij magni, ut ipſe tradit 483
hom. 38. in Evang. mox rejicit Zenonis Imp. Henoticon, ſeu unitivum decretum fidei, quod laicus homo etſi Imper. edere auſus erat, in quo admiſſis ſimulatè tribus prioribus Oecumenicis Nicæna, Conſtan. Epheſi. Chalcedonenſis Synodus tacitè abrogatur. Excommunicavit Acacium Archiepiſc. Conſtantinop. quia favebat Petro Fulloni Archiep. Antiocheno hæretico, & duos ad Zenonem Imp. delegavit Epiſcopos de Acacij præſumptione querelam daturos, & Legatorum Apoſtolorum meſſenæ & vitalis infidelitatem repræſentaturos qui corrupti ab Acacio & Fuloni communicaverant nihilque minus quam præcepta Apoſtolica præſtiterunt, hincque tanquam prævaricatores communione Eccleſiæ privati fuere.

Secundo Felicis anno 484. Clodoveus regnare cœpit Pariſiis qui etſi Ethnicus Virginem Genovefam & Remigium Epiſcopum Rhemenſem coluit, qui poſtea anno ſcilicet 499, eum ad fidem adduxit & baptiſavit Felix Acacium Arch. Conſtantinop.

Digitized by Google

excommunicavit & ſacerdotio privavit in Concil Rom Conſtituit ne Eccleſiæ non niſi ab Epiſcopis conſecrarentur. Sedit annis 9. minus diebus 12.

492 GELASIVS Afer diſcipulus olim S. Aug. vir exacti judicij, poſt 5. dies creatur: Manichæorum libros perquiſitos combuſſit. Habuit Conc. Romæ 70. Epiſcoporum, in quo decretum edidit de Primatu Eccleſiæ Romanæ ſuper alias omnes voce Domini inſtituto, déque aliarum poſt eam Patriarchalium Sedium Alexandrinæ & Antiochenæ antiquis juribus, ad reprimendam Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum, ſe ſupra eas erigentium præſumptionem. Quibus addidit approbationem quatuor Oecumenicarum Synodorum hucuſque celebratarum. Utriuſque Teſtamenti Libros, ac Doctorum ſcripta Eccleſiaſtica authentica diſcrevit ab ambiguis & Apocryphis. Multas lucubrationes edidit. Ordinum collationem à menſe Decembri quatuor temporum ſabbathis attribuit. Clerum amavit, auxit & inſtituit variis, quos ſcribit libris, præfationibus ad Canonem Miſſæ, &c. Sedit ann, 4. m. 8. d. 19.

496 ANASTASIUS II. Romanus, poſt dies 7. ſubrogatur, moxque legationem ad Anaſtaſium Imperatorem miſit, qua urgebat ut Acacij nomen è Diptychis eraderetur, ſicque concordia reſtitueretur Eccleſiæ Orientali. Imp. benè habet legatos *Germanum* Epiſcopum Capuanum, *Creſconium*

Epiſc. Tudertinum, & *Faſtum* Patricium; hoſque detinet ſpe pacis uſque ad finem anni ſequentis, doloſè molitus interea, ſi quomodo ad ſubſcribendum Henotico Zenonis Papam inducere poſſet. Id enim per eundem Feſtum tentaſſe tradunt Theodorus. Lector collect. lib.2. & Nicephor. lib.16. cap.35.

Quòd verò ad Anaſtaſium Papam attinet, cùm is jam antea obiiſſet, quàm à Feſto ejuſmodi perfidiæ tentaretur (quod iidem authores affirmant) eum integrum ſincerúmque in fide Catholica permanſiſſe, nullū eſt dubium. Quod ſi Liber Romanus at ei crimini de communicatione cum Photio, ſeu Photino Theſſaloniſſen. Diacono Romā miſſo ad ipſum, & de niſu ejuſdem Anaſt. Papæ in revocando nomine Acacij in Diptychis, Reſp. ad primum, communicationem cum Photino nō ob aliud fuiſſe, quàm quòd is petiiſſet ut depravata S. Leonis Epiſtola ad Conc. Chalcedon. per vitioſam interpretationem in Germanam redderetur integritatē ex prototypo Rom. Eccleſiæ; idque conſtat ex libello Alexandrinorum, hoc autem officium nec hæreticis negari poteſt. Ad ſecundum ſi ſit verum, Reſp. in hoc admirandam Dei providentiam erga Romanam Eccleſiā, cùm titubantem ejus Rectorem priùs ex humanis ſubduxerit, quàm quòd meditaretur impleret, ſicut de aliis proferuntur exempla.

Quod verò Gratian. diſt. 19. can. Anaſt. dicit eum erraſſe, quia voluit rata eſſe Sacramenta Baptiſmi & Ordinis, quæ contulerat Acacius; Reſp. id non oſtendere Anaſt.

Digitized by Google

hæreticum, ſed Gratianum imperium. Quis enim Catholicorum ignorat Baptiſmum ab hæreticis datum valere? nec non & Ordinationem collatam ab Epiſcopo ſuſpenſo? Quòd dicitur communiter Anaſt. morte repentinâ à Deo immiſsâ ſublatum, videtur ortum ex eo, quòd conſtat Anaſt. Imp. illo ipſo tempore fulmine ictum periiſſe, ut ſcribunt Beda, Cedrenus, Paul. Diac. ſic ergo veritati ſupponitur mendacium & æquivocatio, hincque ſcioli & delibantes rerum corticem ſcriptores decipiuntur. Obiit Anaſtaſ. 13. Kalendas Decembris, cùm ſediſſet annis duobus minus diebus octo.

498 SYMMACHUS natione Sardus die quarto eligitur in Baſilica Conſtantiniana, ſed eodem die fit.

SCHISMA V.

Feſtus Patricius cùm adveniſſet Romam ſuaſurus nomine Anaſtaſij Imperatoris Papæ Anaſtaſio ſubſcriptionem Henotici, elapsâ jam occaſione id agendi cum Anaſtaſio, ſucceſſorem creare ſategit, qui ad id præſtandum facilè induci poſſet; ſicque eodem die introductionis Symmachi, pecuniis & arte agens intrudit Laurentium in Baſilica S Mariæ in via nova creandum. Quâ de cauſa non ſolùm inter Clerum, ſed etiam inter Senatores ingentibus diſcordiis ſecuta ſunt plurima mala, cùm interea utraque pars Ravennam pergens ad judicium Regis Theo-

dorici, ut habet Liber Rom. hæc ſententia ab eo acceptâ, ut qui primò ordinatus eſſet, aut à majori parte, ipſe ſederet; iis etiam conditionibus ſuperior Symmachus Sedem Apoſtolicam tenuit, qui anno ſequenti Cõcilium habens ad præcautionem intruſionũ, aliquos edidit Canones, quibus primo loco ſubſcripſit Laurentius præfatus, quem intuitu miſericordiæ ordinatum eſſe Epiſcopum Nucerinum ſcribit Anaſt. Hoc eodem 499. Symmachus Anaſtaſium Imper. urget per litteras ut à communicatione & Patrocinio hæreticorum deſiſtat, is in pejus ruens, cogit Orthodoxos Antiſtites cum eis communicare, dum autem ſic offunderetur Oriens, illuſtratur Gallia, per converſionem Regis ſui Clodovei, qui ſuſcipit Baptiſmum Ampullâ Chriſmatis ore columbæ cœlitus miſſæ. Recrudeſcit Feſto & Probino Senatoribus ſedatum in Papam Schiſma, revocatur Epiſcopus Nucerinus, hinc cædes & expilationes, accuſatur Symmachus multis criminibus apud Theodoricum Regem, mittit ipſe Viſitatorem Epiſcopum, qui de impoſitis Pontifici agnoſcat, horrent ad tantam novitatem Catholici, ſupplicántque Regem, ut ſinat res Eccleſiæ Romanæ in Synodo tractari more Majorum. Venit Romam 501, anno Theodoricus; convocatur Conc. 502. dictum Palmare à loco ubi habitum eſt, porticu ſcilicet baſilicæ S.Petri, ſic tunc vocata conſulunt iis Epiſcopi acciti Regem, quid vellet agi in cauſa Symmachi. Modeſtè reſpondet, *ipſorum eſſe præſcribere in tanto*

negotio ſequenda. Declaratus eſt Papa ab objectis innocens, damnatus Petrus Altinenſis Epiſc. Viſitator miſſus, quòd judicium ſibi in Rom. Pontificem arrogaſſet. Laurentius verò Schiſmaticus depoſitus, & in exilium miſſus: In hac Synodo decretum edidit Symmachus, quo Laicorum præſumptio quâvis fulta regia potentiâ ab electione Pont. Romani arceretur, adjecitque aliud de non alienandis bonis Eccleſiaſticis. Hoc eodem anno 502. conſultus à Cæſario Epiſc. Arelat. reſpondet poſſeſſiones dari poſſe ad tempus Clericis. Hincque origo Beneficiorum Eccleſiaſticorum, vidi quæ ſcripſi fol. 562. Multa fecit Symmachus laude digna: extruxit varia, reparavitque templa. Epiſcopis & Clericis in Sardinia exulantibus ex perſecutione Vvandalica in Catholicos pecunias & veſtes ſubminiſtravit. Manichæos Urbe expulit Anaſtaſ. Imper. hæreticum anathematizavit in Conc. Palmari; denique perfunctus variis ærumnis & laboribus obiit cùm ſediſſet annos quindecim, m. 8.

Symmachus initium dedit beneficiis Eccleſiaſticis.

514 HORMISDA natione Campanus, patriâ Fruſinas, poſt dies 7. à Clero ſummâ concordiâ creator. Huic Clodoveus Chriſtianiſſimus Rex coronã auream cum gemmis, quæ Regnum appellari ſolet, miſit, qua etiam occaſione S. Remigius Epiſcopus Rhemenſis litteris ſuis Papam ſalutans ſuſcepit ab eo Epiſtolam, qua factus eſt in regno Francorum Vicarius Papæ, ſalvis tamen Metropolorum privilegiis: Anno

ſeq. 4. iteravit Legationem ad Anaſtaſium Imper. cum libello fidei Catholicæ cui ſubſcriberet, nec non & Orientales Epiſcopi Eutichianiſmo infecti. At ille Legatos fruſtra tentatos de corruptione navi fragili impoſuit, & reſcripſit ſe jubere velle, non juberi, hincque juſto Dei judicio fulmine ictus interiit, anno 518. imperij ſui 27. cui ſuccedit Juſtinus Conc. Chalced. aſſertor & fidei. Manichæos Romæ pullulantes ejecit Papa, eorumque libros combuſſit ante fores Baſilicæ Conſtantinianæ, quam & ornavit; obiitque meritis clarus; cùm ſediſſet annos novem, d. 10.

JOANNES I. Etruſcus natione, poſt dies 7. ſubrogatur. Juſtin. Imper. edicit Manichæos puniri, deinde Arrianos exagitat, eiſque aufert Eccleſias, quod audiens Theodoricus Rex, littteris apud eum queſtus, cùm nihil conſequi poſſet pro libertate ſuorum Arrianorum Joannem cogit legationem obire ad Juſtinum, miro excipitur Conſtantinopoli honore, occurrit ei civitas ad 12. milliarum cum cereis & crucibus, adorat eum pronus in terra Imperator, qui licèt ab urbis Epiſcopo Diadema ſuſcepiſſet Papæ voluit manibus coronari, in itinere & ingreſſu civitatis miracula edidit Joannes. Reverſus Ravennam detruditur in carcerem à Theodorico, quòd Eccleſias Arrianorum in Oriente in Catholicas conſecraſſet, ut ſcripſit ipſe in carcere, in quo fœtore & inedià mori coactus eſt, cùm ſediſſet ann. 2. m. 9. 526

Digitized by Google

FELIX IV. natione Samnita, aſſumitur poſt dies 58. Theodoricus Rex arrogans ſibi electionem ſummi Pontificis, quem in Clero probabiliſſimum novit virum, Felicem Papam nominavit, refragatur multis diebus huic nominationi Senatus, quia tyrannicè uſurpata erat, ſed die præfato acquieſcit hic: ſanctis medicis Coſmæ & Damiano templum Romæ ædificavit, Felix notatur à Baronio author Concilij Arauſicani, quod Collector Conciliorum Collector Carranza erroneè ſub Leone primò collocavit. Concilium verò illud habitum fuit ob ſcripta S. Cæſarij de Gratia & libero Arbitrio adverſus Fauſti Regienſis Epiſcopi libros ejuſdem argumenti, his diebus Felici Papæ ab ipſo Cæſario miſſa, quæ non ſolum probavit, ſed ubique vulganda curavit, ſcripſit ad Epiſcopos monendo eos Miſſam celebrari non debere niſi in locis ſacris, niſi magna compulerit neceſſitas. Sedit ann. 4. m, 2. d. 18.

530 BONIFACIUS II. Romanus, genere Gothus, poſt dies 45. admittitur.

SCHISMA VI.

Dioſcorus Diaconus adverſus eum ſedit in Eccleſia Conſtantinop. diebus 28. quibus vixit infamatus ſimoniæ, eáque de cauſa poſt mortem à Bonifacio anathematizatus; abſolutus tamen ab Agapito, ut injuſtè damnatus, ſic refert Anaſt. Bibliot. Synod.

Synodum habet Romæ, in qua decrevit ne quiſpiam ſibi ſucceſſorem in Epiſcopatu deligeret, quod poſtea multi Pontifices confirmarunt, ſcribit autem Anaſtaſ. emanaſſe prius ab eo decretum, quo ſibi ſucceſſorem delegit Vigilium. Quòd enim Gothorum Reges Italiæ dominantes impiè vendicaſſent ſibi electionem Papæ, hoc prætextu novam viam viſus eſt aggredi, quæ cum hactenus intenta & contra canones eſſet, mox reſcidit, & fortè quia Deo diſplicebat ſublatus eſt citò è vivis, cùm ſediſſet annis duobus.

JOANNES II. Romanus cognomento 532
Mercurius poſt menſes 2. dum interea complures malis artibus ſibi aditum pararent, præficitur; ſequentique anno honorificam legationem Juſtiniani Imperatoris ſuſcipit cum muneribus ad B. Petrum miſſis, & Confeſſione Fidei. Habet Concilium Romæ pro dicenda quæſtione, *An unus de Trinitate paſſus dici debeat*, in qua annua conſultatio impenſa eſt, & ſtatutum poſſe dici, ſed ſecúriùs addi, *paſſum in carne*, approbat profeſſionem Juſtiniani hancque Imperator, ut fixius uniuſcujuſquè animis inhæreret ad rithmos Cantici Eccl. accommodatam inſtar Pſalmi tradidit Eccleſiis concinendam, Agente ipſo Joanne factum eſt Senatuſconſultum (quod edicto ſuo Rex Athalaricus corroboravit) contra Simoniacos. Addidit verò Rex ſummam pecuniæ, quæ pro confirmatione electorum Epiſcoporum, tam ipſius Romani, quàm aliorum ſub ditione

Regis ſolvenda eſſet, ſub prætextu eandem in pauperes erogandi. Sedit Joannes ann. duobus, m. 2.

535 AGAPITUS Romanus, id eſt dignus amari à Deo & hominibus, Gordiani Presbyteri Eccleſiæ SS. Joannis & Pauli, filius ſuſceptus, ſcilicet ex legitimo matrimonio patris ante ordinationem ejus (quod & de cæteris Presbyterorum filiis ſemel dictum ſit, aliàs enim ad tantæ dignitatis gradum prorſus inhabiles eſſent) poſt dies ſex, aſſumitur. Juſtinian. confeſtim more majorum ad eum ſcribit, fideique Confeſſionem ſuam mittit; hanc recipit Papa, ſic tamen reſcribens, *Firmamus, laudamus, amplectimur, non quia laicis authoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorum Regulis conveniens confirmamus.* Hac Agapiti cenſura prudentior factus Juſtinianus, non amplius privatam à ſe editam profeſſionem uſurpavit, ſed eam ipſam edidit coram Papa, qui anno ſequenti venit Conſtantinopol. quam olim miſerat Hormiſda. Rogatur à S. Cæſario Epiſcop. Arelat. ut alienationem prædij Eccleſiaſtici ad alendos pauperes permittat, renuit, miſſo ad Cæſarium Decreto Concilij Rom. ſub Symmacho, quo prohibitum erat, ſub anathemate, cujuſcumque neceſſitatis obtutu prædium vel exiguum alienare. Non ſilebo hîc Hiſtoriam *Regni de Yvetot*, quam Guaguinus, Gilius, Tilius, & alij rerum Francicarum Auctores referunt. Clo-

tarius Rex Franciæ, Gualterium de Yvetot, alias ipſi charum, ſed aulicorum calumniis exoſum occidit intra Eccleſiam Sueſſionis die Veneris Sancti in procinctu adorationis ſanctiſſimæ Crucis, quod tempus oportunè elegerat Gualterius, ut Regi offerret litteras Agapiti commendatitias reconciliationis, Rex enim eo agnito furore correptus ipſum gladio peremit, quod audiens Papa imperavit Regi, ſub pœna interdictionis Regni, ſatisfactionem tanti ſacrilegij. Statuit Rex terram de Yvetot, ab omni in perpetuum feudo, omnibúſque Regi debitis juribus immunem fore, ſic terra illa poſita eſt titulo Regni ad multum tempus, quæ mutata fuit in Principatum. Papa cogitur à Theodato Rege Gothorum ſuſcipere legationem ejus ad Juſtinianum, ut removeret de Italia diſtinctum exercitum, infenſus enim erat Imperator Theodato qui Amalaſuntham matrem Atalarici linguarum & ſcientiarum peritiſſimam ſæculi ſui prodigium enecarat, cumque Agapitus pecunias ad expenſas faciendas non haberet, regio Arcario opus habuit vaſa ſacra oppignerare quæ tamen poſtea Caſſiodori operâ reddita fuere Eccleſiæ S. Petri. Gregor. Magnus teſtatur Agapitum in itinere edidiſſe miracula, & in quodam Græciæ loco mutum & claudum natum per Miſſæ oblationem omnino ſanaſſe. Ingreſſus Conſtantinopolim cauſam legationis ſuæ egit, deinde Anthimum, quem Theodora Auguſta in eam Sedem ex Trapezuntina intruderat ſuſcipere noluit in ſalutationē, niſi

priùs ſe Orthodoxū dato libello probaret, & ad Sedē Trapezunt. reverteretur. Ad hæc minatur Imperator nolens reſcindere intruſionem. Reſpondet Papa: *Ego quidem peccator ad Juſtinian. Imper. Chriſtianiſſimum venire deſideravi, nunc autem Diocletianum inveni: qui tamen minas tuas non pertimeſco.* Poſt hæc autem Anthimus interrogatus cum noluiſſet duas confiteri in Chriſto naturas, & Imp. fraudem comperuiſſet expulſus eſt. & depoſitus, ſuffectúſque Menas, Imp. autem Papam ſupplex adoravit. Referuntur omnia ad Orientales Epiſcop. per Agapiti circulares litteras: accidit autem, ut cogitans Papa regreſſum in Italiam ibi migrarit è vita poſt Sedis annum. Scribit Gratian. de conſecrat. diſt. 1, cap. 23. Agapitum omnes Templi ædes, & Altaris Sediſque velamina ſacrilegi Anthimi infecta flatibus Catholicis precibus eluiſſe, hincque probatur antiquus ritus Eccl. Cath. expiandi, quæ hæretici polluere: corpus Agapiti plombeo in loculo tranſlatum eſt Romam.

536 SYLVERIUS, natione Campanus Hormiſdæ quondam Papæ filius legitimus, quo notavi ſuprà modò, poſt menſem, & 28. dies per vim ac metum Theodati Regis ordinatur à Clero; cujus tamen improbatores ei conſenſerunt poſtea, & ſubſcripſere ad vitandum Schiſma. Interea Beliſarius exercitus Juſtinianei Dux Neapolim (Romámque jam à Gothis per 60. annos poſſeſſam capit, hanc Vitiges Rex Goth. Comparato exercitu

exercitu 150. millium militum obſidet: inſimulatur Silverius favere Gothis, ejiciturque à Beliſario exulatus in inſulam.

SCHISMA VII.

VIgilius Romanus Joannis viri Conſularis, filius Agapiti, Diaconus intruditur à Beliſario renitente licet Clero. Series hæc eſt Hiſtoriæ. Theodora Auguſta promiſit Vigilio ſe effecturam, ut ipſe crearetur Pontifex eà conditione, ut Antimum Conſtantinop. Sedi reſtitueret, ejúſque dogma confirmaret, quibus Vigilius præſidendi cupidiſſimus annuit, itaque litteris Auguſtæ ad Beliſarium Gothos expugnantem Romam tradit iis promovendus, ſed reperit Silverium jam ab anno 2. initio ſedentem: audiens autem Theodora Silverij præfecturam, petit ab eo reſtitutionem Antimi, quam eo recuſante mandat Beliſario, ut prætextibus quæſitis Silverium deponi curet, & Vigilium ſubſtitui: Inde finguntur litteræ Silverij nomine ad Gothorum Regem, & Beliſarius Monachi veſtitu indutum Papam exulat, in Pataram civitatem, intruditque Vigilium, qui Romæ, ut Catholicus, agit & per litteras apud Imperatricem, ſe Eutichianum ſimulat, hincque Schiſmaticus, & hæreticus declaratur à Novatoribus. Ut ut ſit non officit id integritati Rom. Sedis; cùm legitimus vivat Silverius Pontifex, & iſte ſpurius ſit, qui nec hæreſim definitivè aſſeruit, ſed occultè tantum ad Auguſtam ſimu- 540

Digitized by Google

lavit, à qua timebat. Moritur Silverius, anno 540. confectus ærumnis & inedia in inſula Palmaria, cujus ibidem ſepulchrum miraculis Deus honorat, cum ſediſſet annos 4. & quintum inchoaſſet. Hæc audiens Vigilius, ſe in ordinem redigit, conſideranſque ſe Schiſmaticum, dat locum Comitiis habendis de electione Papæ, in his autem Clerus ad Schiſma vitandum imminens, & authoritate Theodoræ Vigilium nominat, poſt dies ſex.

540 VIGILIUS ex legitima electione aſcendit thronum B. Petri, moxque recipit legationem Juſtiniani, & Menæ Epiſcopi Conſtantinop. unà cum Catholicæ fidei confeſſione: reſcribit Papa per eoſdem legatos, ſe illibatè ſemper ſervaſſe in omnibus fidem Catholicam, & ſervaturum, iiſdémque litteris confirmat omnia, quæ à prædeceſſoribus ſuis geſta fuiſſent, ipſum quoque Antimum unà cum aliis hæreticis, atque Schiſmaticis nominatim excommunicavit: mirare hîc Dei Providentiam pro Rom. Eccleſia in hac Vigilij mutatione. Anno 546. maxima prorupit diſſentio, inter Orientales ob tria Capitula adverſus quæ Juſtinianus promulgat Edictum, conſiderans autem cuncta in rebus fidei pendere à Rom. Pontificis definitione, Vigilium ſummâ celeritate Conſtantinopolim accedere rogavit, hanc autem acceſſionem magnam intuliſſe Eccleſiæ damnum declararunt eventa.

Concilium Generale V. Conſtantin. II.

Anno 553. *convenerunt Conſtantinop.* 165. *Epiſcopi , inter quos erant quatuor Patriarchæ* Eutychius *Conſtantinop.* Apollinaris *Alexandrin.* Dominus *Antiochenus* , & Euſtochius *Hieroſolemitan. per ſuos legatos* ; Papa *autem non interfuit , nec per ſe , ægrotabat enim Conſtantinopoli , nec per legatos. Cauſa autem congregandi fuit Origenis hæreſis invaleſcens , quæ cum ipſomet , & ſectatoribus damnata eſt , antequam ageretur de tribus Capitulis cauſa ſecundaria Concilij. Cùm autem ob celebre nomen Origenis quæreretur , an deceret anathemate ferire jam olim vita defunctos , Eutychius videns hæſitationem Patrum dixit haberi in Scriptura exemplum de facto , nam Joſias Rex , non modo Sacerdotes , qui dæmones colebant interfecit dum vive-*

Digitized by Google

rent: ſed eorum ſepulchra, qui jam diu mortem obierant effodi curavit, oſſaque combuſſit, ut legitur 2. Paralip. 34. hincque ſequuta eſt damnatio. Quin & Vigilium decreto ſingulari damnaſſe Origenem teſtis eſt Caſſiodorus.

Cauſam trium Capitulorum Summatim refero: inveniebantur in ſcriptis Theodori Epiſcopi Mopueſtani erroris Neſtoriani plurimi. Theodoretus Epiſcopus Cyri notabatur ſcripſiſſe aliqua, quiæ Neſtorianiſmum habebat, & Epheſinæ Synodo adverſabantur, maximè autem Cyrillo Alexandrino, qui præfuerat ei vices agens Cæleſtini Pap. Tertio. Ibæ Epiſcopi Edeſſæ Epiſtola, quam ad Marim Perſam ſcripſerat, Neſtoriana conſtabat & maternitatem Dei genitricis Mariæ convellebat. Hæc ſunt tria Capitula ex quorum damnatione à Juſtiniano incautè, & imprudenter promulgatâ, quam plurima oborta ſunt mala, ipſáque Eccleſia diro ac diuturno Schiſmate vexata: contentio enim non erat de erroribus, ſeu hæreſibus jam diu exploſis, ſed de perſonis, quæ cùm eas abjuraſſent in Conc. Chal-

cedonenſi , & conſequenter tanquam Orthodoxæ & indemnatæ defunctæ eſſent , Orthodoxi quamplures ipséque Vigilius quaſi vindices ipſius Concil. Chalcedon. in cujus præjudicium damnatio trium Capitulorum præfixo nomine Authorum ſancita erat ab Imperatore , obſtiterunt ; At cum perſpicuè cognitum fuit ne quicquam eſſe derogatum Chalcedon. Concil. per damnationem Trium Capitulorum ipſa imprimis Apoſtolica Sedes eandem Imperatoris edicto primum promulgatam , & poſtea in hac Synodo confirmatam aſſertionem, probavit & retinuit , & qui deinde ab ea diſſenſerunt , ut Schiſmatici habiti ſunt , atque rejecti : cùm alioqui ante hujuſmodi noviſſimum Apoſtolicæ Sedis aſſenſum, non fuerit piaculum pro tribus Capitulis pugnare.

Interpellatur Papa *de ſua ſententia, libellum de ea mittit ad Imperat. & Synodum , in quo ſtatuit errores quidem Theodori , Ibæ & Theodoreti rejiciendos eſſe , quos ſingulos longa ſcriptione confutat , perſonis autem nullam debere inferri contumeliam , quas Synodus*

Digitized by Google

Chalcedon. recepiſſet, ac demum decrevit quæcumque contra ipſius ſententiam ſcriberentur nullam habitura authoritatem: Synodus autem octava Collatione tacens, quod expreſſit Papa, Capitula & Perſonas damnat. Hinc diviſio apud Orthodoxos, & excitata ab Imperatore perſecutio adverſus eos, qui damnationem Capitulorum non reciperent fretos Conſtituto Vigilij cui adhæreat.

Vigilius Cæſus ac fune collo tractus per urbem, carceri mancipatus, demùm in exilio deportatus eſt unà cum Clero qui cum eo erat: ab illo revocatur anno ſequenti 554. ut notat Anaſtaſ. tuncque Synodum comprobaſſe affirmant Græci, ex qua comprobatione Synodus hæc Oecumenica authoritatem obtinuit. Papa in Italiam venturus Syracuſis in Sicilia calculi morbo diem obiit, cùm ſediſſet annos ſexdecim, juſto autem Dei judicio exagitatus & defunctus in inſula, qui deceſſorem coëgerat mori in exulij inſulâ.

PELAGIUS Romanus poſt tres menſes 555
& dies quinque ſubrogatus eſt promotione Juſtiniani, qui ut ſcribit Anaſtaſ. hanc authoritatem ſibi abrogaverat exemplo Gothorum Regum Arrianorum : ſicque qui præ cæteris pius videri voluit, maximè impium ſe præſtitit, dum duriorem Eccleſiæ Romanæ ſervitutem impoſuit, quàm uſquã Ethnici Imperatores, de quibus non legitur, confirmationem electi in Rom. Pontificem ſibi aliquando uſurparint, quam ab eo non ſine certæ pecuniæ oblatione fieri ſolitam deploravit S. Gregor. *Ierem. Thren.* 1. Incidit autem Pelagius, in ſuſpicionem illatæ mortis Vigilio, ideóque ferè omnes ei communicare recuſabant, ut vix duo Epiſcopi *Ioannes* Peruſinus, *Bonus* Ferrentinus inventi fuerint, qui unà cum Presbytero Oſtienſi eum conſecrarent, ſed ipſe proceſſionem habuit à S. Pancratio, uſque ad S. Petrum, & ibi conſcenſo ambone, tenenſque Evangelium & crucem ſuper caput, ab eo ſe purgans crimine populo ſatisfecit, decretúmque promulgavit adverſus eos, qui pecunia aut promiſſionibus, ad gradus ordinéſque Eccleſiaſticos pervenirent. Decrevit Synodos generales non poſſe convocari, niſi authoritate Sedis Apoſtolicæ. Confirmavit Synodum quintam cui plures refragabantur Epiſcopi defendentes tria capitula. Hinc autem Pelagius ſuſpectus fuit de violata fide Catholica, quare Chilbertus Rex legatum ad eum miſit ſciſcitatum an Catholicam Leonis

Digitized by Google

Papæ Epiſtolam adverſus Eutychetem ſequeretur,cui per omnia ſe adhærere,& Concilio Chalcedonenſ reſcripſit; moxque de fide Catholica ad univerſos Chriſtianos circulares de eo argumento litteras dedit, & cùm ſediſſet annos quatuor, menſes decem, dies 18. ex hac vita migravit 2. Martii.

559 JOANNES III. Romanus poſt 5. menſes. diebus 5. minùs ſucceſſit Pelagio anrequam Juſtinus ſororis Juſtiniani ſecundus filius thronum, nequaquam autem virtutes ejus poſſideret. Narſes tunc ab Imperatore Præfectus Italiæ ad exterminium Gothorum advocatur Conſtantinopolim, ſuaſione Sophiæ Auguſtæ ut præſit, ait ipſa, textrinæ & ſanæ; iratus dux telam orditur Imperatori inextricabilem, Legatis enim & muneribus Regem Longobardorum Alboinum ad Italiæ expugnationem invitat, tot inde ſecutæ in temporalibus mutationes & deprædationes mortem Pontifici accelerarunt, ejus anno 4. novi de fide tumultus Eccleſiam Conſtantinopolitanam perturbarunt, & Juſtinian. incidit in unam hæreticorum ſibi circa affectus Chriſti naturales adverſantium ſectam non ferens, ait excuſans eum Nicephorus, ut Chriſtus diceretur ſuſcepiſſe carnem paſſionibus obnoxiam, quod tamen verum eſt, abſque peccato tamen & forſan ideò repentina morte raptus eſt,anno 565. Imperij verò 39. Spuria & ſuppoſititia eſt ,quam ſupponit Mercator Epiſtola Joannis adverſus Choreſpiscopos ad Galliæ &

German. Epiſc. conſequenter proruit, quod eadem dicitur Linum & Clementem non fuiſſe, Romanos Epiſcopos, ſed tantùm Chorepiſcopos: ſeditque ann. 12. d.16.

BENEDICTUS Romanus poſt menſ. 10. & dies 3. creatus eſt, hujus tempore Longobardi peſſumdant Italiam: ſcripſit Epiſtolam ad David Epiſcopum in Hiſpania Bœtica, de myſterio Trinitatis quà ex ſcripturæ teſtimoniis Eſai. 6. Exod. 34. Gen. 18. Eſa. 37. 2. Reg. 7. Matth. 28. confundit eos qui dicebant neminem veraciter poſſe probare Trinitatem unitatem fieri, mortuus eſt ex compaſſione afflictionis Italiæ ann. 4. & m. 2. 573

PELAGIUS II. Romanus poſt menſes 3. & dies 10. durante Urbis obſidione creatus eſt abſque juſſione Juſtini Imper. Ex ſanctione enim Juſtiniani confirmatio Imperatoris accedere debebat electioni à Clero, ac S. P. Q. R. factæ; ſic ut nemo poſſet Eccleſiæ Rom. præeſſe niſi eum fidum fore Imperio ſciret Princeps; ideò electi conſecratio differri ſolebat uſque ad literas patentes Imperatoriæ confirmationis, pro quibus obtinendis, id eſt pro licentia ſuſcipiendæ conſecrationis neceſſe erat tranſmittere Imperatori certam pecuniæ ſummam; Pelagius itaque veritus jam Tiberij, qui ſucceſſerat Juſtino miſit Gregorium Monachum ac Diaconum ſuum, ut ſe excuſaret quod neminem ob Longobardorum excur- 577

ſiones antea potuerit emittere ab Urbe.

Quomodo adminiſtraretur Rom. Eccleſia pendente confirmatione Imperatoris.

NOTA. Sic adminiſtrari ſolitam Romanam Eccleſiam, dum qui electus erat vetabatur exercere munus ſuum donec accederet confirmatio Imperatoris. Quatuor erant præcipui Eccleſiæ Rom. Miniſtri ſimul, ut refert Beda, lib. 2. hiſt. Angelic. cap. 19. Anno enim 639. Scoti conſulunt Severinum Papam de celebratione controversâ die Paſchatis, ſed cum deputati inveniſſent Severinum defunctum, Clerus Romanus unà cum Joanne IV. electo, nec dum confirmato litteras aperuerunt, Scotíſque reſponſa fecerunt, ſic habet inſcriptio: Dilectiſſimis Thomiano, &c. *Hilarius Archypresbyter*, & ſervans locum S. Sedis Apoſtolicæ, *Joannes* Diaconus, & in nomine Dei *electus*. *Joannes Primicerius*, & ſervans locum S. Sedis Apoſt. *Joannes* ſervus Dei & *conſiliarius* ejuſdem Apoſtolicæ Sedis. Perduravit hæc conſuetudo, uſque ad Benedictum II. creatum anno 684. id eſt annis 130. cujus ſanctitate permotus Conſtantinus Imperator Heraclij pronepos edicto ſuo indulſit, ut electus à Clero & S.P.Q.R. ſtatim nulla expectata approbatione aut confirmatione, Imperatoris ordinaretur ab Epiſcopis. Sed de his ſuo loco.

Cæterùm Gregorius agens Conſtantinopoli Eutychium Archiepiſc. ejuſdem convicit: ediderat is Commentarium de Reſurrectione, hanc tamen ex Origenis erroribus fore abſque carne palpabili inſtar aëris attenuata aſſerebat. Pelagius movet Gregorium

Romam 584. revocatum ad ſcribendum contra Schiſmaticos trium Capitulorum defenſores & Exarchum Italiæ in eoſdem commovet anno 587. Synodum quam collegerat Joannes Eutychij ſucceſſor diſſolvit prohibuitque Apocriſiario ſuo, ſeu Legato apud Imper. ne ei communicaret, quia ſuperbus arrogaverat ſibi nomen *Patriarchæ Oecumenici*, & conſenſerant coadunati Epiſcopi : extant Pelagij litteræ quæ tradunt nunquam antea permiſſum fuiſſe aliquem Antiſtitum Conſtantin. uti hoc nomine Oecumenici, ſed omnes ipſorum conatus repreſſos fuiſſe à Romanis Pontificibus, quibus ſolis competit ex Petri privilegio unà cum jure convocandi firmandique Concilia Generalia. Conc. Romæ habuit pro ſtatu Eccleſiæ, & Epiſcopis German & Galliæ Præfationes novem, quibus utitur Rom. Eccl. tenendas præſcripſit templum ſupra ſepulchrum S. Laurentij ædificavit, & lue inguinaria, quæ Orbem devaſtabat à plurimo tempore mortuus eſt, cum ſediſſet annos duodecim, m. 2. d. 10.

GREGORIUS Romanus, Gordiani Senatoris filius poſt menſes ſex. dies 25. conſecratur, qui tamen quàm primum à deceſſore, electus eſt invitus, & renitens, nam ut electionem irritam faceret Mauritium Imper. litteris à ſui confirmatione dehortatus eſt, dum Clerus per legationem eam requirebant; quod præſentiens Germanus, tunc Præfectus urbis litteras intercepit. Inter hæc 590

tamen neceſſitate graſſantis Romæ peſtis, in eo ſe Gregorius pro Pontifice geſſit, ut ſub finem menſis Auguſti Litanias generales, atque Proceſſiones publicas, & cum in procedendo perveniſſet, ad molem Adriani Tiberi adjacentem, viſus eſt Angelus ſuper ipſam recondens gladium in vaginam, quò ſignificabat luem extinguendam. Cum autem delatæ poſt hac fuiſſent confirmatoriæ litteræ latibula captavit, & diſſimulato habitu negotiatoribus ſe immiſcens portas civitatis egreſſus, in ſpelunca delituit, ubi deprehenſus indicio igneæ columbæ ſuper ipſum jugiter è cœlo dependentis, traductus eſt ad S. Petrum conſecrandus. In Pontificatu multa doctrinæ, ac ſanctitatis exempla reliquit, uſum in Sicilia, quo Subdiaconi uxores ducebant compreſſit, prohibuitque ne quis in poſterum Subdiaconus ordinaretur, niſi continentiam ſervare ſpopondidiſſet Epiſcopo. Plures longè poſt hac ſcriptæ extant ejus Epiſtolæ, quibus prohibet habitare, cum Clericis foeminas, hincque ruit fabella de capitibus infantium ſuffocatorum repertis in piſcina ſua, cùm piſces educi juſſiſſet, unde intelligens cædem hanc ex occultis fornicationibus Sacerdotum revocarit ſuum decretum. Tum de hoc portento nihil habent illius temporis Scriptores, & Epiſtola Sancti Vdalrici Epiſc. Auguſtani ad Nicolaum Papam, ex qua hoc dicitur deprompum, conficta evincitur, quia iſte Nicolaus II. creatus fuit 85. annis poſt defunctum Vdalricum unicũ hoc nomine Auguſtanis. Greg. anno 3.

emendat legem Mauritij prohibentem militibus Monachos fieri Anno 6. corripit litteris Joannem Patriarch. Conſtant. qui ſe Oecumenicum Patriarcham, ſeu univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum ſcribebat, & Legatum Sedis Rom. Sabinianum ab ejus communicatione avertit, ne ejus videretur ſuperbiæ favere. Accipitur autem univerſalis Patriarcha à Joanne pro nomine ſingularitatis, per quod alij Epiſcopi ſubſint ei, ut filij, & Vicarij, & non ut fratres, & in adminiſtratione collegæ; quo quidem ſenſu ſolus Chriſtus eſt univerſale Eccleſiæ caput; ipſáque Eccleſia univerſalis dicitur toto orbe diffuſa, extra quam nulla poteſt Eccleſia; & eâ ſignificatione negavit Gregorius ullum Rom. Pontificum illud ſibi nomen aſſumpſiſſe. At verò alia eſt hujus nominis ſignificatio, quâ univerſale dicitur, hoc eſt, quod remanentibus partibus integris ipſum ſupereminet cæteris? qua ratione vetuit olim Pelagius, & modò Gregorius aliquem inter Patriarchas dici Oecumenicum. Hoc enim ſoli Romano convenit, & datum eſt ab Oecumenicis Conciliis, cùm id quòd verè ipſe eſt exprimatur, nempè quod ipſi cura Paſtoralis univerſi gregis totius orbis concredita ſit, quam eum ſemper ubique, & in omnes exercuiſſe nemo neſcit. Cur autem Gregorius abhorruerit ipſum nomen univerſalis Epiſcopi, ipſe declarat, nempè quòd faſtuoſum nimis videretur, & Chriſtianæ humilitati, minimè congruens: unde ne mireris ſi ſe univerſalem dici negat, qui aliâ ad Imper. hoc eodem an-

Digitized by Google

no ſcriptâ Epiſtolâ negat etiam ſe eſſe Sacerdotem, ſicuti olim Paulus. 1. Cor. 15. indignum ſe dixit vocari Apoſtolum: Ex humilitate ergo, *Servum* ſe *Servorum Dei*, appellare inſtituit, quod & ſucceſſores hactenus fecerunt. Anno 7. Anglorum converſionem per Auguſtinum Monaſterij ſui præfectum promovit. Anno 9. ſollicitus de Monachorum quiete plura de iis ſcripſit, & Privilegia conceſſit Monaſterio Claſſenſ. quod cum à Diœceſanis Ravennæ dura pati cogeretur ab eorum poteſtate in pluribus exemit. Sic enim placuit ſummis Pontificibus occaſione nonnullorum Epiſcoporum Regulares opprimentium multa eis indulta, & exemptiones concedere. Multa ſcripſit de rebus ſacris aſſiſtente Spiritu ſancto, in ſpecie Colombæ, ſæpiùs viſæ à Petro Diacono, eáque de cauſa ejus imagini ad aurem appingitur. Cantum plenum inſtituit, Stationes, Proceſſionem in Ramis, & Purificatione. Tandem mœroribus, curis, & podagræ doloribus attritus migravit in cœlum promeritus Nomen *Magni*, cùm ſediſſet annos tredecim menſ. 6.

Monachorum Privilegiorum cauſa.

604 SABINIANUS, natione Tuſcus patria Volaterranus charus olim Gregorio, ejúſque Conſtantinopoli Apocriſiarius poſt Sedis vacationem menſium quinque, & dierum 18. creatur: ingratus deceſſori, cujus liberalitatem in pauperes, cum moneretur imitari, reſpondit Gregorium ex popularis famæ ambitu diſſipaſſe largitionibus patrimonium Eccleſiæ. Cæterùm ab hoc laudan-

dus habetur, quòd cùm antea niſi horologiis Sciotericis, aut Clepſydris ad Horarum Officij divini diſtinctiones uteretur Clerus; ille voluerit diſtingui pulſu Campanæ commoditati omnium noctu, & interdiu ex æquo conſulens Sigebertus in Chron. ſcribit eum ab ipſo Gregorio per viſum, ter de tenacitate ſua, ut prehenſum quartò terribiliter increpitum, atque in capite percuſſum eſſe, eóque dolore vexatum, non multò poſt mortem obiiſſe; habet autem Anaſtaſ. corpus ejus non fuiſſe ex more per medium civitatis, cum funebri pompa ad S. Petrum delatum, ſed ejectum extra urbem per portam S. Joannis, perductúmque uſque ad pontem Milvium, indéque illatum in ipſam S. Petri Eccleſiam, & tumulatum. Hocque ita factum quòd exaſperatus eſſet in eum Populus Rom. eò quòd dira urgente fame triticum Eccleſiæ non erogaſſet in pauperes ut conſueverat Gregorius, ſed venum expoſuiſſet triginta ſolidis modium unum. Sedit menſes quinque, dies 19.

BONIFACIUS III. Romanus Gregorij olim ad Phocam Imper. Apocriſiarius poſt annum vacationis creatur; Accidit enim ſæpius, ut qui eo functi eſſent munere, iidem in ſummos Pontifices eligerentur, cùm videlicet Clerus eos eligere ſtuderet, quos ſciret Imperatori fore gratos: Phocas Imper. in odium Cyriaci Patriarchæ Conſtantinop. (qui pro immunitate Eccl. reſtituerat ei, ne Conſtantinam Mauritij relictam cum 3. fi- 606

liabus ad Eccleſ. refugiatam abſtraheret) Imperiali edicto ſancivit nomen *Vniverſalis* decere tantummodò Eccleſiam Romanam, tanquam quæ caput eſſet omnium, ſolique convenire Rom. Pontifici, non autem Conſtantinopolitano, qui ſibi illud uſurpare præſumeret. Quod quidem hunc Bonifac. Pap. III. à Phoca obtinuiſſe Anaſt. Bibliothecarius & Paul. Diac. tradunt, hincque mœrore Cyriacum deceſſiſſe habent Græci Annales; ſic autem terminata fuit lis Papæ, & Patriarchæ Conſtant. non quòd Phocas privilegium exercendi Primatum in Eccleſia tribuerit Rom. Pontifici (quod garriunt Novatores) hunc enim exercuerat ſuper omnes Patriarchas Orientales, multoſque magis ſuper Conſtantin. omnium noviſſimum, vide fol. 1089. quæ ſcripſi, ſed in eo tantùm, quòd ipſi nuper Oecumenici nomen uſurpaſſent & reclamantibus, licèt Rom. Pontificibus conſervaſſent, hactenus favore Mauritij Imperatoris: Hanc igitur cauſam ſententiâ ſuâ Phocas decidens, eam adjudicavit ſoli Rom. Epiſcopo. Habet Bonif. Conc Romæ 72. Epiſc. & Cleri, in quo decrevit ſub anathemate ne quis in demortui cujuſvis Epiſcopi ſuffectionem tractaret, niſi ſaltem tertiâ die poſt ejus obitum. Sedit menſes 8. dies 23.

607 BONIFACIUS IV. Romanus, poſt menſes 10. & dies 6. ſubrogatur, qui ſtatim domum ſuam in monaſterium erexit, cui fundos ſuos in uſum Monachorum adſcri-

pſit;cúmque antea nullum templorum Deorum Gentilium eſſe uſui] Chriſtianorum dedicatum , & propter Honoris hanc legem , *Sicuti ſacrificia prohibemus, ita & volumus publica ornamenta ſervari.* Extarent complura ſana & intactum remanſiſſet PANTHEON, nobile delubrum à Marco Agrippa ter Conſule tempore Auguſti erectum, Jovique vindici conſecratum omnibúſque Diis, ideóque ad mundi formam circulariter ædificatum : Bonifacius illud à Phoca Imp. impetravit & ejectis ſimulachris Gentilibus , in honorem Dei genitricis Mariæ & omnium SS. Martyrum,quorum plurimorum reliquiæ ex cæmeteriis eò tranſlatæ ſunt,conſecravit, & ut rei memoria perpetua eſſet , ſtatuit feſtivitatem omnium Sanctorum martyrum ibidem celebrandam Kalendis Novembris ; quam in omnium Sanctorum honorem ubique celebrandam extendit Gregor. IV. anno 835. ſub ultimo anno Bonifacij, qui incurrit in Chriſti. 614. Coſroes Rex Perſarum , Ægypto & Africâ occupatâ , ſanctam Hieruſalem occupavit, & devaſtavit loca ſancta, cæſis ibi innumeris Chriſtianis,quorum plures 90 , millia vili pretio venundata Judæis poſt innumera tormenta ab iiſdem illata dirè trucidata ſunt. Zacharias verò Patriarcha unà cum Chriſti cruce aliáque prædâ in Perſidem abductus eſt. Hic in temporis calculo diſcrepare notatur à Breviario Romano Baronius,qui devaſtationem prædictã ponit Heraclio jam quintum agente imperij regnum. Breviarium verò extremis Pho-

cæ imperij temporibus. Unum certum eſt Heraclium capta Conſtantinopoli Phocam manibus, pedibus, ac pudendis obtruncaſſe, & qui jampridem in Africa appellatus erat Imperator coronam à Sergio Patriarcha ſuſcepiſſe, & Phocæ ſucceſſiſſe, qui juſtè ſic periit ob Mauritij Domini ſui crudelem, quam fecerat & prolis ſuæ internecionem. Sedit Bonifacius annos 6. menſ. 5. dies 12.

615 DEUS-DEDIT Romanus, Cardinalis S. Joann. poſt menſ. 5. & dies 12. omnium votis præficitur; cùm autem ex terræ motibus vehementiſſimis in italia lues Elephantiæ ſubſequuta eſſet, túncque Papa viſitaret ægrotos in Urbe, unum ex illis ex commiſeratione exoſculans ſanavit. Extat unius Epiſt. fragmentum apud Gratian. à Papa ſcripta ad Epiſc. Hiſpan. de viris ac mulieribus qui proprios liberos ſuſcepiſſent ex Baptiſmo, quos ex ſententia Prædeceſſorum juſſit à carnali copula abſtinere. *Secundũ in Clero inſtituit peragendam Miſſam ſingulis diebus*, ait Diacon. unde intelligas unicam priùs dici ſolitam. Sedit annos tres, dieb. 5. minus.

618 BONIFACIUS V. Neapolitanus poſt menſem & 16. dies ſubrogatur, vir ſingularis clementiæ & humanitatis. Anno ejus primo Chriſti 618. Heraclius pragmaticam ſanctionem edidit, ne quis coaptaretur in Clerum niſi in defuncti locum ſubrogaretur, tot enim favore Procerum ſe ſe in Eccl. Conſtantinop. intrudebant, ut redditus ad

alendos omnes non ſuppeterent 620. Heraclius expeditionem parans adverſus Perſas, & pecunia militiæ nervo careret ob repetitam ſubditorum expoliationem à Perſis, eò adactus eſt, ait Theophanes, ut ab Eccleſiis & religioſis domibus mutuò, quam haberet pecuniam acciperet, ſed & Sacra earumdem aurea argenteáque vaſa conflaret quò poſſet militibus pro templis & S. Crucis recuperatione certaturis ſtipendia ſolvere: multas Heraclius in Coſroem Regem Perſarum victorias obtinet, quas ſine dubio Crux Chriſti captiva Perſis damnoſa ut olim Arca Philiſtinis 1. *Reg.* 5. operatur. Papa confugientes ad Eccleſias ne vi retrahi poſſent, ſancivit. Eduino Regi Anglorum ſcribens præfatur ſe *ſervum ſervorum Dei*, teſte Beda lib. 2. Hiſt. Sedit annos ſeptem, m. decem, diem unum.

HONORIUS natione Campanus, Petronij Conſularis filius, Canonicus Regularis, Theologia & Poëſi excultus, poſt 626
menſes 6. dies 18. creatur: Heraclius à ſex jam annis belligerans in Perſide Coſroem multis attributum debellationibus in fugam compulit, qui in Seleuciam urbem trans Tigrim munitiſſimam ſe cum conjugibus, liberis, & theſauro recepit, ubi in morbum incidens, cùm operam daret, ut Maderſam filium coronaret, Syroës major natu filius de necando patre, cum Optimatibus egit: eum itaque fugientem capit, illudit, Maderſam alióſque fratres coram ipſo interficit, ipſúmque poſt 5. dies acubus perimi fecit. Ita

Theophanes, & Cedren.

Syroës regno potitus pacem cum Heraclio iniens mox captivos omnes reſtituit, & cum Zacharia Hieroſolymitanorum Epiſcopo S. Crucis lignum intactum, nec à Perſis viſum, quod in Perſidem in theca ſua obſignatum traductum fuerat à Choſroë, ſicque remanſerat. illud anno 628. Heraclius tranſtulit Conſtantinop. & inde Hieroſolymam, accurrentibus ad ſpectaculum Fidelibus cum palmis, olivis, ſuffitibus, atque luminibus. Ergo Crux 14. annis in Perſide captiva, in locum Calvariæ, unde fuerat à Perſis ſublata, reſtituitur ab Heraclio eam humeris ſuis referente: hinc Feſtum Exaltationis celebratur. 14. die Septembris. Collabitur interea Regnum Perſarum, pulſóque ultimo Rege Hormiſda à Saracenis, delatum eſt ad Arabes. Mahomet tyrannidem ſumit apud Arabes, & quia Heraclius Judæos regnicolas ad ſuſceptionem Baptiſmi compulit. Sarraceni, & Arabes bellum ineunt ſub Duce Mahomete qui ut Dei Propheta apud ipſos habebatur, primúmque certamen init prope Mecham: legem præſcribit, à Judæis, Arrianis, ac Neſtorianis, præſertim Sergio Monacho, varias edoctus hæreſes, quam ſibi cælitus traditam fuiſſe affirmat Arabicè eleganter in Motheth villâ, anno 624. conſcriptam, quam Alcoranum nuncupavit, *vide Hiſtoricos.* Sarracenis autem Syriæ inhiantibus reportata eſt S. Crux, anno 633. Conſtantinopolim ad ſecuritatem; ibi à Clero & populo ſolet adorari tribus diebus Hebdomadæ ſanctæ; pro-

fluereque ex nodis ligni liquor odoriferus, quo omnes ægritudines ſanarentur; ut ſcribit Beda *de loc.ſanct. c.*20. Cyrus Alexandr. Patriarcha promulgat hæreſim. Honorius informatur à Sergio Epiſc. Conſtantinop. Silentium imponit Papa propugnans fidem. Sed à Schiſmaticis litteræ ejus infamantur de eodem Monotheliſmo de quo agebatur. Ejus anno undecimo Hieroſolyma capta eſt à Sarracenis, & 13. Rex Hiſpaniæ Cinthilanus cognominatus *Catholicus*, quia de ejus & Optimatum ſententia ſtatutum eſt in Concil. Toletano VI. ut qui aſſumeretur ad Thronũ juraret ſe non permiſſurum aliquem in regno ſuo degere, qui non eſſet Catholicus. Obit Honorius commendatiſſimus cùm ſediſſet annos 12. ac menſes. 5.

SEVERINUS Romanus eligitur, ſed Græci Legatos Conſtantinopolim miſſos, pro 638
confirmatione diutiùs retinent, donec ipſi promittant ſe Papæ perſuaſuros ut Ecthesim ab Heraclio promulgatam ſubſcriberet: ſic vacavit Sedes 19. menſibus & diebus 17. Anno 639. Heraclius jamdudum ab hæreticis deceptus, jamque in Monotheliſmo induratus *Ecthesin*, id eſt expoſitionem, promulgavit, quam Sergius ita callidè concinnarat, ut fallere poſſet quempiam incautum: hanc ab Imper. ad Exarchum Italiæ, & per eum ad Severinum ad approbationem, miſſam conſtat ex Cyri ad Sergium Epiſtola, ſed deteſtatus eſt eam Papa cum univerſo Clero, & anathemate damnavit. Inter hæc

Digitized by Google

Iſacius Exarchius Epiſcopum Lateranenſe devaſtat & expilat, & Cardinales reſiſtentes in exilium repellit, quod antehac nunquam factum fuerat. Severinus itaque exagitatus à miniſtris Imperatoris ob damnatam Ecthe- ſin, Sedet à confirmatione, menſes duos & dies 4. ut ſcribit Anaſt. ad Severinum facta eſt Legatio Scotor. Vide dicta in Pelagio II.

639 JOANNES IV. Dalmata, poſt quinque menſes ordinatur: pendente autem ejus firmatione perlatæ ſunt Epiſtolæ Scotorum, ad Severinum Pap. defunctum, quibus Clerus reſponſum dedit, ut ſupr. notavi. Anno 640. Collecta Synodo damnavit Ecthesſin & Monothelitarum hæreſim, quæ Imperatoris authoritate multum invaluerat. Damnarunt eandem Ecthesſin Eccleſiæ Africanæ. Quod audiens Heraclius novo edicto promulgavit, hanc non eſſe ſuam ſed Sergij, qui eam ſuo nomine edidiſſet (debebat rectæ ſuæ fidei edictum promulgare, ut ſuſpicionem hære- ſeos elueret) qui infœliciter 31. annum imperij clauſit infœliciter anno. 641. Joannes autem erogavit theſaurum reſiduum in redimendis captivis, ſeditque an. 1. m. 9. d. 6.

641 THEODORUS Theodori Epiſcopi filius, Hieroſolymitanus, poſt menſem & 13. dies ſubrogatur. Convincitur Pyrrhus Conſtan. Epiſc. in diſputatione cum Maximo Abbate Conſtan. Orthodoxo: Romam accedit Catholicæ ſuæ fidei libellum offert Pontifici à quo redingratur in Patriarcha-

tum cum honorifico commeatu.. Relabitur, quod audiens Papa eum damnat,& deponit: & accedens ad ſepulchrum S. Petri de ſanguine Chriſti ex calice diſtillato in atramentum depoſitionem Pyrrhi excommunicati conſcripſit: quo ritu octava Synodus uſa eſt adverſus Photium, nequaquam tamen à Latinis de cætero uſurpatus legitur. In pauperes benignus extitit Theodorus: extruxit Baſilicam via Flaminia, ſeditque ann. 7. m. 5. d. 20.

MARTINUS Tudertinus, patriâ in Tuſcia,poſt menſem,& dies 16.inthronizatur; mox Synodum habet Lateran. 105. Epiſcoporum, non tam ut Sergius, Pyrrhus & Paulus Epiſcopi conſtantinopolitan damnarentur,qui jam fuerant damnati, quàm ut recens ab Imperat. Conſtante promulgata formula *Typus*, dicta (quæ ſilentium indicebat tam iis, qui duas voluntates & operationes, quàm qui unicam credebant.) proſcriberetur, & anathematizaretur. Interim Olympius Exarchus., qui in Italiam miſſus fuerat à Conſtante ut Typum in Italia promulgaret,decreto Synodi perturbatus; quod ultimum erat, de Martino ſi obſtaret, tollendo, juſſum intentat. Primò ergo ſeditionem per exercitum movere tentavit, & cùm fruſtra id fieri videret, Spatarium ſuum impulit, ut dum in Miſſa ab eodem Pap. Communionem acciperet, eum interimeret: ſed excæcato divinitus eo tempore Spatario, Olympius poſtea reconciliatus eſt Pontifici, 649

Digitized by Google

Acta Synodi damnantis Typum, in diverſas Provincias mittuntur. Monet Martinus Conſtantem: furore repletur, & ne hæretici & perſecutoris nomen incurreret cauſas effingit, quibus juſtè videatur expellere Martinum. Mittit itaque Calliopam Exarchum Italiæ, qui defuncto ſucceſſerat Olympio, ingreſſus militariter Eccleſiam Conſtantinianam, ac Palatium Lateran. & noctu ægrũ podagra Pontificem navi impoſitum tradidit in Orientem aſportandum. Agit annum in Inſula ærumnosè, adducitur Conſtantinop. ibi ſeminudus & ferreis catenis onuſtus, per urbem tractatus eſt, & per ſex menſes in carcere detentus: inde Cherſonam relegatus, ubi ærumnis fractus, obit miraculis poſt mortem clarus, cùm ſediſſet annos 6.

654 EUGENIUS Romanus, quem Calliopas introduxit, cum audivit Martinum ad Cherſonam relegatum ad finem vitæ, Vicariâ tamen Præfecturâ ſuſceptum à Clero vivente Martino, quo mortuo legitimè cœpit ſedere annum unum in manſuetudine, & magnificentia in pauperes.

655 VITALIANUS Signinus, Provinciæ Campaniæ, poſt menſes duos ordinatur, qui ex more Apocriſiarios, ſeu Reſponſales ſuos miſit ad Imper. cum Synodica fidei confeſſione, quos Imper. benignè ſuſcepit, confirmatiſque privilegiis Eccleſiæ Rom. per eoſdem miſit ad Papam Evangeliorum codicem gemmis miræ magnitudinis exornatum.

natum. Sic vafer Princeps voluit demereri Clerum Rom. & populum, quos ſibi infeſtos non dubitabat eſſe ob ejectionem Martini. Ann. *663*. accedit Romam Imper. cui Papa cum Clero obvius ad quintum lapidem acceſſit: viſitat Eccleſias; Vaticanæ offert Pallium auro textili, ſed poſt dies 12. Romam ſpoliat uſque ad tegulas æreas S, Mariæ ad Martyres, prædam navibus direxit Conſtantinopolim. Vital. cantum Eccleſiaſticum ad conſonantiam Organorum ordinaſſe dicitur, uti muſicis peritus in hoc exemplum Davidis ſecutus. Sedit ann. 13. m. 5. & ſanctus habetur.

ADEODATUS Romanus, Monachus laudatiſſimus, quòd neminem inconſolatum à ſe diſcedere ſineret, ſubrogatur poſt men. 2. dies 13. ædificavit templum S. Petri via Portuenſi, & Monaſterium S. Eraſmi in monte Cælio, quod excoluerat. In Archivo Turonenſi extat ejus Epiſtola, qua per privilegium eximit à poteſtate Epiſcopi Monaſteriorum S. Martini. Sedit annos ſeptem, men. 2. dies 16. *669*

DONUS Romanus, poſt men. 4. d. *6*. creatur: veſtibulum B. Petri quadriporticum marmoribus ſtravit: Theodorum Ravennæ Epiſcopum ad obedientiam Romanæ Sedis deduxit, Sedit annum unum, menſ. 5. dies 10. *676*

Digitized by Google

678 AGATHO natione Siculus, Panormitanus Monachus, poſt menſes duos, & dies 5. ſubrogatur: Imperator Conſtant. Pogonus agit de pace Eccleſiæ, hortaturque Papam, ut Legatos mittat ad Concil. Conſtantinop. & Epiſcopos Occidentales, pro quorum omnium ſumptibus juſſit Theodorum Exarchum Italiæ omnia ſubminiſtrare. Interea Theodori Epiſcopi Conſtantinopol. qui Vitalianum Papam è Sacris Diptychis contra expreſſam ipſius Imper. prohibitionem eraſerat, depoſuit, & Gregorium ſubrogavit, ſignificatur in Occidente voluntas Imp. paſſimque habentur Concilia adverſus Monothelitas.

Concilium Gener. VI. Conſtantin. III.

Anno 680. convocati ſunt Conſtantinopolim centum ſeptuaginta Epiſcopi, ut exprimit Balſamon, variatur enim à pleriſque numerus: in ultima autem actione Synodi numerantur ſubſcripti omnes 166. locus congregationis fuit, ut habent Acta, Secretarium

Digitized by Google

Sacri Palatij Trullus *dictum : interfuit Imperator cum Magiſtratibus, omnibus fermè actionibus, ut eas moderaretur : Legati Agatonis digniori loco ſederunt, ſiniſtris ſcilicet tunc pro digniori reputatis primi enim ſententiam dixerant, primiſque ſubſcripſerunt : in medio autem ſuper ornatam Sedem Codex Evangeliorum Chriſtum repræſentans : habitæ ſunt Actiones ſeu Seſſiones* 18. *Præfantur exordientes Legati Papæ, quòd* 4. *Conſtantinop. Epiſcopi Sergius, Pyrrhus ,* Paulus *, & Petrus. Itemque Cyrus Alexandriæ Epiſc. atque Theoderus Epiſcop. Pharan novam induxiſſent hæreſim ante annos circiter* 46. *de una in Chriſto voluntate & operatione.*

Reſpondet Macarius Antiochiæ Epiſcopi hujus ſectæ, nullam editam novitatem, ſed ea tantum prolata eſſe, quæ à ſacris Synodis & Patribus *eſſent accepta. Itaque tam in hac prima quàm in totis quinque ſequentibus Actionibus, nihil aliud actum eſt niſi, quòd lecta ſunt Acta Conc. Epheſ. Chalcedon. & Conſtant. V. necnon teſtimonia quam-*

plurima Patrum, ex quibus Macarius vanè jactabat aſſeri unicam in Chriſto voluntatem: quæ quidem diligenter examinata à Synodo inventa ſunt detorta, falſata, ac detruncata Act. 7. juſſa eſt fieri collatio exactiſſima de teſtimoniis Patrum utrimque adductis, cum codicibus Patriarchij, per Macarium, & Georgium Conſtantinopolit. Epiſcop. Act. 8. Georgius relatione facta de veritate locorum à Legatis Apoſt. prolatorum, palàm teſtatus eſt ſe, cum iiſdem S. Patribus profiteri duas in Chriſto voluntates & operationes, cujus confeſſioni omni, Synodus adhæſit, excepto Macario & Stephano Abbate, qui proteſtatus eſt, ſe non diſceſſuram ab opinione contraria etiamſi membratim præcideretur, nec erubuit ſe, ut ſtabiliret quod credebat jactare, quod ſcripta Patrum corrupiſſet. Itaque conclamatum eſt anathema in eum, & ablata inſignia Epiſcopalis Patriarchatus damnatáque ejus & aliorum hæreticorum ſcripta actione 13. lata eſt ſententia adverſus omnes Monothelitas ſupradictos, poſt quos etiam in Actis vul-

gatis ſeparatim nomen additur Honorij Papæ, tanquam & ipſe in Epiſt. ad Sergium ſcripta ipſius adhæſiſſet errori de unica in Chriſto voluntate. Sic & Synodorum Compilator Caranza refert, Spondanus hîc conatur probare corrupta fuiſſe Acta à Theodoro, quem expulerat Imperat. Subrogatus enim Gregorius obiit poſt annum, & ipſe reſtitutus fuit anno 682. poſt confeſſionem fidei exteriùs factam: egit autem apud Imper. ut Legati Apoſtolici variis prætextibus detinerentur Conſtantinopoli diutius, atque interim Acta Synodalia dimoveri non ſinerentur; ſic nomen ſuum ipſe è damnatorum numero delevit, atque in ejus locum Honorij nomen inſeruit. Vide quæ in Art. de Pontif. dixi fol. 1101. Act. 17. Orthodoxæ fidei decretum lectum eſt quo quinque Univerſalia Concilia confirmata ſunt, appoſitáque eſt damnatio Monothelitarum ex præſcripto Epiſtolæ Agathonis, ac de uno volente & operante in duabus operationibus & voluntatibus doctrina ſubſcripta eſt, & facta Epiſtola Synodalis ad Agathonem, tanquam, ut

legitur, Primæ Sedis Antiſtitem univerſalis Eccleſiæ ſtantem ſupra firmam fidei Petram, *pro confirmatione.*

Addit Anaſt. abraſa eſſe à Diptychis nomina Patriarcharum damnatorum, eorumdémque picturas de Eccleſiis, aliiſque ubique locis ablatas; & Dominica Octavarum Paſchæ Miſſam latinè celebratam eſſe in templo S. Sophiæ ab Epiſcopo Portuenſi; *præſentibus Imperatore & Patriarchæ ac latinis vocibus acclamationes fauſtas à toto cœtu factas.*

Addit denique per Legatos Romam redeuntes ſcriptam ab Imper. Epiſtolam, quâ ſignificavit ſe liberare Rom. Eccleſiam à penſitatione illa pecuniæ quam primùm Gothorum Reges Arriani perſolvendam recens creatis Pon*tificibus indixerant, ac poſt illos extinctos, Orientales Imperatores exigebant: retinuit tamen adhuc Conſtantinus jus confirmationis olim tyrannicè pariter uſurpatum.*

Tantæ ſanctitatis notatur Agatho, ut leproſam oſculo ſanaverit. Sedit ann. quinque.

Digitized by Google

LEO II. Siculus, pietate, & eruditione præſtans, & muſicæ peritiſſimus, poſt 683
menſes duos & dies quinque ordinatur, conſecratur à tribus Epiſcopis Oſtienſi, Portuenſi & Velletrenſi quod deinceps obſervatum notatur, cùm prius ab Oſtienſi ſolo conſecratio data legatur. Concilium VI. approbavit: Macarium alioſque in eo damnatos Romam miſſos retruſit pertinaces in diverſa Monaſteria. Superbiam Epiſcopi Ravennatis ſe ob Exarchatum extollentis retudit, decernens, ut Archiepiſcopus, ut mos fuerat, Romam veniret ordinandus. Pallium Archiepiſcopis gratis dandum ſancivit. Baptiſmum, quolibet die conferendum ſtatuit. Cantum Eccleſiaſticum promovit, ſanctúſque ſedit men. dec. d. 15.

BENEDICTUS II. Romanus poſt menſ. 684
& dies 22. creatur. Hujus pietate, & eruditione motus Conſtantinus ſtatuit, ut is quem Clerus populuſque Rom. elegiſſent Pontificem, eum haberent nullâ expectatâ Imperatoris, ſeu ejus Præfecti confirmatione, ſicque mox ordinaretur. Hoc anno Imper. dedit filios ſuos Benedicto in filios, mittens eorumdem cirros capillorum. Sic Symbolicè aliquis offerebatur in filium, & patrem: cujus ipſi monita impensè ſuſcipere deberent. Obit Imp. ſuccedit Juſtinianus filius: obit & Papa, cùm ſanctus ſediſſet, menſ. 8. d. 17.

Digitized by Google

685 JOANNES V. natione Syrus, patria Antiochenus, poſt menſ. 2. & dies 15. ſubrogatur, Agatonis olim ad 6. Synodum legatus: moxque ab electione ordinatus ex conceſſione ſup. librum de Palatij dignitate conſcripſit. Sedit annum unum & dies 11. ut ſcribit Anaſtaſ.

686 CONON natione Thrax, patriâ Tomitanus, poſt men. 2. d. 18. præficitur conſentientibus in eum omnium votis, cùm antea eſſet.

SCHISMA VIII.

Ex diviſione ſuffragantium, quia Theodorum ex una, & Petrum ex alia parte Romanos Presbyteros elegerant.

NOTA Ex Anaſtaſio. Legatos directos ad Theodorum Exarchum, qui eum de electione Pontificis admonerent, nimirùm cum Papæ confirmationem remiſiſſent Imperatores, voluerunt tamen, ut non crearetur abſque Italiæ Exarchi, qui propiùs adeſſet, conſenſu: Hinc ob ortum eſt malum illud, ut ambientes Papatum, per Exarchi miniſterium conſequi illum quomodocumque conarentur, ſæpéque inde ſchiſmata conflarentur. Munificus notatur Conon in ædes Sacras ob delegata eis data, Angelici nomen ſortitus deceſſit, in menſe 12. Sedis.

688 SERGIUS Antiochenus, poſt duos menſes & dies 13. præficitur.

Digitized by Google

SCHISMA IX.

Populus in duas partes diviſus, pro Theodoro Archipresbytero, & Paſchali Archidiacono certat: hinc autem maxima pars Cleri cum Optimatibus Sergium, quem inſignis probitatis & Doctrinæ Leo Presbyterum tituli S. Suſannæ ornaverat, uno conſenſu Pontificem creant: cui cum ſtatim Theodorus ceſſiſſet, Paſchalis quoque pudore coactus id ipſum publicè egit, ſed clanculùm Joannem Exarchum promiſſis centum auri libris Ravennâ Romam accerſivit. Intelligitur autem ex Sergij Epitaphio Theodorum cognitum fuiſſe Pontificem, nec niſi eo mortuo Sergium ſediſſe, quod quidem reliquos Scriptores penitùs prætериit. Tradit autem Anaſtaſ. Exarchum centum auri libras promiſſas, ab Eccleſia S. Petri fruſtrà reclamante Sergio immitiſſimè extorſiſſe.

Concilium Generale V, Conſtantin. II.

Anno Chriſti 692. convenerunt Conſtantinopolim, ſub Juſtiniano juniore 227. Epiſcopi, & Callinico ejuſdem

Patriarcha, & ſine conſenſu Papæ, aut ejus Legatione, Synodum (quam Patres juſtè Erraticam *dixerunt) iniere in Trullo, ad ſupplementum, ut habet Præfatio Præſidentis*[1], *quintæ & ſextæ Oecumenicæ præcedentium, quòd Canones non fecerint ad Eccleſiarum conſtitutionem, ſicut quatuor præcedentes: propterea enim nec ſexta propriè numeratur, ſed* Πενθέκτει, *id eſt, Quini ſexta, quia quod quintæ ante* 150. *annos factæ, & ſextæ ante annos* 10. *deerat, replevit : ibi* 102. *Canones editi ſunt; qui multa habent contra veterem Traditionem & Conciliorum decreta, ut v.g. Can.* 13. *decernitur deponendos eos, qui audeant poſt ordinationem Diaconos & Sacerdotes cum prioribus ſuis legitimis uxoribus conſuetudine privare, &c. Cæterùm Sergius damnat hos Canones, quos eorum fabricatores ſtatuerunt ab eo confirmare, eoque renuente conati ſunt, ſed fruſtra à Joanne VII. & Conſt. Pap. approbari; imò nec Patriarchæ Orientales, excepto Conſtant. admittere voluerunt, quòd nec per ſe, nec per Legatos interfuiſſent huic Con-*

ciliabulo. Vide hos Canones apud Caranzam. Nec prodeſt pro eorum legitimatione, quod Gregorius II. & Adrianus 83. citarint, qui eſt de imagine Chriſti in figura non Agni, ut prius conſueverat, ſed hominis pingendâ, ſi quidem id egerunt, dum adverſus ipſos Græcos, eoſdemque Iconoclactas pugnarent; nempè ut ſuis ipſorum gladiis jugularent.

Verùm quamvis S. R. E. eos Canones ſemper ſit adverſata, toleravit tamen multa in Græcis, putà connubia Clericorum, & alia ejuſmodi, quandiu Catholicæ fidei & Eccleſiæ unitati non ſunt adverſati (quod plenè contigit ſub Photio Conſtantin. Pſeudo-Epiſcopo circa annum 886.)

Ob rejectionem Canonum Imperator mittit Protoſpatarium ſuum, qui Papam vinctum traducat Conſtantin. Sed præſtò exiſtens auxilium divinum effecit, ut Italica militia Ravennâ & aliundè cum ducibus ſuis Romam adveniens, Sergium à periculo liberaverit; Zachariam autem protoſpat. injuriis & contumeliis agitatum Urbe expulerit:

qui ut tradit Anaſt. viſis undique concurrentibus militibus in cubiculum ipſius Pontificis perfugerat, & ſub ejuſdem lectum præ nimia temporis anguſtia ſe abſconderat. Sergius adjunxit Miſſæ decantandum ter Agnus Dei. *Litanias B. Virginis 4. ejus principalibus feſtis decantandas conſtituit, B. Petri Baſilicam reparavit Leonis magni corpus in locum celebriorem reportavit, ſancti Crucis portionem incluſam capſæ argenteæ ex revelatione declaratam produxit adorandam. Sedit Sanctus ann. 13, m. 8. d. 14.*

701 JOANNES VI. Græcus, poſt menſem & dies 20. eligitur: venit autem Romam Theophylactus, Patricius & Exarchus Italiæ, aliquid moliturus adverſus eandem: ſed univerſa malitia Italiæ Romam convenit in Papæ defenſionem, à cujus furore Theophylactus, per eundem Joannem liberandus fuerit. A quo tempore Exarchorum vires admodum tenues reddi cœpere, contrà verò Pontificum, pro quibus milites ſtarent, augeri: adeò ut poſt hæc ſupplices, non inſultantes, in Italiam mittere Imperatores ſolerent Exarchos. Templum S. Andreæ reparavit, ſeditque annos 3. m. 2. d. 18.

705 JOANNES VII. Græcus. poſt menſem & dies 18. ſufficitur. Quòd enim tyrannicæ

confirmationi Rom. Pontificis tandem renuntiaſſent Imperatores, ſtuduerunt aliâ viâ id efficere; nimirum id agentes, ut in Collegium S.R.E. Clericorum alligerentur Orientales, iidémque operâ Exarchorum crearentur Pontifices. Hincque videas tot his temporibus ſediſſe ejuſdem Eccleſiæ Antiſtires ex Oriente prognatos: ſed factum eſt tanquam miraculum à Deo, ut iidem creati Pontifices Sedis Apoſt. ſpiritum pariter hæreditarint Apoſtolicum, & ſteterint adverſus conatus Imperatorum, & Orientalium Epiſcoporum. Quod de iſto Joanne probatur, ad quem Juſtinian. direxit legationem duorum Metropolitanorum, ut ſancitos Sergij temporibus. Quini ſextæ Synodi Canones examinaret, & pro arbitrio ſeligeret & reprobaret. Convocat Pap. Synodum, & recuſat approbare, quod in non legitima Synodo erat ſtatutum: tamen Canones non reprobat, ne commoveret animum Imperatoris. Verùm non recepiſſe, ſátis videri poterat condemnaſſe. Singulariter delectabatur picturis, quas ad veri ſimilitudinem complures exquiſivit SS. Patrum, quibus ornavit Eccleſias. Sedit annos 2. m. 7. d. 17.

SISINIUS Antiochenus, poſt men. 3. creatur, podagrâ ita conſtrictus, ut cibum ſibi exhibere non valeret. Obit poſt dies 20. 707

CONSTANTINUS natione Syrus, poſt menſem ſubrogatur graſſante fame triennali, cui providè ſuccurrit pauperes ſu- 707

Digitized by Google

blevando. Ravennæ Arch. Epiſc Romam venit ex more conſecrandus, ſed rediens iterum ſe ſchiſmate diviſit à Romano, cujus rei cauſa Imperator captâ civitate rebelles bonis ſpoliavit & interfecit, Felicem verò Arch. oculis privavit & in Pontum relegavit. Hoc meruere Ravennates, quòd Exarchum confiſi potentia, ſæpius contra Rom. Eccleſiam rebellantes abuſi eſſent veniâ ſæpius datâ ad jactantiam Imper. Juſtinian. Papa Conſtantinopolim navigavit, ubique Imperatorio ſuſceptus honore, ad cujus occurſum Nicomediæ Imperator coronam in capite geſtans ſe ſe proſtravit ad pedes ejus, eoſque oſculatus eſt, deinde in amplexum mutuum corruerunt, proximâ autem die Dominica communicavit à manu ſolemniter celebrantis, & requiſitus à Papa privilegia Eccl. Romanæ confirmavit, licèt in controverſia, quæ erat inter Occidentales & Orientales, de Canonibus quini ſextæ Synodi Pontifex nihil remiſiſſet, ſed acerrimè propugnaſſet antiquas Patrum conſtitutiones. Poſt tres menſes à reditu Pontificis Tertij allatum eſt nuntium Romæ de nece Juſtiniani, cui ſucceſſit Philippicus, qui ſtatim Synodum colligit ad promovendum Monotheliſmum, quem profitendum edixit, ut patet ex Theophanis & Cedreni Annalibus, loco ergo Catholicæ profeſſionis hæreticam, & execrabilem mittit ad Papam, qui non ſolùm eam deteſtatus eſt, ſed S. P. Q. R. Zelo fidei accenſus ſtatuit nequaquam Imperatoris hæretici nomen, aut diplomata, vel etiam imagi-

nem monetæ ſuſcipere(unde nec ejus effigies ex more in Eccleſiam introducta fuit, nec ejus nomen ad Miſſarum ſolemnia prolatum) verùm poſt annum & ſex menſes imperij excæcatus fuit, & in exilium ejectus Philippicus. Ita Annales Græci & Latini. Papa autem optimè perfunctus Pontificatu, ſex annis & menſe è vita deceſſit.

GREGORIUS II. Romanus, ex Monacho Benedictino Cardinalis à Conſtantino poſt 40. dies creatur vir piè doctus. Mox mœnia Urbis collapſa ædéſque Sacras ſedulò reparavit. Anno 716. Monaſterium Caſſinenſe à Longobardis incendio vaſtatum reſtituit, & diſciplinam S. Benedicti propè intermortuam ſuſcitavit, per Petronarem civem Brixianum divino amore compunctum, cui hoc ſuaſit. Anno 717. Leo Iſaurus ſuſcipit imperium, ſcribit ad Gregor. Orthodoxæ fidei ſuæ Confeſſionem. Suſcipiuntur honore magno *Laurata* ejus, id eſt, imagines Imper. ad Provincias mitti ſolitæ, atque Papæ opera curatum eſt, ut eædem reciperentur à reliquis Principibus Chtiſtianis in ſignum pacis, & benevolentiæ. Sed anno 726. Leo promulgat edictum, ut imagines ſacræ, ubique delerentur: ſicque qui antehac omnibus fuiſſet Catholicus exiſtimatus, uno veluti momento viſus eſt Hereſiarcha. Id aiunt fecit, quia quorumdam Hebræorum impoſtorum datæ in adoleſcentia de obtinendo imperio promiſſiones, fidem ſuam obſtrinxerat, dato eventu; ſe facturum quidquid 714

poſtularent, Judæi autem ſemper abominati ſunt Imagines, haſque dux quidam eorum *Serantapechys* nomine præſtigiator, Gizido Sarracenorum Principi, jam ante auferendas, ab Eccleſiis Chriſtianorum, quæ ſub ejus ditione eſſent ſuaſerat, promittens ſe effecturum, ut 40. annos Principatum obtineret. Hincque miſſis Hebræis & Arabibus expunctæ, & ablatæ imagines, quas tamen mortuo intra 18. menſes Gizido, ſuccedens Ulidus filius ejus reſtituit, qui & Serantapicum tanquam parentis interfectorem turpiſſima morte affecit; Leo dirè perſequitur defenſores imaginum, pro quibus multi ſubiere martyrium; Has Gregorius Synodo Romanâ roborat, & Imperatorem monet de reſipiſcentia, fruſtrà tamen, cùm Pontifici Cherſonæ exilium minitatus ſit, quale per Conſtantem Imper. paſſus fuerat, Martinus Pap. mittit Legatos, per quos ab errore revocetur. Hos contra jus gentium mori in exilio cogit Leo, moliens vi & dolo necem Gregorij, qui interea jejuniis & Litaniis incumbit pro converſione ejus.

Gregor. ad cautionem init fœdus cum Francis mittens ad Carolum Martelhum Legatos cum muneribus ſacris Clavium, & catenarum S. Petri, & oblatione Romani Conſulatus ut ſi opus eſſet, in Italiam ſe conferret ſuſciperétque pro Rom. Eccleſia defenſionem adverſus eam impugnantem Imperatorem. Hoc audito ceſſat Perſecutio, ſed revocat eam Leo 730. abdicans German. Patriarch. Conſ. Orthodoxum, & Iconoclaſtam ſubſtituens.

Gregor. fruſtrà monitum Leonem anathematizat, & Italos ab ejus obedientia & tributorum ſolutione recedere penitus fecit, cúmque Sanctus ſediſſet ann. 16. m,8. d.20. Obiit Gregorio magno non minor.

GREGORIUS III. natione Syrus poſt 5. dies ſubrogatur ob fidei zelum & probitatem de ipſo, vulgatur quòd Pſalmos omnes per ordinem memoriter teneret, mox mittit ad Imper. Gregorium Presbyterum: ſubſequenter & alios: hos omnes malè afficit Leo, & propagat perſecutionem ex qua plures crudeliter enecantur, qui in Menologio memorantur, eum excommunicat Papa. Anno 740. Luitprandus Longobardorum Rex obſidet Romam. Greg. anguſtiatus legationem mittit ad Carolum Mattellum implorans ejus auxilium, quem in Epiſtola vocat bis *Chriſtianiſſimum filium.* Anno ſequenti moritur Leo, ſuccedit filius. Conſtantinus dictus Copronimus, non melior patre, ſed ab adverſario repreſſus, obit Gregor. benè meritus de Eccleſia ob redditus ad luminaria, & oblationes impenſos, cùm ſediſſet annos 10, m.9. d.12. 731

ZACHARIAS Græcus Monachus, poſt octo dies ſufficitur, adit Luitprandum Ravennam obſidentem, & dimovit enixè rogatum, deinde Concil. habet Romæ, pro diſciplina Eccl. adverſus incontinentes, & illicita conjugia. Obit Carolus Martellus, duo ejus filij Carolomannus & Pipinus ſuc- 741

cedunt hæreditati, major natu in adminiſtratione proprij principatus, Pipinus verò in officio majoris domus Regum Francorum 747. Caroloman. vitam Monaſticam amplectitur Romæ, hincque Caſſinum petiit. Anno 751. Zacharias bene conſulturus Monarchiæ Francorum ipſorum ſeu Merovingiorum regnum, quod ſub Childerico ſtupido dicto, reliquo Clodoveæ ſobolis, periclitabatur, conſultus de his à Francis Proceribus tranſtulit Apoſtolica authoritate in Pipinum, ſolutis Francis jusjurandi erga Childericum religione. Pipinus itaque habito Procerum conventu Sueſſione unctus eſt Rex, & Childericus in Monaſterium detruſus: minimè negari poteſt fœlicem tunc fuiſſe non ſolùm Galliæ, ſed & Orbi Chriſtiano hanc tranſlationem Regni à Zacharia, qui *Nominationem*, ſive poſtulationem Epiſcoporum, pro vacantibus Galliæ Eccleſiis conceſſit Pipino, ut conſtat ex Epiſt. quadam Lupi Abbatis Monaſterij Ferrarienſis Senonum in Gallia ad Amulum Arch. Lugdunen. longè poſt hæc tempora ſcriptâ. Multa in urbe erexit aut reſtituit Sacra ædificia, Libros Dialog. S. Greg. Græcè reddidit, Eccleſiam Colonienſem juxra petitionem Francorum Metropolim confirmavit, ſanctéque perfunctus annos 10. men. 3. dies 10. migravit ad Dominum.

752 *Papa trium. dierum.*

STEPHANUS II. Romanus, poſt 12. dies eligitur, ſed tertio die apoplexia tactus moritur, hincque ob brevitatem dimit-

titur à pluribus in ſerie Rom. Pontificum, cùm tamen verè Pontifex fuerit.

STEPHANUS III. Romanus ſucceſſor aſſumitur: hortatur per legationem Imperatorem, ut ad defenſionem jurium Imperij quæ ſupererant in Italia, exercitum mitteret contra Aiſtulphum Longobard. invaſorem, quòd verè nulla eſſet auxilij ſpes, Papa ad gentem Francorum Rom. Eccleſiæ amantiſſimam recurrit, conſcriptiſque ad Pipinum litreris petiit ut mitteret qui ipſum Pontificem in Galliam deducerent. Nec mota, Legatos ſuſcepit Rodigangum Epiſcopum, & Anthcarium Ducem. Hunc obvius cum uxore, & liberis Pipinus, ſuſcipit in loco dicto Pontigni magna cum veneratione proſternitur enim unà cum uxore ad pedes ejus, & vice ſtratoris juxta ejus equum ambulans aliquantulum itineris deduxit. Anno 754. Papa habens à Rege habitationem in Monaſterio S. Dionyſij, ſi non Pipinum, certè tamen duos ejus filios inunxit, & coronavit. Poſt hæc Pipinus cum Papa, & exercitu Italiam ingreditur, & Aiſtulphum in faucibus Alpium devictum fúgatúmque inſequens Papiæ obſedit, cùm Pontifex accepto juramento de reſtitutione Exarchatus ab Aiſtulpho & 40. obſidibus in Galliam deductis ſuaſit Pipino regreſſum. 752

Hoc anno Conſtantinus Imper Conciliabulum 338. Epiſcoporum Orientalium, ſuæ ſectæ facit, in quo decretum eſt, ut Sacras imagines quilibet *Idola* nuncuparet, quòd-

que Sancti, nec ipſa Deipara nihil poſt obitum juris haberent, ad intercedendum pro nobis. Quódque hoc Conciliabulum VII. Synodus Oecumenica diceretur, quæ omnia ſecutæ ſunt acclamationes nefandæ, & inter illas, *Hodie ſalus mundo, quandoquidem opera tua, ô Imperator, idolis liberati ſumus*, additíque in cultores imaginum Anathematiſmi, Stephanus damnat hæc omnia, quod & tres Patriarchæ Alexand. Antioch. Hieroſ. qui non interfuerant fecerunt. Fædifragus Aiſtulphus Romam obſidet: Stephanus die 55. obſidionis ſcribit ad Pipinum nomine ipſius B. Petri, ut devaſtatæ ab Aiſtulpho ſuccurrat Eccleſiæ Romanæ, Advolat Pipinus, regionem & tyrannum Papiæ transfugam cogit ad reſtitutionem omnium. Quæ Pipinus. *Primus amplificandæ Eccleſiæ viam aperiens* (quod ipſius elogium in antiquo marmore conſcriptum Ravennæ adhuc legitur) Romanis Pontificibus perpetuò poſſidenda ſuis diplomatibus conceſſit. Hæc eſt origo ſupremi Dominij Rom. Pontificum cujus latitudo, tunc conceſſa multas continet Provincias & innumeras civitates. Moritur poſt modum Aiſtulphus in venatione ab Apro vulneratus. Hocque anno obit Stephanus, poſt immenſos labores pro Eccl. Romana, per annos quinque & dies 28. honeſtè perfunctos.

Conciliabulum 338. Epiſcop. ſub Copron. contra imagines quod eas idola dicit.

757 PAULUS Stephani frater, Germanus, poſt menſem ſubrogatur, vir ſummæ pietatis; ſolitus de nocte cum paucis familiaribus

pauperum ædes viſitare, captivos ſublevare, oppreſsóſque tueri: mox Pipino ſignificavit electionem ſuam amicitiæ reciprocæ causâ conatus eſt Imperat. Copronimum ab impietate reducere, ſed obduruerat, qui non ſolùm in imagines, ſed & in Monachos ſæviebat: vetuit enim eos eſſe in Oriente,quia adverſarios in promulgenda hæreſi ſua experiebatur. Hinc plures ſe ſe Romam receperunt, qui in Monaſterio, quod Paulus in paternis ædibus ædificavit, ipſiſque tradidit,Pſalmos Græca lingua occinebant.Hujus tempore Copronimus tentavit recuperare Exarchatum, & Deſiderius Longobard. Rex ſæpius Eccleſiæ Rom. ditionem vaſtavit, ſed in his atque aliis anguſtiis imploratum à Pipino habet auxilium,pacémque obtinet,cum ſederit an. 10. m. 1.

Hic vacat Sedes 13. *menſibus, quòd Toto quidam Dux civitatis Nepeſinæ fratrem ſuum hominem laicum, per vim intruſerit, feceritque per Præneſtinum Epiſcopum conſecrari & ordinari, & à convocato viciniorum Epiſcoporum Conciliabulo electionem approbari, aruiſſe autem in brevi ordinatoris manum tradit Anaſt.*

STEPHANUS IV. Siculus presbyter communi conſenſu creatur, cùm jam Zelatores occidiſſent Totonem & Conſtantinum Pſeudo-Papam expuliſſent, quem poſtea Concilium Epiſcoporum depoſuit, & incluſit in Monaſterium, à quo per milites, inſcio Stephano, extractus excæcatus fuit. 768

Digitized by Google

Papa legationem ad Pipinum ejuſque filios direxit, petens aliquot Galliæ Epiſcopos ad Synodum agendam Romæ; pro reſtauratione diſciplinæ Eccleſ. quam Pſeudo Papa pervertiſſet. Accerſiti 12. interfuere Concilio cum Italicis : ibi damnatus Conſtantinus productus in medium, qui cum ſemel reatum agnoviſſet, poſteaque excuſationem prætenderet, exemplo quorumdam aliorum, qui ex laicis repentè Epiſcopi conſecrati fuiſſent. Synodus fecit alapis ejus cervicem cædere, & extra illam Eccleſiam ejicere. Et ne imposterum talia præſumerent laici, ne ex alio ordine, niſi qui per diſtinctos gradus Diaconus, vel Presbyter Cardinalis effectus eſſet, Pontifex creari poſſet, Canone ſancitò decrevit. Quos autem ordinaverat redegit in priſtinum gradum, omniâque quæ in divinis egiſſet irritavit præter Baptiſmum, & confirmationem. Ad poſtremum hæc Synodus anathemati ſubjecit, quæcumque adverſus ſacras Imagines ediderat Copronimus in ſua Pſeu-Synodo. Sedit annos tres, menſes 5. dies 28.

772 ADRIANUS Romanus poſt dies 8. ſumma conſenſione ſuccedit, ob nobiliſſimum genus, & dotes mentis, ſub hujus initio Deſiderius Longabard. Rex Fœdiſragus multa occupat de ditione Eccleſiæ, & Romam cum exercitu procedere ſtatuit, ſed acceptâ in civitate Viterbienſi excommunicationis ſententia per tres Epiſcopos ad eum miſsâ, qua conſtrictus declarabatur,

niſi à Romanorum finibus abſtineret, reverſus eſt illicò ad propria, Adrian. Legationem mittit ad Carolum Magnum Francorum Regem, quâ eum rogavit, ut ſicut ejus pater Pipinus, ita ipſe ſubveniret Eccleſiæ oppreſſæ à Longobard. Movet Carolus exercitum & Longob. à faucibus montis Cinicij divinitùs excuſſum Papiæ obſedit: pendente obſidione venit Romam, Papa ad Atrium S. Petri opperitur eum, Rex omnes gradus ſigillatim deoſculatus eſt, ac demum benignè cum amplexibus ſuſceptus populo acclamante: *Benedictus qui venit in nomine Domini:* quod quidem accidit Sabbatho ſancto, cùm autem reliquas urbis Eccleſias viſitaſſet. Feſtúmque ſolemniter celebraſſet, quarta poſt Paſcha die monitus à Pontifice antiquam Pipini donationem, Exarchatus Ravennatis aliorúmque dominiorum novis diplomatibus à ſe ſuiſque magnatibus ſubſcriptis confirmavit, & ad ejuſdem conſervationem ſolemni edito ad B. Petri ſepulchrum juramento ſe ſe ſuóſque obſtrinxit. Hinc Papiam reverſus eam cum ipſo Rege in deditionem accepit, quem cum uxore in Gallias ſecum traduxit, ſicque Rom. Eccleſia liberata & amplioribus dilatata eſt finibus, & extinctum regnum Longobard. in Italia à 206. initum.

Sigebertus in Chronico ſcribit Carolum Papiâ captâ rediiſſe Romam, & in Synodo 153. Epiſc. & Abbatum ab Adriano celebratà datum ei fuiſſe jus eligendi Rom. Pontificem, & ut Archiepiſcopi & Epiſcopi, per

ſingulas Provincias ab eo acciperent inveſtituras; Hæc cum ab ipſo, non niſi poſt annos 338. hoc eſt 1111. ſcripta fuerint. nullo penitus antiquioris ævi autore conſcio, ne ipſis quidem, qui vitam Caroli omnéſque habitos Conventus réſque ab eo geſtas ſcripſere ex profeſſo: jure creditur hanc impoſturam eo tempore adornatam eſſe in gratiam Henrici Imperatoris ſchiſmatici, cujus & partes Sigebertus totis viribus fovit, nam quòd poſt captam Papiam Carolus non redierit Romam, ſed celerrimè regreſſus ſit adverſus Saxones rebellantes, habent omnes Authores. Imò & Eginardhus, qui Carolo fuit à ſecretis, & vitam ejus ſcripſit, expreſſè affirmat eum non niſi quater Romã ſe contuliſſe, primò hoc anno adverſus Longobardos, ſecundò voti ſolvendi causâ 780. tertiò adverſus Ducem Beneventaneum 786. quartò, ad reſtituendum Leonem, anno 800. quando & creatus eſt Imperator. Accidit autem ut nullo de impoſtura habito diligentiori examine, multi cum Gratiano nimis credulo, & Ciaconio eidem conſentiente in Paſchali ſe excuſante, quod vi conſecratus ſit, reſpondente Ludovico ne pacta violent, & majeſtatem lædant, authores laborarint tantùm, ut oſtenderent iſta ab Adriano conceſſa Carolo fuiſſe, poſtea revocata. Anno 775. contigit miſerandus Copronimi exitus vociferans, ait Cedrenus, ſe adhuc viventem inextinguibili igni traditum propter Mariam, jubenſque eam exinde honorari tanquam Virginem ſanctam, ac verè Deiparam.

Conſtan

Conſtantinus & Irenes mater imperantes anno 783. legationem mittunt ad Adrianum pro Con. Oecum. habendo ad reſtitutionem fidei.

Concilium Gener. VII. Nycænum. II.

Anno 787. Convenerunt Nyceam Bithiniæ ad Synodum Oecumenicam 350. Epiſcopi cum Legatis Adriani Papæ, & Patriarcharum Alexand. Antioch. Hieroſol. deputatis præſente Conſtantinopolitano. Seſſiones habitæ ſunt in Eccleſia titulo S. Sophiæ; ſex primæ in reſipiſcentium à Conciliabulo Epheſino Epiſcoporum excipienda confeſſione, in probanda teſtimoniis Scripturæ, & SS. Petrum, *fide de cultu Sacrarum imaginum, & accurata confutatione oppoſitionum, & declaratione, quòd Euchariſtia ſit verè corpus Chriſti & non imago, tranſactæ ſunt. Deniquè in ſeptima ſancita eſt Catholicæ*

Digitized by Google

fidei definitio : in qua primum confirmatio facta eſt reliquarum ſex Synodorum Univerſalium , deinde Catholicum Symbolum recitatum , cum hac de Spiritu S. Profeſſione , Qui ex Patre Filioque procedit. *Ac demùm definitionem fidei de cultu Sacrarum imaginum , his verbis conſcripſerunt.*

Definimus in omni certitudine ſicut figuram vivificantis Crucis , ita venerabiles & ſanctas imagines propagandas ex quavis materia paratas, congruēter in Templis ſanctis, vaſis, veſtibus, parietibus, & tabulis in ędibus privatis, in viis publicis habendas, quo ſcilicet per hanc imaginum inſpectionem inſpectores, ad Prototyporum memoriam veniant & deſiderium , illiſque ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant oblationibus ſuffitorum & luminū, ut antiquis piæ conſuetudinis erat, imaginis enim honor in prototypũ reſultat. Non tamen veram Latriam, quæ ſecundum fidem eſt quæque ſolùm divinæ naturæ competit, impertiendā igitur qui aliter docuerit,

Digitized by Google

vel aliquid ex his quæ deputata ſunt Eccleſiæ, ſive Evangelium ſive figuram Crucis, ſive ſanctas Martyrum Reliquias, quas ſciverit eſſe germanas, & veras, projicere aut contra conſtitutionem Eccl. improbè aliquid moliri auſus fuerit, ſi Clerici aut Epiſcopi fuerint, deponi præcipimus, Monachos autem & Laicos à Communione privari. *Ad hæc addita Epiſcoporum & Imperatoris matriſque Irene ſubſcriptio: ſubſequutæ fauſtæ acclamationes de ſtabilita fide Orthodoxa, additique in hoſtes Sacrarum imaginum tam vivos quàm defunctos anathematiſmi.*

Adrianus Bullas, quæ primò cera ſigillabantur, plombo muniri conſtituit: profuſus fuit erga pauperes, magnificus in ornanda Vrbe. Candelaboum in modum Crucis 1370. *candelabrum capax quater in anno accendendum appendit ante* Presbyterium *S.*Petri. *Diuturniorem cæteris habuit* Pontificatum, 43. *dierum breviorem à* Petro *: ſedit enim annos* 23. *menſes* 10. *d.* 17. *ejus ſepulchrum Carolus Magnus Epitaphio decoravit.*

Digitized by Google

795 LEO III. Romanus, ipſamet die obitus Adriani aſſumptus eſt, omni Eccl. diſciplina inſtructus, móxque legationem ad Carol. Magn. cum Clavibus aureis ex Sepulchro S. Petri ex more acceptis, atque vexillo Rom. urbis decrevit. Anno ejus IV. Adriani nepotes, Paſchalis Primicerius, & Campulus Sacellarius Eccleſ. Rom. tabeſcentes invidia ob Leonis electionem. Cùm 7. Calend. Maij, ipſe ſolemni ritu Litanias majores, cum Clero & populo celebraret, armati populum inermem exturbarunt ante Monaſterium SS. Stephani & Silveſtri: Leoni verò crudeliter cæſo eruerunt oculos & linguam, eundémque intra Eccleſiam Monaſterij tractum ante ipſum Altare plagis diverſis proſciderunt, ac ſemivivum cuſtodiæ tradiderunt. Sed cum rurſum inde noctu in Monaſterium S. Geraſimi ad arctiorem cuſtodiam ductus eſſet, accidit, ut per interceſſionem SS. Apoſtolorum viſum, & linguam receperit. Quapropter ſuorum quorundam induſtria clàm in Vaticanum adductus, mox cooperantibus Legatis Caroli Magni ab Spoletano Duce VVinigiſo, qui repentè cum exercitu advenerat, ductus Spoletum, paulò pòſt ad Carol. Magn. properavit: à quo honorificentiſſimè ſuſceptus Paderburnæ in Saxonia, cum ampliſſimo Francorum Antiſtitum, & Optimatum comitatu Romam rediit: quem ſubſequutus eſt paulò pòſt Carolus, inquiſiturus anno 800. de objectis contra Papam: congregavit Antiſtites Italiæ &

Franciæ, ut ea examinarent, qui omnes uno ore dixerunt: *Nos Apoſt. Sedem qua eſt caput omnium Eccleſiarum, judicare non audemus; nam ab ipſa, & Vicario ſuo nos omnes judicamur, ipſa autem à nemine, ſicuti antiquitùs mos fuit.* Itaque die ſequenti Leo umbone aſcenſo coram omnibus jurans ſuper Evangelia purgavit ſe ab objectis, & ſe impetitum ſine cauſa declaravit, tantúmque egit apud Carolum, ut ejus hoſtes ſimplici exulio affecti ſint.

Poſthac aliquot diebus in Natali Domini Feria ſexta Leo Miſſam celebrans in Eccl. S. Petri, Carolo coronam Imperialem capiti impoſuit, & Imperatorem Romanorum pronuntiavit, acclamante ter S.P.Q.R. CAROLO AUGUSTO DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM, VITA ET VICTORIA: & mox Pontifex unxit eum oleo ſancto. Nec omiſit Imperator iuramento tunc ſe obligare Rom. Eccleſiæ defenſorem. Sicque tranſlatum eſt Imperium ab Oriente in Occidentem, ubi poſthac ſemper ſtetit, & hactenus perſeverat. Anno 804. Leo Mantuam petiit, quia ibi repertus dicebatur Sanguis Chriſti: quem poſt examen comprobavit de Chriſti corpore fluxiſſe tempore Paſſionis, & diplomate ſanxit. Hinc Imperatorem in Gallias convenit, cum quo Natali Domini in villâ Cariſiaco celebrato, inde Aquiſgranum cum eodem progreſſus, ubicumque moram faceret, Eccleſias vel Altaria conſecrabat, & indulgentias eis concedebat. Sed & VVerdam cum Carolo acce-

Carolus Magnus pronuntiatus Imp. Occidentis.

dentem ejuſdem rogatu B. Svvibertum poſt lectam ipſius vitam, & miracula, póſtque actas preces, ac celebrata jejunia de conſenſu Cardinalium, & Prælatorum, qui in ejus comitatu erant, Sanctorum Confeſſorum Catalogo adſcripſiſſe, pridie Nonas Septembris tradit S. Lugderus primus Monaſterienſis Epiſcopus, qui aderat; & inſtituiſſe diem ab incolis feſtivè celebrandum, atque ad divina confluentibus indulgentias conceſſiſſe. Leo cùm eſſet ſuo tempore graviſſimis vexatus afflictionibus ſepties in die, & novies Miſſas celebraſſe pro implorando auxilio divino perhibetur à Vvalfrido Strabone de rebus Eccl. cap. 21. necnon & ſupplicationes trium dierum ante Aſcenſionem inſtituiſſe. Sedit ann. 20. m. 5. d. 17.

Prima ſolemnis canonizat. S. Svviberti.

Leo III. novies in die celebravit Miſſam.

816 2 STEPHANUS Romanus, poſtr o. dies creatus eſt Mox Populum Rom. ſacramento Ludovico Imp. adſtrinxit, ſeu ad revocationem proſcriptorum ob injurias Leoni irrogatas: tertio verò menſe in Gallias tendit pro ſtabilienda Eccl. pace, ait Anaſt. cui Imp. obviavit, térque ante pedes ipſius ſe proſtravit. Papa autem in Eccl. principali Rhemenſi ante Miſſarum ſolemnia, coram Clero & populo unxit Ludovic. in Imperatorem, & Irmingardem coronavit, Anguſtámque nominavit: tertio autem menſe à reditu Papa obiit Romæ, cùm ſediſſet menſ. 7. & d. 3.

PASCHALIS Romanus, Præfectus Monaſterij, S. Stephani, electus eſt poſt duos

dies ob præclaras animi virtutes,quibus præfulgebat : quem miracula ediditſſe , teſtatur Anaſt. Mox ad Ludovicum adornat ,Legationem ad confirmationem pacti & amicitiæ, ut habent Hiſtorici. Confirmavit Ludovicus in Conventu , quem habuit *Aquiſgrani* , pro reformatione Monachali , quæcumque à Pipino avo,& Carolo patre donata , vel reſtituta fuiſſent Eccl Romanæ : ita ſcribit Leo Oſtienſ. lib. 1. Chronic. Caſſin. cap. 18. habetúrque apud Gratian, diſt. 63. cap. Ego Ludovic. & conſervatur in Vaticano hæc Conſtitutio , qua Imp. profitetur ſe concedere Rom. Pontif. ipſam Romanam civitatem cum Ducatu ſuo,&c. Suſcriptúmque per Legatum Paſchalis ipſi tranſmiſit, Hac eadem donatione electionem , & coronationem Rom. Pontificis reliquit omnino liberam Clero S.P.Q. Romanus,nec ad aliud teneri voluit, niſi ubi eſſet conſecratus legationem mittere ad Imperatorem , quâ eum de ſua promotione certum faceret : recrudeſcit in Oriente perſecutio ex Iconomachis, ideò Paſchalis Legatos mittit Conſtantinopolim, cum litteris adhortatoriis, & commi-natoriis , quibus plurimi deteſtati ſunt errorem & martyrio ſe objecerunt. Anno 223. *Lotharium*, quem Imperatorem Ludovicus pater deſignarat,Paſchalis Romæ coronavit. Idem reperiit in cœmeterio Prætextati corpus S. Cæciliæ aureis indumentis , ſanguine adhuc infuſis velatum, Sedit annos 7. m, 3. d. 16.

Electio & coronatio Papa relicta libera à Ludov. Pio , Le Debonnaire en François.

Renovatur in Oriente Ichonomachia adverſus Orthodoxos.

824 EUGENIUS II. Romanus, doctrina & pietate celebris poſt 4. dies eligitur.

SCHISMA X.

A magna populi parte aſſumptus notatur Zinſinus, qui poſt aliquot dies abdicavit, vincente enim nobilium parte ordinatus eſt Eugenius, non levis tamen momenti fuit hoc Schiſma, cùm ad componendas Romanorum implacabiles eâ de causâ contractas diſſenſiones opus fuerit Ludovico mittere Lotharium filium ſuum Imperij collegam, qui omnia ritè ex benevolâ aſſenſione Pontificis diſponens Conſtitutionem promulgavit, qua Pontificum electionibus eos tantùm intereſſe juſſit, *Quibus antiqua fuit conſuetudo conceſſa per Conſtitutionem Sanctorum Patrum.* Michaël Balbus Imperat. Orientis legationem, cum litteris & muneribus miſit ad Ludovic. pacis cum eo ſtabiliendæ gratia. Cùm autem Iconomachus eſſet, multáque fraudulenter blateraſſet in Epiſtola de ſacris Imaginibus, & peteret, ut ipſe in Occidente ſublato ſuperſtitioſo earum cultu, Eccleſia pacem & unionem recuperaret: Ludovicus licentiam petit à Pontifice per legationem ſingularem colligendi Pariſiis viros Doctiſſimos ad exactam rei diſcuſſionem: Collatores iſti ex malè percepto S. Gregorij ſenſu, Epiſt. ad Serenum Epiſcop. Maſſilienſ. colligentes ſacras Imagines in Eccleſiis ad inſtructionem dumta-

xat Fidelium, non ad eas adorandas exponi debere, ex eâ falsâ aſſumptione in illud ſimul præcipitium ſponte delati ſunt, ut VII. Synodum Nicænam eo falſo nomine condemnarint, quaſi in ea latriæ adoratione juſſæ eſſent Imagines adorari.

Sicque occaſione Legationis Michaëlis Imp. Iconomachi ſuadebant, ut Papa aliquo modo cultum imaginum damnaret, ſub bono pacis. Eugenius ne minimum deflexit à Majorum confirmata Traditione, quam Conſiliarij iſti, non pervicaces ſuſceperunt, unde & in Agiomachos Jonas Aurelianen. Epiſcopus ſtylum exacuit; munificus fuit erga pauperes Eugenius, curavitque ut nuſquam viliùs quàm Romæ annona venderetur. Sedit annos 3, men 2.]

VALENTINUS Romanus, die ſequenti aſſumitur magno Cleri, & S. P. Q. R. 827
conſenſu, ob præſtantiſſimas virtutes, ſed 40. die obit.

GREGORIUS IV. Romanus, apprimè eruditus 3. die invitus, & latebras quærens 827
inthroniſatur. Michaël Balbus Orientis Imp. moritur 829. ſuccedit Theophilus filius perſecutor cultorum ſacrarum Imaginum: Ludovic. mittit ad Papam Amalarium Fortunatum, occaſiône librorum de Eccleſiaſticis officiis quos compoſuerat, ut ex Rom. Eccleſia Antiphonarios Gallicanos corrigeret. Quam antiquus ſit in Eccleſia cantus, dixi in ſuo Tract. Hujus enim ait

Auguſt. *Domini & Apoſtolorum habemus documenta*, Ann. 833. Greg. profectus eſt in Galliam pro componenda pace inter Ludovic. & filios belligerantes, ſed re infecta regreſſus eſt, cúmque Ludovic. coactus fuiſſet in Compendij Conventu gladium deponere, & cilicio ſumpto reum ſede malè adminiſtrato regno confiteri, atque pœnitentiam publicam ſuſcipere, Imperium ipſi ademptum tranſlatum eſt in filium ejus Lotharium, quod facinus deteſtatum ab omnibus Scriptoribus, Papa reſcidit, ut teſtatur Paul. Æmil. & Lud. reſtitutus eſt anno ſeq. Ann. 839. Greggr. ſcripſit ad Epiſc. Galliæ mutuò ex æmulatione certantes, de Appellationibus ad Sedem Apoſt. Juſſitque Cenomanenſem Epiſcopum gravatum à Comprovincialibus Epiſcopum permanere, quouſque ab ea judicatus eſſet. Anno 842. ſuccedens in Oriente Michaël Porphyrogenitus extinguit penitus hæreſim Iconoclaſtam, quæ Conſtantinopoli authore Imp. in Eccleſiæ damnum ante 120. annos eruperat, & repreſſa ſæpiùs rurſum audaciùs fuerat debacchata. Solemni ritu facta eſt in urbe erectio, atque reſtitutio ſacrarum Imaginum, & annua Feſta dies pro reſtitutione indicta prima Dominica Quadrageſimæ, qua ſolemnitas hæc contingit. Obit Gregor. cùm dignè præfuiſſet annos 16.

844 SERGIUS II. Romanus illuſtris omnino ſubrogatur. Platina ex Martino Polono habet hunc primò vocatum *Or porci*, ideóque

primum fuiſſe, qui in creatione nomen mutaverit, ſed fabuloſè ſcripta ſunt hæc, & mutatio nominis facta fuerit à Sergio IV. anno 1009. qui Petrus vocabatur, quod nomen reverentiæ cauſa dimiſit. Lotharij filium Ludovicum Romæ unxit in Imperatorem, quem adventantem ſuſcepit in atrio S. Petri ad oſculum pedis, & ad amplexus, obſtitit tamen ne exercitus Ludovici urbem ingrederetur; qui ſuburba deprædatus erat. Plures reparavit Serg. Eccleſias: extat in Titulo SS. Silveſtri & Martini ſtatuta ab eo. *Indulgentia trium annorum, & 3. Quadragenarum* omnibus SS. Feſtivitatibus accedentibus. Sedit annos tres, menſ. unum.

LEO IV. Romanus, magnæ virtutis & ſanctitatis vir eodem die ſubrogatur, 847
quem licèt uno omnium conſenſu electum eſſe, eidémque omnes antiquo more pedes exoſculaſſe tradat Anaſt. addit tamen Romanos valde timuiſſe ne in aliquod hoſtium diſcrimen urbs incurreret dum expectaretur ejus conſecratio, quæ non poterat fieri abſque Imperiali authoritate. Porrò Leonem obſtitiſſe Lothario & Ludovico Imperatoribus vendicantibus ſibi jus in electione, vel conſecratione Pontificis, & eviciſſe, ut iidem conſenſerint ne ea niſi ex Canonum præſcripto fieret, conſtat ex Decreto, quod Leo promulgavit. Adeò ut ſi quid fuerit, ſive per Populum Rom. metus causâ iiſdem Imper. malè promiſſum, vel ab eis peſſimè uſurpatum, Leonis Papæ conſtantiâ irritatum fue-

Digitized by Google

rit, atque ſublatum: ſicut viceverſa pollicitus eſt ipſe iiſdem Imp. conſervaturum ſe præcepta Imperialia in cauſis temporalibus annuum tributum unius ſterlini recepit quod unicuique familiæ impoſuit Alfredus Rex Angliæ conſtanter ſolutum uſque ad Henricum VIII. qui fidem Catholicam abjuravit.

Vaticanum muro cinxit. Laicos ab ingreſſu Presbyterij dum Miſſa celebratur edito Decreto arcuit, qua de re Ambroſius olim Theodoſium Imp. redarguit. Baſiliſcum qui flatu ſuo accedentes ad cavernam interimebat, fugavit: incendium maximum extinxit: ſigno Crucis Sarracenorum irruptionē compreſſit ad Oſtia Tyberis: & captivis ad reparationem murorum uſus eſt, quos is turribus auxit. Octavam Aſſumptionis Deiparæ celebrari juſſit. Crucem, quam ex more antiquo Subdiaconi ante equum Papæ ferre ſolerent, renovatam auro & gemmis ornavit, obiitque ſanctus, cùm ſediſſet ann. 8. m. 3. d. 5.

Papiſſa fabulosè hic interſeritur defuncto Leone quam inimici Rom. Pontificum mulierem Anglicam Joannam dictam faciunt omni ſcientiarum genere excultam, & ideo aſſumptam ementito ſexu. Sed Anaſtaſius R. E. Bibliothecarius teſtis omni exceptione major qui interfuit creationi ſex Pontificum Sergij II. Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. Adriani II. & Joannis VIII. nihil habet de ſuppoſititia hac muliere quæ etiam pro fabula habetur à Calviniſtis hiſtoriæ non ignaris. Hancque ſatis aperuimus in noſtro fidei digeſto fol. 1063.

BENEDICTUS III. Romanus, diù relu-ctatus aſſumitur à Clero,& S. P. Q. Romano, poſt mortem Leonis. 855

SCHISMA XI.

Anaſtaſius Presbyter, Cardinalis tituli S. Marcelli, quem Leo in Conc. 67. Epiſcoporum Romæ, pro diſciplina Eccl. habito excommunicarat,ac depoſuerat eò.quòd Parochiam ſuam per annos 5. contra Canonum definitiones deſeruiſſet: & Romam deductus factione impiorum, & conſenſu Legatorum Ludovici Imper. primò Baſilicam S. Petri ſacrilegè invadens Imagines ſacras confregit, & combuſſit,deinde ad Lateranenſe Patriarchium properans ſe ſe in ſolium Pontificium intruſit, ejecto Benedicto poſt convicia & verbera cuſtodiæ mancipato: ſed reſiſtentibus conſtanter Epiſcopis unà cum Clero & populo iidem Imperat. Legati coacti ſunt Anaſtaſium expellere, & Benedicto ſe reconciliare: qui poſtea receptis factioſis in gratiam conſecratus eſt magna omnium exultatione, ut teſtatur Anaſt qui aderat.

Fuit verò iſte peſſimus conatus Ludovici Imp. qui cernens in electionem Rom. Pontificis nullam haberi rationem ipſius, ſtuduit in odium Romani Cleri & populi liberis ſuffragiis Papam eligentis, provehere in Sedem Apoſt. ho ninem illum perditiſſimum, qui diù multúmque iſta molitus fuerat.

Conſtituit ut Pontifex honorando exe-

quias intereſſet Sacerdotum funeribus, & Clerus reciprocè: quod & ipſe & obſervavit, omniaque charitatis officia implens delatus eſt poſt obitum in Eccl. S. Petr. Diaconorum humeris, inter quos fuit ejus ſucceſſor. Sedit annos duos, m. 6. d. 10.

858 NICOLAUS, Romanus, cognomento Magnus, qui in Baſilica S. Dionyſij, electus aufugiens ne conſecraretur, è latebris extractus initiatus eſt apud S. Petrum, præſente Ludovico Imp. & cum hymnis & canticis deductus in Patriarchium Lateran. Addit præterea Anaſt. Imperatorem occuriſſe Pontifici ad eum viſitationis cauſa advenienti, & equum ejus fræno duxiſſe quantum jactus ſagittæ extenditur, idémque in reditu ejus ad Urbem præſtitiſſe.

Imperator equum Papæ fræno ducit.

Sub eo Tyberis bis in anno in tantum excrevit, ut Romani crederent eluvione mundum rurſus periturum: pro viribus autem Urbi ſubvenire non omiſit. Joannem Epiſc. Ravennatem depoſuit; humiliatum verò, & veniam petentem reſtituit. Conſultationes frequentes ex toto orbi ſibi ob culmen doctrinæ directas ſuſcepit, & plenè reſolvit: laudatiſſimus, & Gregorio Magno æquiparandus ita religiosè ſe habuit in officio, ne Michaëlis Imperatoris Græcorum ſupplicationem rejecerit, & Conciliabulum quod abdicarat Ignatium Patriarcham Conſtantinop. ſubrogando Photium reprobarit, ipſúmque Photium communione fidelium privarit, ſuoſque Apoſtolicos Legatos qui

Photio per dona Imperatoris faverant exauctoravit eadem animi conſtantia Lotharium Auſtraſiæ Regem fratrem Ludovici Imperatoris ad reſumendam uxorem ſuam quam prætextu adulterij repudiarat, ut concubinam Valdradam induceret quam anathemate feriit, & Epiſcopos qui huic divortio conſenſerant. Sedit annos 9. m. 6. d. 21. ante fores Baſilicæ, ut elegerat, ſepultus, & in cœlum, ut viſione conſtitit, receptus.

ADRIANUS II. Talari, poſtea Epiſcopi filius, ex cognatione Stephani IV. & Sergij: vir multarum virtutum ſeptuagenario major conſecratur, eum jam bis ante hac poſt obitum Leonis IV. & Benedicti III. ab omnibus expetitus, exquiſitis excuſationibus verecundè ſubterfugiſſet. Indignatos eſſe Imp. Legatos Romæ commorantes, tradit Anaſt. ſed hoc reſponſo eis ſatisfactum eſſe, quod non in comptemptum Imperatoris accerſitio ipſorum omiſſa fuiſſet, ſed ne impoſterum inde Legatis principum in electione Pontificia expectandi mos per hujuſmodi fomitem inſoleſceret. Laudavit electionem Imperator. diverſa fiunt judicia de affectu Adriani in Nicolaum deceſſorem, quaſi quæ ille zelo Religionis ſanxiſſet, ipſe refringere gauderet: cujus ſpargendi rumoris occaſionem dedit, quòd manu ſua Euchariſtiam dediſſet Theutgaudo & Zachariæ Epiſcopis, à Nicolao excommunicatis; quódque Lothario Regi adventum in urbem aperuiſſet litteris ſuis, quem Nicol. denegaverat, quód- 867

que ejus pellicem VValdradam à Nic. excommunicatam curavit abſolvendam: mediam Pontificatus partem rebus Galliæ dedit, alteram autem negotiis Græcorum; Lotharius Romam venit anno 868. cum comitatu regio ut adulterij quo criminabatur famam per aulicos teſtes dilueret & uxoris reſumptionem aſſereret, ad quorum omnium concipiendam fidem Papa illos ad ſinaxim de manu ſua accipiendam invitavit, quam ut falſi teſtes in ſui accepere condemnationem, notat enim Regino Rex & alij defuncti obierunt in fine anni. Ex morte Regis diſſident Ludovicus Germaniæ Rex & Carolus Calvus in Comitiis Meti habitis declaratus Rex Francorum. Adrian. ſtans à Ludovico ut Lotharij regno inveſtiretur, excommunicatione rem urget, ſed in caſſum. Hunc tamen coronavit Imperatorem, hinc quia univerſa Eccleſia ſollicita erat de memoria Nicolai, malè audit Adrian. & nonnulli ab ejus communione, tacitè ſe ſubtrahebant. Purgat ſe Adrian. ſic 6. Feria Septuageſimæ convocat ad convivium Legatos, & Prælatos, omniúmque manibus humiliter aquam fundens, cibos apponens, pocula miniſtrans, ac denique cum illis diſcumbens, quod nullum Pontificum feciſſe noverat: dum ſurrexit ab epulis in faciem ſuam coram omnibus procidit, rogánſque, ut pro Eccleſ. Cathol. pro Imper. ac pro ipſo preces Deo offerrent, demùm in laudes Nicolai prorupit, ejúſque memoriam in ſacris Diptychis celebrari reſcripſit ad Synodum Trecenſem.

Concilium Gener. VIII. Conſtantin. IV.

Anno 869. Baſilius Conſtantinopol. Imperator Photium, qui de Sede Conſt. deturbarat Patriarcham legitimum, dejecit, & exulantem à 9. annis Ignatium reſtituit: poſtea legationem miſit ad Adrianum pro indicenda Synodo Oecumenica. Itaque Papa remittens Legatos Baſilij aſſociavit eis ſuos à Latere Donatum *Oſtienſem Epiſc.* Marinum, *S. R. E, Diaconum*, Stephanum *Nepetinum Epiſc. Cauſa fuit, ut proſpiceretur lapſis, qui Photio ſæpius excommunicato communicarant, & pleniſſimè conſuleretur ſtatui Eccl. Orientalis.*

In ipſa Actione prima pauci notantur Epiſcopi. Primò præfati Legati Papæ, locum tenentes Patriarcharum *Antioch. &* Hieroſol. *Ignatius Conſtantinopol. Imperator, cum pluribus* Pa*triciis, iis conſidentibus ingredi juſſi*

ſunt Epiſcopi, qui nunquam deſciverant ab Ignatio, glorioſi Confeſſores, ejus causâ multa perpeſſi, omnes numero duodecim, & non ampliùs; unde videas miſerandum Orientalis Eccl. naufragium. Cæterùm annumerati iis, qui recantantes palinodiam Synodo ſubſcripſerunt, in fine recenſentur interfuiſſe huic Synod. 102. Epiſc. ita Nicetas.

Hic poſt lectam Imperatoris exhortationem ad Synodum, ea exegit à Legatis Rom. litteras delegationis ſuæ: qui cum reſpondiſſent hoc nunquam factum fuiſſe, Bahanes vir primarius apud Imp. qui geſſit in Synodo munus Judicis cognitoris, videlicet definienda proponendi, & rogandi Patrum ſententias, dixit iſtud non peti in dedecus Apoſtolici throni, ſed quòd nuperi Legati Rodoaldus, & Zacharias tot decepiſſent, alia in mandatis habentes, & alia facientes: obtulerunt itaque Legendas litteras Adriani, quibus mandata ejus continebantur. Summa libelli Apoſtolici editi à Nicolao, quem dedit Adrianus Legatis à Synodo profitendum. Approbatio immaculatæ Fi-

dei Sedis Romanæ. Anathematizatio omnium hæreſum, & maximè Iconomachorum, atque etiam Photij alienæ Sedis invaſoris. Lecto libello, eodemque omnium una voce laudato & approbato, lecta eſt etiam, & approbata definitio Sedium Patriarchalium ſuper Photij depoſitione, quæ conveniebat cum Romana à Nicolao facta.

Actione ſecunda venerunt qui adhæſerant Photio, & proferentes libellos pœnitentiæ coram Synodo recepti ſunt cum ſola manus impoſitione.

Actione 3. cùm lapſi Antiſtites noluiſſent libellum à Papa miſſum ſuſcipere, à Synodo non ſunt recepti.

Act. 4. Lecta eſt Epiſtola Nicolai ad Michaëlem Imper. miſſa per Rodoaldum & Zachariam olim Epiſcopos, in qua oſtendit Cæſari hominem laicum non promovendum ad Sacerdotium ſubitò ſed per ſuos gradus, ſicut Sardinenſe Concilium (ut de laicis non eligerentur Antiſtites, in cap. 13. prohibuit.) Item Cæleſtin. Leo, Gelaſius, Lecta eſt altera Nicolai ad Photium, in qua invehitur in illum propter uſur-

patum Sacerdotium contra ordinem Canonum. Deinde reſpondet ad allegata Photij, quòd exemplo aliorum feciſſet.

Vectario qui ex Prætore Urbano Catechumenus Sacerdotium ſuſceperat in 2. Synodo Generali, & in locum Gregorij Nazianz. ſe abdicantis electus fuerat 381. Epiſcop. Conſtantinop. id neceſſitate ſemel factum, non eſſe tenendum ad exemplum: Taraſio qui ex Secretario Imperatoris ordinatus fuerat Patriarcha Conſtant. anno 784. Paulo abdicante, & in Monaſterium ſecedente, reſpondit id, & neceſſitate, & votis Orthodoxorum conſpirantibus, & divino calculo, quòd fidei zelo, & authoritate præſtaret, ipsóque renitente factum. Ambroſio qui ex Catechumeno ad Mediol. Epiſcopum aſſumptus, reſpondet non inſtinctu hominum, ſed de vocatione miraculiſque electum.

Actione 5. Photius invitus ducitur ad Synodum per laicos ei remenſi ſuſcipere Epiſtolas Nicolai, licèt undique convicto & condemnato tempus ad reſipiſcendum conceſſum eſt, vocatique ſunt Photiani, iiſque datæ induciæ 7. dierum.

Act. 6. Septima verò Photius *introducitur, qui cum baculo innixus ingrederetur, Marinus juſſit auferri, dicens: Baculus ſignum eſt dignitatis Paſtoralis, iſte lupus eſt, non Paſtor; cúmque pervicacior exiſteret recitatæ ſunt damnationes Rom. Pont. in eum ſæpius promulgata, ibique conclamati anathiſmi in eum ſtantem.*

Actione 8. *Combuſta ſunt acta Conciliabuli* Photiani, *in quibus detectæ ſunt falſitates, & impoſturæ contra* Nicolaum *Papam*, & Ignatium, *quibus auſus fuerat retorquere anathema in Papam*, &c. *Poſtremò editi ſunt Canones, numero* 27. *Subſcripſitque Imperator poſt* Patriarchas, *conſequenter* 102. *Epiſcopi*, Photius *miſſus eſt in exilium. ejus facta reſciſſa: Epiſcopi depoſiti, & Sacerdotio deſtituti: conſecratæ ab eo Eccleſiæ, profanata & dirutæ.* Continet tamen Photius *per Epiſtolas ab exilio ſcriptas Sectarios ſuos, & Bohanem* Patricium *occultè ſibi amicum in ſui patrocinium excitat. Hæc de Conc. ſatis anno* 871. *Adrian. rogatur ab Imp. &* Patriarcha, *ut diſ-*

penſet cum promotis à Photio: negat ipſe, quòd ipſe Photius cùm ab excom. & depoſitis Epiſcopis fuiſſet ordinatus, nunquam approbatus fuiſſet Epiſcopus, ideóque nec potuiſſet alios ordinare Ludovicum ſucceſſorem Lotharÿ fratris coronat Imperatorem ipſo die Pentecoſtes Romæ. Obit commendatiſſimus ann. 4. m. 10. d. 17.

2 JOANNES VIII. Romanus, poſt duos menſes conſecratur; accerſit 875. Carolum Calvum, & coronat Imperatorem. Abſolvit Ludovicum II. à juramento, quod coactus præſtiterat incarceratus ab Adelgiſo Duci Beneventi. Annonius & Otho Frigien. ſcribunt huic ſoli Rom. Pontifici accidiſſe, ut ſpatio 4. annorum, tres Imperatores coronaverit Carolum II. Calvum, Ludovicum II. Balbum & Carolum III. Craſſum. Anno 6. miſit legationem ad viſitandam Eccl. Conſtantinop. quam Imperator requiſiverat, depoſitionem minitatus Ignatio Patriarch. Conſtantinop. ſi intra 2. Menſes diœceſim Bulgariæ ſubjectam Rom. Eccleſ. non dimitteret. Invaſa Româ à Tyrannis Comite Spoletano, & Adelberto Marchione Tuſciæ, malè tractatus cum Clero, omnibúſque rebus in urbe confuſis abſcedit in Gallias aſportans plures Reliquias. Arelate adventans Roſtagno conceſſit pallium, quem Legatum ſuum in Galliis eſſe voluit, ac per ipſum

hæreſim Simoniacam, tunc urgentem extirpari. Concilium indixit Trecis, ibi audit querelam Hincmari Epiſc. Laudunenſis, qui cæcus licèt, in Synodum inductus libellum in ea obtulit, continentem ea quæ à patruo ſuo Archiep. Rhemenſi., paſſus erat pro defenſione jurium Sedis Apoſt. ad quam vocatus ab Adriano 871. accedere non eſt permiſſus, ſed in itinere ſpoliatus, depoſitúſque in Synodo Duſiacenſi ejectus fuit in exilium, ubi ferreis diu detentus vinculis demùm poſt biennium excæcatus eſt. Reſtituit eum Papa in Sedem. relicta parte redditu um Henedulpho qui ſubrogatus fuerat Epiſcopatui, cujus miniſterium interea obire juſſus eſt, & permiſit. Hinc Maro Miſſam celebrare, ita Aimo lib. 5. c. 37. Ado in fine Chron. Joan. ibi petit auxilium à Ludovico Imperat. & omnibus Epiſcopis contra inimicos Eccl. Romanæ, obtinet Beſonem Comitem, qui reducat eum Romam; ad quam remeans, ſcribit ex civitate Papiæ ad Epiſcopos, ſub Ludovici ditione conſtitutos; ſe indulgentiam concedere omnibus, quos pro defenſione S. Dei Eccleſiæ in bello occidi jam contigiſſet, aut poſſet contingere. Interea Photius à decemnali jam exilio revocatur Conſtantinopolim, inde verò contingente obitu Ignatij, invadit iterum Sedem: pro cujus confirmatione Baſilius Imp. legationem ad Joannem mittit, & multi alij, cùm ad hoc idem deputatis Patriarchæ Hieroſolymitani. Quòd autem annuerit Papa, multæ interceſſerunt tunc cauſæ; Græcorum potentia in Italia,

Epiſcopus cæcus permiſſus celebrare Miſſam.

Indulgentia pro vivis & defunctis.

cùm jam Beneventani, & Capuani à Francis ad Baſilium defeciſſent.

Ejuſdem promiſſiones de liberanda Italia, ac præcipuè ipsâ Rom.Eccleſ. ab incurſionibus Sarracenorum, & infeſtationibus Comitum vicinorum Romæ,déque revocanda ſub Rom. diœceſi Bulgarorum : item prætexebatur bonum pacis, & unio Eccleſiarum, quæ ob rejectum Photium maximo dividerentur Schiſmate : Denique quòd mendaci relatione Baſilius teſtatus eſſet, reſtitutionem Photij deſiderari etiam ab iis qui à ſancto Methodio & Ignatio ordinati fuiſſent. Hæc prudentia carnis, Deo & Eccleſiæ inimica cōſideravit. Joannes,ſicque quod nullus fecerat prædeceſſorum, ipſe maxima Orthodoxorum commotione perfecit; Hincque accidere potuit, ut ob nimiam animi facilitatem & mollitudinem, abjectâ penitus omni virilitate, idem non Papa Joannes, ut Nicolaus & Adrian. qui conſtantiſſimè Photio reſtiterant, ſed Papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus, utpotè quòd qui nec reſiſtere ſciret eunucho Photio, quique vinceretur à ſemiviro,non vir,ſed eſſet fœmina potius nuncupandus,ſícque nomen contumeliæ tranſierit poſteris rerum inſciis, in veritatis opinionem; rueritque à pluribus decantatum, Joannem Octavum fuiſſe fœminam.

Vnde orta fabula Papiſſa.

Quanta autem mala ejuſmodi factum Joannis ſecuta ſint vix credatur : nam Photius litteras Papæ ita falſavit, ut non ſolum reſtitutionem ſuam roborare,ſed & octavam Synodum ab Adriano adverſus eum factam

damnare

damnare viſæ ſint (quod ex collatione verſionis Photij, cum Autographo conſervato Romæ in Regiſtro evincitur.) Has autem ſic adulteratas promulgavit in Pſeudoſynodo, quam collectis 383. Epiſcopis habuit, in qua ipſe præceſſit Legatos, quos Papa miſerat, ut Eccleſiæ Conſtantinop. providerent, & reſtitutionem Photij publicarent, ea tamen conditione, ut in Synodo miſericordiam, ut moris erat, poſtularet. Anno 880 Joannes damnat Synodum Photianam, & Photium, & ad hoc delegat Martinum, virum animo conſtantiſſimum, ut quæ perperam tres Legati geſſiſſent, irrita redderet.

S. Joan. anno 881. Carolum craſſum coronat Imperatorem, cúmque Italia Principum, ac Saracenorum graſſationibus premeretur, nec concilium haberet, mœrore obiit, cùm ſediſſet annos decem, & diem unum.

MARINUS, Galleſo oppido oriundus, Palumbi Presbyteri ex legitimo ante Sacerdotium matrimonio filius, qui maxima laude ter à Sede Apoſt. Legatus Conſtantinopoli miſſus fuerat, creatur poſt 13. dies. Photium cunctáſque res ab eo geſtas ad minus Epiſcopales damnat: hincque Baſilius Imp. conatur eum de Solio deponere, objicitque multa, quæ poſtea S. Stephanus VI. confutavit. Reſcindens autem Marinus perperam facta deceſſoris ſui, inter alia Formoſum Epiſc. Portuenſem, Apoſtolatu Bulgatorum, & magnis legationibus inſignem reſtituit Epiſcopatui: quem damnans (neſci- 883.

tur cauſa) Joannes jurare coëgerat,ſe in perpetuum laicâ communione contentum permanſurum, ſicque juramento ſoluto Urbem repetere juſſit. Sedit laudabiliter ann. unum, d. 20.

884 ADRIANUS III. Romanus, poſt duos dies ſubrogatur, qui inhærens ſancti Deceſſoris ſui veſtigiis, execratus eſt & ipſe Photium tanquam laicum agentem Conſt. Patriarcham, quamvis à Baſilio rogaretur communionem ei impertiri. Cernens autem Imp. fruſtra ſe agere, hoſtiles & contumeliis refertas Epiſtolas ei ſcripſit, quas ſerò Romam perlatas poſt obitum Adriani Stephanus VI. recepit.

Duas edidit Conſtitutiones, unam pro libera creatione Pontificis,ne in electione, aut conſecratione illius expectaretur authoritas Imperatoris: quod enim inſtituiſſet jam Nicolaus I. fuit tantum ad præludium, ajunt Hiſtorici, non ad plenam determinationem aliam pro gloria Italiæ quam ab exterorum dominatu evincebat, & nativæ genti ſubjiciebat cum titulo imperij ſi Carolus ſine prole moreretur, quæ conſtitutio ſortita eſt effectum, nam Carolus ob hebetudinem corporis & animi deſtitutus, & regno à primoribus, ejuſdem & ſucceſſor Adriani introduxit Comitem Guy & Imperatorem auguratus eſt. Sedit ann. 1. m. 3. d 19.

Supprimitur hic Bonifacius VI. qui diebus quindecim vel electus vel intruſus fuit non numerandus inter Pontifices ait Spon-

Digitized by Google

danus, quia homo nefarius gradu bis dejectus; ajunt alij, quia canonicè electus.

STEPHANUS VI. Romanus, poſt aliquot dies aſſumptus eſt, miræ virtutis vir & pietatis, qui ipſo die electionis Urbi laboranti fame, aliiſque incommodis ex locuſtarum devaſtatione, & pluviæ defectu optatam pluviam copioſiſſimam impetrarit, quique aquam benedixerit cujus aſperſione locuſtæ penitus ſint expulſæ. Mox ſcribit ad Baſil. Imper. pro defenſione ſuorum Prædeceſſorum ipſum redarguens, quod pro Photio excommunicato tantopere laboret, Pontificúmque ſe judicem conſtituat, quorum doctrinis ſit dirigendus. Eo autem defuncto anno ſequenti ſucceſſit Leo cognomento Sapiens, qui Photium depoſuit, & relegavit in Monaſterium Armenorum, & in ejus locum ſubrogavit germanum ſuum natu minimum Baſilij, quem Pater Eccleſiæ deſtinaverat: ſed quod iſte Stephanus nomine fuiſſet à Photio ordinatus Diaconus, eſsétque lex Eccleſiaſtica, ut ordinati à Photio ceſſarent omnino, nec majori gradu elevarentur, miſſa eſt legatio ad Stephanum pro diſſimulatione. Extat reſcriptum Papæ ad Heribertum Arch. Moguntinum, quo explodit purgationem per ferrum candens, vel Aquam ferventem fieri ſolitam, tanquam judicium Dei. Sedit an. ſex. 885

FORMOSUS, Romanus, fortunæ inconſtantiâ variè jactatus aſſumitur. 891

SCHISMA XII.

Alberici factione *Sergius* Diaconus ſedit aliquot dies, ut aſſerit Luitprandus, ſed eo relegato extinctum eſt Schiſma, & Formoſus ex Epiſcopo Portuenſi fit Romanus, (quod fieri non conſueverat; nam hactenus Pontifices ex ipſa tantùm Romana Eccleſia aſſumebantur)

Reſcripſit ſe diſpenſare cum laicis, qui Photio adhæſiſſent: Epiſcopos autem & Sacerdotes ab eodem ordinatos, ita in communionem admitti velle, ſi priùs oblatis libellis ſe deliquiſſe faterentur, & pœnitentiâ veniam deprecarentur. Ad quæ omnia peragenda duos Epiſcopos miſit Conſtantinop.

Anno 896. Arnulphum Regem Germaniæ coronat Imperatorem, qui ex ſuo conſenſu Romam armis cœperat, & de vexationibus in Pontificem Romanos caſtigavit.

Laboravit Formoſus pro Carolo Simplici, ſcripſitque ad Othonem occupantem ejus regnum, & ad Carolum, qualiter in regno eſſet agendum. Sedit annos ſex.

897 STEPHANUS VII. Romanus, ſufficitur per Adelbertos potentiſſimos, ſicque Bonifacius invaſor Sedis pulſus eſt, qui eam tenuerat 15. dies non numerandus inter Pontifices, ait Spondan. utpotè homo nefarius, bis gradu depoſitus, à Diaconatu primùm, deinde à Presbyteratu, & deinde à Joanne IX. in Romana Synodo 9. annis poſthac damnatus.

Hic incipiunt infælicissima & luctuosissima Eccleſiæ Rom. tempora, quibus majorem ſuſtinuit perſecutionem per Adelbertos Marchiones potentiſſimos Tuſciæ, qui occupata munitione S. Angeli, omnia pro arbitrio faciebant, quàm uſquam paſſa ſit à Gentilibus, aut ab Hæreticis, vel Schiſmaticis. Verùm etſi ſæpiùs deforme valdè, turpéque ab ipſis apponi Eccleſiæ caput contigerit; tolerandum tamen fuit, quòd non penitùs amens ſit inventum, ſed Catholica fide ſemper conſtiterit, virtute orationis Chriſti pro inconcuſſa fide Succeſſorum Petri.

Stephanus Formoſum deceſſorem odio habens, quòd à Papatu priùs conſequendo eum arcuiſſet, ejus decreta abrogavit, & ſacrilegus in cadaver extitit, ut conſtat ex Actis Joannis IX in Synodo, necnon ex Luitprando lib. 1. cap. 8. & aliis. Illud enim ex ſepulchro extrahens, atque in Sedem Rom. Pontificaliter indutum collocans, cùm tanquam viventi exprobraſſet, quòd nimiâ ambitione ex Portuenſi Epiſcopo Sedem Apoſt. occupaſſet, illud ipſum cadaver ſic damnatum, ſacriſque mox exutum veſtimentis, ac tribus digitis mutilatum, quibus benedicere moris eſt, in Tiberim jactavit, cunctóſque quos idem Formoſus ordinaverat gradu depoſuit, iterúmque ordinavit. Ita furore percitus homo, non quod jure liceret, ſed quod exæſtuans rabies perſuaderet ſcandaloſè perfecit reclamantibus, ait Sigebert, omnibus qui aderant. Pejus tamen fuit, quòd tam nefa-

rium ſcelus Synodo ſuorum collectâ probarit, quæ poſtea legitimè reſciſſa, ignique tradita fuit à Joanne IX.

Id myſtice deteſtatum à Baſilica Lateran. notatur, cùm ipſo tempore perpetrationis ab altari uſque ad portas ſolo penitùs proſtrata corruit, Sanctuario dumtaxat relicto, in quo ipſa Sedes Pontificis exiſtebat. Sicut & quantæ pietatis fuiſſet Formoſus, inde demonſtratum eſt, quod ut refert Luitprandus, dum ejus corpus à piſcatoribus poſtmodum inventum ad S. Petri deportatum eſſet, Sanctorum imagines illud in loculo poſitum venerabiliter ſalutaverint. Colligitur ex Sergij Epitaphio, quod 10. poſt annis Sergius inſculpſit Stephani tumulo, ipſum fuiſſe expulſum anno 4. & detruſum in carcerem, ibique ſtrangulatum: ita refert Spondan.

900 ROMANUS, patria Galleſianus in Tuſcia, filius fratris Marini prævalente in Urbe Romanorum factione adverſus Adelbertum Tuſciæ Marchionem, creatus eſt. Sed vixit tantum menſes 4. & dies 10.

901 THEODORUS II. Romanus, ſuccedit, & moritur die 20.

901 JOANNES IX. Tiburtinus patria, & profeſſione Monachus ordine Diaconus, poſt dies 11. creatur. Leonis Imp. Orienralis quartum matrimonium ratum eſſe voluit, cui refragabatur Patriarcha Conſt. Ann. 4. Berengarium Romam cum exercitu venientem,

qui Ludovic. oculis ſimul & imperio privaverat, coactus eſt coronare : ſed eo recedente vocavit Lambertum quem Formoſus coronaverat, habitáque Romæ Synodo, utriuſque Regis juribus examinaris, abrogata eſt Berengarij coronatio tanquam vi extorta. Quod autem non eſſet liberum Papæ Romæ degere, ſtudentibus nonnullis Berengario, convocavit Raven. 74. Epiſcopos Lamber. & coram Synodum habuit, in qua quæ geſta ſunt in Romana prædicta Synodo recitata ſunt ; videlicet damnatio Synodi Stephani Papæ adverſus Formoſum, ejuſque Actorum combuſtio : improbatio electionis Bonifacij, Reſtitutio ordinatorum à Formoſo, & anathematizatio Sergij Presbyteri, aliorúmque qui Formoſi ſepulchrum temerare auſi fuiſſent.

Item conſtitutio de legitima electione Rom. Pontificis : confirmatio Imperij Lamberti, & reprobatio Berengarij : Prohibitio ne decedente Papâ (quæ mala conſuetudo irrepſerat) Patriarchium expilaretur, aut alibi Epiſcopia. Hæc, inquam, & alia quædam ad mores reformandos in Romana Synodo geſtu, in Ravennate ſunt electa & approbata. Obit poſt ann. tres & d. 15. qui miſſus à Deo viſus eſt ad deſtruenda, quæ malè egerat Stephanus.

BENEDICTUS IV. Romanus, ſequenti die ſubrogatur : hujus ſæculi moribus corruptiſſimis laudabiliter vivens, & amore in pauperes cõmendatiſſimus, Sedit annos 3. 905

907 LEO V. patria Ardeatinus ſubrogatur, & poſt dies 40. expellitur, & detruditur in Monaſterium à Chriſtophoro familiari ſuo, ſed ambitioſo, hinc mœrore obiit Leo.

907 CHRISTOPHORUS Romanus, ſedet ex invaſione, menſibus 7. deturbatur à Sergio, & in Monaſterium detruditur, Deo illi condignam pœnam contribuente, ut quæ Leoni V. Domino ſuo fecerat, pateretur.

908 SERGIUS III. Romanus, factione Adelberti Marchionis Sedem invadit, odioque adhuc furens in Formoſi memoriam, irritas, ajunt Sigebert. & Platina, habet ejus ordinationes, ut qui Sacerdos ab eo fuerat, ordinatus reordinari edixerit: imò ſententiam capitis pronuntiavit in Formoſum, extractũque de ſepulchro capite truncavit, & in Tiberim projecit cadaver. Sed & præter tyrannicam vim, turpitudo quoque vitæ ejus, ſcriptis eſt prodita. Luitprandus enim lib. 2. c. 13. teſtatur ipſum ex Marozia nobili ſcorto filium genuiſſe Joannem dictum, qui & ipſe Pontificatum poſtea ejus nominis Undecimus adeptus eſt. Hæc ſunt infœliciſſima tempora, cùm alterius res geſtas intruſus quiſque Pontifex aboleret, cúmque tantum invaluit meretricum Imperium, ut pro arbitrio legitimos creatos Pontifices dimoverent, & violentos ac nefarios homines intruderent. Quæ conſiderans quis non putarit Deum Eccleſiæ ſuæ oblitum? & tamen magno ip-

Digitized by Google

ſius miraculo non eſt inventus, qui hocce perditiſſimo ſæculo ab ipſa Rom Eccleſia ſe abſcinderet ſchiſmate, vel hæreſi tunc eam impugnaret. Sed omnes fidei vinculo & obedientiæ nexu juncti perſtiterunt Lateranenſem Eccleſiam terræ motu collapſam reſtituit. Lotharium Regem Pariſiis viſitavit cujus fortè in gratiam ferociter ſæviit in jamdudum defunctum Formoſum qui à Francis ad exteros tranſtulit imperium. Sedit annos tres, non ſeptem, ut produnt nonnulli.

ANASTASIUS III. Romanus, ſubrogatur: modeſtè & integrè vixit. Expoſcente autem Berengario Papienſem Epiſcopum ſingularibus auxit privilegiis, ut crucem præviam haberet in itinere, umbella uteretur, equóque albo, & in Conciliis à læva Pontificis aſſideret. Sedit an. 2. men. 2. 919

LANDO patria Sabinus, ſubrogatur. Is Joannem Presbyterum Ravennatem creavit Epiſcopum Bononienſem, inde autem Arch. Ravennatem in gratiam, ait Luitprand. Theodoræ potentiſſimi ſcorti Urbi Rom. imperitantis, quæ Joannem deperibat. Obiit menſe ſexto, & die 22. 912

JOANNES X. Ravennas Theodoræ opera, poſt 26. dies ex Arch. Ravenn. introducitur, quòd facilius Amaſia eo potiatur. In iſto & aliis intruſis legitimus Pontificatus nuſquam ventilatus eſt, quia accedebat conſenſus Cleri Spiritus ejus militaris utilis 913

Digitized by Google

fuit Eccleſiæ, nam Sarracenos penitus debellavit, qui Apuliam & Calabriam devaſtarant, Berengarium unxit Imperatorem, anno 915. ad referendum gratiam, ut putatur, ob auxilium quod contulerat adverſus Sarracenos hoc eodem anno. Sequenti verò miſit Legatum Compoſtellam ad venerandum corpus Jacobi Apoſtoli, cum litteris ad Siſenandum Epiſcopum ut juges preces pro ſe funderet apud eundem Apoſtolum. Anno 925. confirmavit electionem pueri quinquennis filij Comitis Aquitaniæ, electi in Archiep. Rhemenſem, delegans interim munia Paſtoralia Epiſcopo Sueſſionenſi. Ingens iſtud malum fuit. Maroſia Romæ imperitans impulit Vidonem maritum ſuum Tuſciæ dominantem fratrem Hugonis Regis Italiæ, ut Joannem è Sede deponeret, & in carcerem detruderet anno 928. idque propter invidiam in Petrum fratrem Papæ quem etiam ante oculos Pontificis interfecerunt, ut narrant Luitprand. lib. 3. cap. 12. Flodoard. in Chron. ſuffocato exinde Joanne faucibus cervicali occluſis. Sic dignum ſuis ſceleribus finem accepit invaſor Sedis Apoſt. ut qui per Theodoram impudicam fœminam eam arripuit, per Maroziam æquè impudicam ejuſdem Theodoræ filiam, ea ſimul cum vita caruerit, poſtquam ſediſſet an. 16.

Puer nondum quinquennis electus in Archiep. Rhem.

928 LEO VI. Romanus, Chriſtophori Primicerij filius ſubrogatur: detruſus & ipſe in carcerem ibi defunctus eſt, cùm ſediſſet menſ. ſex, d. 15.

Digitized by Google

STEPHANUS VIII. Romanus, poſt duos dies creatur: cujus manſuetudo & religionis affectus commendatur. Sedit annos 2. m. unum, d. 15. 929

JOANNES XI. Romanus, Sergij III. ex ſcorto Marozia filius introducitur juvenis adhuc: quandoquidem matrem adhuc amoribus aptam, & pulchritudine florentem haberet. Pontificatus ejus fuit infauſtus, nam detruſus fuit in carcerem ab Alberico ipſius Maroziæ filio quem ex Adelberto Marchione ſuſceperat; à quo detentus coactus fuit anno 934. concedere Patriarchæ Conſtantinop. ut abſque Pontificum permiſſu ipſe & ſucceſſores uterentur palliis: id muneribus corruptus exegit Albericus à captivo Papa, indéque mos inolevit, ait Luitpr. ut & Epiſcopi totius Græciæ Palliis utantur. Deus hanc Eccleſiæ ſuæ maculam inuri permiſit ad majorem ejus ſplendorem more mulierum quæ ad innati candoris augmentum muſcas & nigredines ſibi in facie appingunt. Obiit intruſus Joan. patientiſſimus afflictionibus, & bene functus cum ſediſſet annos quatuor m. 10. 931

LEO VII. Romanus poſtera die legitimè creatur: ſervus Dei & paci conſulens, ait Edoard. ſedet ann. 3. m. 6. 936

STEPHANUS IX. Patriâ Germanus, cùm à Romanis operâ Ottonis Germanorum 939

Regis electus eſſet poſthabitis Cardinaliſbus, concitavit in ſe Tyrannorum odium, adeò ut à quibuſdam Sacrilegis crebris ictibus per Alberici tumultum fuerit facie deformatus, qui idcirco abſtinuit à publico hominum congreſſu. Miſit pallium Hugoni à pueritia electo Rhemenſi Arch. à Rhemenſibus publica legatione petitum. Anno 942. Francorum Proceribus adverſus Ludovicum Regem rebellantibus præcepit ſub Anathemate, ut Regi ſuo obedientes eſſent; & paruerunt. Sed paulò poſt Ludovicus regno ſpoliatur à vaſſallis ſuis in favorem Hugonis Capetij Comitis Pariſienſis capitis tertiæ Regum Franc. ſobolis. Sedit ann. tres, m. 4. d. 5.

943 MARINUS II. Romanus, poſt decem dies ſubrogatur, vacat Cleri & Monachorum reformationi. Conſtantinus Porphyrogen. ſolvit Edeſſenorum obſidionem mediante dono imaginis, quam ſui Chriſtus Abagaro miraculosè fecerat: hanc autem ſolemniter traduxit Conſtantinopolim, inde autem ob bella tranſlata eſt Romam. Sedit annos 3. m. 6.

946 AGAPYTUS II. Romanus, poſt 3. dies eligitur, Reipub. Chriſtianæ amator. Legatnm miſit in Galliam ad ſtabiliendum Ludovici regnum, quod factione Hugonis ducis variis nutabat inſultibus. Anno 950. Lotario Italiæ Rege veneno ſublato Berengarius vendicavit ſibi regnum, atque In ipſo

Digitized by Google

finem accepiſſe Imperium Francorum in Italia notat Leo Oſtien. cùm autem in cauſa Epiſcopi Rhemenſis ſub Legato Agapeti indicta fuiſſet Synodus. 31. Epiſcoporum præſentibus Ottone Rege Germaniæ & Ludovico Rege Franciæ, litteræ Hugonis ab Agapeto obtentæ falſato nomina Epiſcoporum ſubreptitiæ declaratæ ſunt, ac proinde nullius vigoris: & Artaldo confirmata poſſeſſio Archiepiſc. Rhemenſis. Hugo autem invaſor, quem Hugo Dux intruderat, excōmunicatus fuit donec pœnitentiam ageret. B. ſedit ſanctus Agapetus ann. 9 m. 6. dies 10.

JOANNES XII. Romanus, Alberici Principis filius, jam antea ex Clerico factus Urbis Princeps Apoſtolicam Sedem invaſit, ſuggerentibus (ut ait Flodoard.) Romanis. At licet omnia quæ requiruntur ad legitimā electionem ſuppetiiſſent, ex ætate tamen longè diſpari, quàm ut legitimè ordinari potuiſſet, redarguitur illegitimè electus, cum nec 17. annum ageret: hincque Otto. Imp. de eo octavum jam Papatus annum agente, dixit quibuſdam querulis de ejus exceſſibus, *Puer eſt, facilè bonorum mutabitur exemplo virorum.* Hunc tolerandum ſuaſere illa perditiſſima tempora magis, quàm Eccleſiam ſchiſmate ſcindere, utpote malo omniūm peſſimo. Hic autem primus notatur à Guilielmo Bibliothecario mutaſſe nomen, ut qui ex Octaviano voluerit nominari Joānes, vel quod ex eo nomine ejus patruus Joan. XI. ſit appellatus, vel ut in nomine ſaltem benè

955

Papa juvenis & primus qui nomen mutavit.

Digitized by Google

poſſet audire in adulatoriis acclamationibus, quibus malè uſurpatum proferri ſoleret ſacrum illud Elogium : *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Vocat in Italiam Ottonem Regem Germaniæ adverſùs tyrannidem Berengarij ea conditione,ut Romam nō accederet quin prius legatis Apoſt. Sedis ſe ſe juramento obligaſſet de conſervandis integris ipſius Pontificis & Eccleſiæ juribus, ac reſtituendis bonis à tyrannis ſublatis : cujus juramenti forma extat recitata apud Gratian. *diſtinct.63.can.33. Tibi Domine.* Cæterùm vice verſa ipſe Joannes, per eoſdem Legatos ſuos promiſit Ottoni imperij titulum ex more exhibendum. Quod fecit- *962.* ungens eum magna cum S.P.Q.R. honorificentia : Otto autem confirmavit, quæ Pipinus & Carolus Magnus olim ei contuliſſent, ſed poſtea tyranni per vim abſtuliſſent : quibus & alia addidit, pro remedio animæ ſuæ ſuorumque parentum. Donatio aſſervatur in Caſtello S. Angeli. Cui quidem hanc inter alias inſeruit Otto conditionem, ut ſecundùm quòd in pacto Eugenij Papæ ſucceſſorumque illius contineretur, omnis Clerus & univerſa populi Rom. Nobilitas ad Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas juramento ſe obligarent, quatenùs futura Pontificum electio canonicè fieret; & ut qui electus eſſet non antea conſecraretur, quàm talem in præſentia Legatorum Imperatoris, vel Regis ipſius filij & totius populi faceret promiſſionem pro omnium ſatisfa-

ctione, atque futura conſervatione, qualem Leo Papa feciſſe dignoſceretur: Itemque ut Legati Pontificis, ſeu Imperatoris annuatim eidem Imperatori renuntiarent, qualiter ſinguli Duces ac Judices à Papa conſtituti populo juſtitiam facerent. Quæ quidem ut decernerentur vis præcedentium tyrannorum effecit, adverſus quos Imperatoris auxilium fuit opus implorare. Anno ſequenti diſſentio orta eſt inter Papam & Imperatorem. Papa motus quod Otto duos Cardinales rebelles ſuſcepiſſet & ſubditos Pontificis ſibi Sacramento adſtringere diceretur, quódque ea, quæ Eccleſiæ eſſent reſtituere cunctaretur; ab eo deficiens contra jusjurandum Romæ ipſi præſtitum, adhæſit Adelberto Berengarij filio, qni hũc illucque diſcurrens quoſcumque poterat ſibi adverſus Ottonem attrahere ſatagebat. Otto excuſat ſe per Legatos. Papa autem non admittit ſatisfactionem. Otto venit Romam cum exercitu; fugit Papa. Romani ſuſcipiunt Imperatorem eique jurant, ſe nunquam electuros, aut conſecraturos Papam præter conſenſum, aut electionem ejus, vel filij ſui. Hinc Otto habet Romæ Conciliũ menſe Novembri 963. Epiſcoporum Italiæ nonnullorumque Germanorum, & S. P. Q. R. atque in eo variis atrocibúſque objectis in Joannem criminibus, cùm ipſe citatus à Synodo, ut de iis ſe purgaturus accederet, nihil aliud reſcripſiſſet niſi ſe omnes Epiſcopos excommunicare ſi ullum alium Papam eligere præſumerent: nihilominus iidem annuente ipſorum peti-

tioni Imperatore in locum ejus ſubrogant & conſecrant *Leonem* ejuſdem Eccleſiæ Protoſcriniarium. Hæc *Luitprand. lib.6. cap. 6.* Sigebertus autem notat laicum fuiſſe, cùm electus eſt Pontifex. Ubi omnia illegitimè facta eſſe conſtat. 1. Epiſcopi agnoſcebant Joannem verum Papam, ubi ergo ipſis facultas cogendi Concilij, abſque ejus conſenſu; ubi citatio trina requiſita ad damnationem? Joannes autem eadem qua ſecundò citatus eſt, die dâmnatus eſt, qui nec niſi ſemel repertus eſt. Tum convictus quis non deponitur, niſi datâ ſententiâ ſubſcriptâ. Hic nullâ dictâ ad ſimplicem rogationem Imperatoris datur ſucceſſor inhabilis: tum omnia corruunt, quia ab excommunicatis fiunt: adde, quod hæreticum eſt aſſerere, propter peccata auferri à Pontificibus poteſtatem clavium; quod tamen expreſsè profeſſi ſunt in litteris ad Joannem, poſt ejus in ipſos latam excommunicationem. Adde, quod in moribus Papa à nemine judicatur. Spuria ergo ſunt omnia. Anno ſequenti Romani Leonem expellentes revocant Joannem, qui collecta Synodo Leonem depoſuit, & ejus ac pro eo geſta cuncta caſſavit, ordinatoremque excommunicavit, ordinatoſque à Leone in priſtinos gradus rejecit. Poſt hæc Joannes tenuit Sedem quatuor menſibus: cumque extra Romam nocte cujuſdam viri uxore oblectaretur, percuſſus perhibetur, à Diabolo in temporibus, vel fortè à marito, ita ut mortuus ſit intra 8. dies, Quæ ſi vera narrat Luitprand. contigerunt, non quia

juſtè damnatus, vel injuſtè revocatus eſſet; ſed quia vitam non emendaſſet. Sedit annos novem.

BENEDICTUS V. R. E. Diaconus ſubrogatur: quod audiens Otto Romam reduxit in anguſtias, & fame laborantem accepit in deditionem: mox convocavit Synodum, in qua exauctoravit Benedictum, reſtituto Leone: quod facinus Deus ipſe vindicavit immiſſa peſte ſæviſſima in ejus exercitum, quâ Antiſtites multi cum aliis extincti ſunt. Benedictus autem vir Sanctus traductus in Germaniam Hamburgi, ſancto fine quievit. Gratian. diſt. 63. refert] inſtitutum in hac Pſeudo-Synodo à Leone Canonem, quo Ottoni Imper. ejuſque ſucceſſoribus Italiæ Regibus datum ſit jus eligendi, atque ordinandi Romanos Pontifices, aliiſque Archiep. & Epiſcopis inveſtituras tribuendi. Qui ſi factus ſit, nullius tamen eſſe roboris convincitur, cùm ab illegitimo Papa ſit promulgatus quidvis agente in gratiam ejus, qui ipſum intruſerat. Adſcititius tamen oſtenditur à Spondano, uti & ille quem Sigebert. nomine Adriani Papæ profert in gratiam Caroli magni. Vide Gretſerum. Obiit Leo Pſeudo-Papa, poſt 13. menſes, defuncto jam Benedicto. 964

SCHISMA XIII.

JOANNES XIII. Narnienſis Epiſcopus, conſulto Imperatore creatur à Romanis, 965

Digitized by Google

qui jus aſſumendi & deponendi Pontifices ſibi competere credebant, mox autem mota in Joannem (Severùm in proceres) ſeditione & accito Rotfredo Campaniæ Comite, captivum relegant Capuæ. Obitus Rotfredi Sedem reſtituit Joanni quem viribus deſtituti cives adciſcunt, Papa autem ex gratitudine in Capuanos apud quos honorificè ſuſceptus fuerat civitatem in Archiepiſcopatum erexit. Rediit cum exercitu in urbem Otto, & ſeveriſſimè in ſeditionis authores animadvertit, exhumatur cadaver Rotfredi & membratim proſcinditur. Præfectus urbis caput tumultuantis turbæ raptatur, & ignominosè flagellatus ſuſpenſus fuit per pedes collo equi Conſtantiniani dein catenis vinctus traducitur in Germaniam. Imperatoria hæc vindicta deſiit in munificentiam ſingularem qua Otto confirmavit donationem Pipini, Caroli & Ludovici Pij & Ravennam à Berēgario uſurpatam cum dependentiis reddidit Eccleſiæ. Joannes ex gratitudine juniorem Ottonem imperiali corona donavit, & conſortem ejus Theophaniam Imperatoris Græcorum filiam. In munimentum & augmentum tantæ ſolemnitatis publicæque lætitiæ anno 968. elevata eſt campana miræ magnitudinis recens ære fuſa quâ priùs ſacris ritibus Papa conſecravit, atque Joannis nomine (cujus Eccleſiæ eſſet uſui) nuncupavit; hincque invaluit uſus benedicendi campanas. Sub hoc Pontifice Polonia fidem Catholicam ſuſcepit Acciditque ut quidam Comes Ottonis dæmoniacus ſana-

tus fuerit ex contactu catenæ B. Petri. Sedit annos. 6. men. 11.

DONUS, ſeu Domnio Romanus, laudabiliter ſedit tres menſes,& obiit. 972

BENEDICTUS VI. dono trium menſiũ Pontifici ſubrogatur. Probavit is quantum poſſit ſceleratus & potentia fretus civis: Circius Papam violenta manu captum in carcerem S. Angeli detruſum ſtrangulavit, ut Francono filio Ferrucij Cardinali Diacono iſta perurgenti viam ad thronum Petri aperiret. Sic itaque Franconus invaſit Sedem quam ſub nomine Bonifacij VII. tenuit 13. menſibus,verùm ubi tyrannus non numeratur ab antiquioribus inter Rom. Pontifices; nam Leo Oſtienſis lib. 2. cap. 4. Benedicto VI. immediatè ſucceſſiſſe Benedictum VII. tradit. 972

BENEDICTUS VII. Romanus, ex Albericis ſatus, exagitans urgenſque Bonifacium invaſorem Sedis coëgit abire. Qui nefandiſſimus homo antequam recederet urbe, Vaticanam Baſilicam ſpoliavit & Conſtantinopolim fugit: in cujus locum omnium ſuffragio idem Benedictus ex Sutrino Epiſcopo factus eſt Papa: vir optimus. Arnulphum Epiſcopum Rhemenſem ſeditione pulſum Sedi ſuæ reſtituit, & Germanorum in creando Ottone tertio Imperatore electionem approbavit: cúmque ſediſſet annos 9. m. 1. d. 10. Obiit ſepultúſque eſt in Baſi- 975

lica S. Cruc. in Hieruſalem dictâ.

984 JOANNES XIV. Epiſcopus Papienſis, olimque Ottoni II. Archicancellarius ſubrogatur: ejus initio Sodalitium inſtitutum eſt Romæ pro defunctis, quo ſinguli conſodalium, pro ſingulis defunctis. 40. Miſſas celebrarent. Extat adhuc inciſum monumentum in marmore in Diaconia SS. Coſmæ & Damiani Exactis à Joanne 3. menſibus, rediit invaſor & expilator Bonifacius, qui ſuorum factione potens Papam detruſit in S. Angeli munitionem, quæ tenebatur à ſuis: ibique 4. detentum menſibus fame perire coëgit, ac mortuum expoſuit ſpectandum omnibus, pro foribus Caſtelli. Hæc habet antiquus codex Vaticanus: ex quo conſtat extinctum fuiſſe Joannem XIV. die 14. Auguſti, cum ſediſſet menſ. 8. Qui verò poſt illum ſacrilegus prædo Sedem iterùm invaſit *Bonifacius*, Deo ultore, poſt 4. ab ejus nece menſes repentina morte percuſſus eſt: quem ſui ipſius fautores, poſt terræ animæ exhalationem cæſum, & lanceis confoſſum, nudum, per pedes tractum, inſepultum abjecerunt; licèt eum quidam Clerici poſtea ſepelierint.

Inſtitutio Romæ ſodalitij pro defunctis.

985 JOANNES XV. Romanus, Leonis Presbyteri legitimus filius creatur: ſed cum eodem tempore novus in Urbe Tyrannus Creſcentius Numentanus munitionem S. Angeli titulo Conſulatus poſſidere aggreſſus, inde nonnihil Pontificem infeſtare cœpiſſet, ille

Digitized by Google

timore perterritus ſeceſſit in Tuſciam, & ad Ottonem legationes miſit: à quo timens Creſcentius Papam honorificà legatione revocavit in Urbem, & piis obſequiis ſe cum fautoribus ei ſubjecit facta oſculatione pedum præ foribus S. Joann. Lateran. à Clericis fuit odio habitus, quòd divina & humana cognatis, & affinibus ſuis elargiretur. Hugo Capetus primus à Ludovico ultimo Carolinorum Rex Franciæ legationem ad Joannem Papam miſit, anno *994.* qua eum invitavit in Gallias ad componendas diſcordias Rhemenſis Eccleſiæ: ipſe autem miſit LegatumAbbatem Monaſterij S Bonifacij Romæ. Subrogatur mortuo Prædone Bonifacio morte repentina, qui Arnulphum filium naturalem Lotharij reſtituit Rhemenſi Sedi & interdixit Epiſcopos qui quæſito prætextu traditionis urbis in manus inimicorum eum abdicarant ſubrogato Geberto præceptore Roberti filij Hugonis Regis, quem depoſuit. Obiit cùm ſediſſet annos 10. m. 4. d. 12.

GREGORIUS V. Saxo Germanus, conſanguineus Imperatoris aſſumitur eo *995* præſente, ait Platina, nec non & Ditmarus: ſed depravatâ lectione, nam plurium lectione conſtat ante adventum Ottonis in Urbē, creatum fuiſſe Gregorium, & poſt hæc per Creſcentium Conſulem Epiſcopum Placentinum Calabrū natione, & patria Roſſanenſem, appellatum Joannem XVI. elevatum fuiſſe in Sedem Apoſtolicam, ſicque duobus ſimul creatis Pontificibus conflatum eſſe

SCHISMA. 14. ſchiſma in Eccleſia. Ita ſcribit Glaber Rodulphus Monachus Cluniacen. lib. 1. c. 4. additque Ottonem compertâ expulſione Gregorij propinqui ſui, & introductione Joannis Romam cum permaximo exercitu properaſſe, ac Joannem manibus auribuſque truncaſſe, & oculis privaſſe: Creſcentium verò in munitione S. Angeli ſe continentē, inde non niſi juramento firmata promiſſione deduci potuiſſe ab Ottone, ſed de ita decepto ſummum fuiſſe capitis truncatione ſupplicium. Addit autem Petrus Damiani Ottonem de eo crimine confeſſum S. Romualdo pœnitentiam injunctam ſuſcepiſſe, ut nudis pedibus ad Garganum montem Apuliæ peregrinaretur, &c. Hoc anno 996. Gregorius coronavit Ottonem Imperatorem, deinde ejuſdem Imperatoris conſilio, Concilium coëgit Romæ, in quo licet Acta perierint, *Electores Imperij inſtituti ſunt.* Cujus rei decernendæ Gregorio ipſe Otto author fuiſſe videri poteſt, quòd abſque liberis eſſet, & ſpes omnis dempta ut in filium (quod fecerant ex indulgentia Rom. Pontificum ipſius avus ac pater) transferret Imperium. Quòd autem Gregorius V. Electores inſtituerit non autem Gregorius X. qui Pontificatum iniit anno 1271. ut plerique decepti ab Onuphrio Panuino contendunt) conſtat ex probationibus quas affert Bellarmin. lib. 3. de tranſlatione Imperij Rom. cap. 8. Ex his affero inſtrumentum publicum Electorum Imperij ad Nicolaum III. Pontificem miſſum. *Nos Principes Imperij univerſis præſentem*

Digitized by Google

paginam inſpecturis, Complectens ut olim ſibi Romana mater Eccleſia quadam quaſi Germana charitate Germaniam, &c. Illud *olim* malè inſereretur, ſi referretur ad Gregorium X. forſan Gregor. V. omnes Principes feudatarios Imperij deſignavit, quorum quidem ſuffragio, poſt Ottonis III. obitum quotquot electi fuerunt Imperatores intra ducentos annos, non ſeptem dumtaxat Electorum deſignati fuerunt. Numerus autem VII. electorum definitus fuit, in Concilio Oecumenico Lugdun. an. 1245. ſub Innoc. IV. videlicet Eccleſiaſtici tres Archiep. Colonienſis Moguntinus, & Saliburgenſis: laici quatuor Duces: Auſtriæ, Bavariæ, Saxonum, & Brabantiæ. Stetit numerus conſcriptus perſeveravitque in futurum: perſonæ autem quatuor mutatæ, ut pro Salsburgenſi poſitus ſit Arch. Treverenſis; próque illis tribus Ducibus Auſtriæ, Bavariæ, atque Brabantiæ, fuerint ſubrogati Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandegurgenſis, atque Rex Boëmiæ, qui potius locum teneret definitoris, ſi diſcrepent electores, quàm unius ex electoribus. A quonam autem, retento numero VII. facta fuerit mutatio iſta, num ab eodem Innocentio Papa præſidente perſonaliter Concilio, vel alio ex ſucceſſoribus ejus, me latet: ex conſenſu autem Germaniæ Principum, id eſſe ſancitum ſcribit Albert. Abbas Stadenſis in Chron. Sedit Gregor. ann. 2. men. 8. d. 6.

Digitized by Google

999 SYLVESTER II. Gallus Aquitanus, ex Monacho Floriacenſi ad Ligerim fluvium Epiſcopus Rhemenſis, deinde authoritate Ottonis Tertij Imper. Epiſcopus Ravennas, hinc Romanum thronum obtinuit: ne enim Pontificatus, quo Germanus homo Gregorius perfunctus erat, in Romanum aliquem relaberetur (ſuſpectam enim & nuſquam tutam fidem Otto expertus fuerat Romanorum) ipſum Gerbertum, ut vocabatur, mox eligendum curavit, hominem alioqui aſtutum, & in gratiam ſe Principum inſinuandi maximum artificem, tantâ Sede, ait Spondan. indignum, utpote quam ſcriptis aliàs dırè proſcidiſſet: quem tamen adulatus Ottoni S.P.Q.R. dicitur poſtulaſſe. Mathematices inſigniter eruditus, & Aſtrologiæ ſcientiſſimus: hincque præbuit anſam apud ignaros opinandi, quod Magicis incantationibus ad tantum culmen elevatus eſſet: quòd Benno Pſeudo Cardinalis de eo effutiit, cujus teſtimonio perculſi recentiores Scriptores, dubitarunt an annumerandus eſſet inter Pontifices, quem crederent à Diabolo fuiſſe promotum. Magni ab Ottone Imper. & Roberto Galliarum Rege æſtimatus, & apud antiquiores ſui temporis Dimarum, Lambertum, Hermanum, Marianum Scotum, commendatiſſimus: qui plures edidit libros quorum causâ ingentem ſibi undique comparare Bibliothecam laboravit. Prudenter adminiſtravit Pontificatum, cultor ſanctorum virorum, & jurium Eccleſiæ defenſor, pro cujus

ſubſidio

ſubſidio primus bellum ſacrum conclamavit Epiſtolâ Pareneticâ. Sedit annos 4. & menſem, dies 10. cujus ſepulchro Sergius Papa Epitaphium appoſuit in baſilica Lateran.

JOANNES XVI. dictus XVIII. Romanus, ſedit menſes quinque & dies aliquot, ut habent Indices Vaticani. 1003

JOANNES XVII. Romanus, dictus communiter XIX. quia hoc nomine includuntur Schiſmatici, qui non eſſent recenſendi, ſed ad evitandam Lectoribus perplexitatem, & in hoc nomine confuſionem, numerantur. Hujus tempore Conſt. Eccl. cum Rom. conjuncta eſt Catholica communione, & à Sergio Patriarcha ipſius Joannis nomen in ſacra Diptyca relatum. Monachis Caſſinenſibus multa conceſſit privilegia. Sedit ann. 1. m. 7. d. 21. 1003

SERGIUS IV. Romanus, Epiſcopus Albanenſis, tunc Petrus nuncupatus; ſed cui ob reverentiam Apoſtoli nomen mutare placuit, vel ut aſſerit Ditmarus, quod *Buccaporci* diceretur: aſſumptus eſt poſt 43. dies. Quam mutationem nominis rationabiliter imitati ſunt Pontifices: primò, quòd Chriſtus Petro in Apoſtolum aſſumpto novum nomen impoſuit. Secundò, quòd Papa mutari debet ad perfectionem vitæ & famæ. Tertiò, quòd turpe eſſet, eum qui ad tam decorum dignitatis gradum aſcendit, nomine inhoneſto appellari. 1009

Digitized by Google

Hoc anno Judæi apud Aurelianenſem Galliæ civitatem degentes, cæteris omnibus nequiores, conſilio inito fugitivum quendam ſervum Cænobij S. Mariæ Meletenſis, pecunia corruptum, ſub peregrini habitu clàm miſerunt ad Principem Babylonis cum litteris hebraicè ſcriptis, iiſdemque pictaciolis ferri baculo inſertis, ne quo caſu poſſent ab eo divelli: quibus ſignificarent ei, niſi celeriùs Eccleſiam Chriſtianorum ſubverteret. brevi Chriſtianos illum privaturos regno. Itaque Princeps furore arreptus mox Hieroſol. miſit qui templum funditus ſubverterunt: ſed ipſum concavum ſepulchri Chriſti tumulum nullo conatu quaſſare valuerunt. Cùm autem paulò poſt manifeſtatum eſſet, Judæorum perfidiâ templum Domini ſubverſum eſſe, communi Chriſtianorum conſenſu decretum eſt, ut cuncti Judæi per univerſum orbem ab eorum terris expellerentur: ita ut vix pauci reſidui fierent in Orbe Romano. Ipſe verò litterarum gerulus Aurelianum reverſus atque detectus, traditus eſt igni. Quo eodem anno majori decore reſtauratum fuit templum à matre Ammirati, ſive Principis Babylonis, fœminâ Chriſtianiſſimâ, cujus & vir occultè Chriſtianus fuerat, Sergius Principes Italiæ movit ad expellendos è Sicilia Sarracenos. Inſigne paravit ſepulchrum Sylveſtro : ut magiæ notam dilueret, quam ob peritiam matheſeos incurrerat. Sedit an. 2. m. 8.

Digitized by Google

BENEDICTUS VII. Romanus ex Comitibus Tuſculanis ſubſtituitur. Fuit autem SCHISMA quo adverſus eum contra Sacros Canones creatus eſt *Gregorius*, qui pollens potentia Romanorum eum ab Urbe expulit. Sed Henricus Rex Germaniæ Romam venit anno ſequenti, ut Benedictum in ſuam Sedem reſtitueret, qui ad eum confugerat. Ex his tamen quæ Glaber narrat, intelligitur præmiſſum fuiſſe Benedictum, ad cujus adventum Gregorius abdicavit. Henrico obviam proceſſit Papa, & inſigne Imperij, domum ſcilicet aureum pretioſiſſimis ornatum gemmis, deſuper inſerta aurea Cruce, quod fabricarat, ei tradidit; quò intelligeret non aliter debere imperare, vel militare in mundo; quàm ſi egregiis virtutibus exornatus eſſet, & dignus haberetur vivificæ Crucis protegi vexillo. Coronavit eum Papa an. 1014. & Cunegundem conjugem, prævia data reſponſione in arrio Vaticanæ Baſilicæ, quòd Patronus & defenſor foret Eccleſiæ; cujus privilegia & liberam lectionem Papæ poſt inunctionem confirmavit. A. Sarracenos Eccleſiæ littora invadentes, Benedictus comparatâ validâ claſſe ad internecionem delevit, ipſorum Rege fugâ lapſo. B. Imperator animadvertens non dici Romæ Symbolum in Miſſa poſt Evangelium (quod tamen alibi canebatur) reſponſum habet, quòd Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando hæreſi infecta, ſed ſecundùm Petri doctrinam in ſoliditate fidei permaneret inconcuſ- 1012

ſa. At, inquit, & ideò magis neceſſarium eſt Symbolum frequenter decantare. Sic ſuſcepta eſt conſuetudo aliena, Sedit annos 12. quem à purgatoriis pœnis liberatum precibus S. Odilonis Abbatis, & Monachorum Cluniac. quos plurimùm coluerat, ſcribit Petr. Damian. narrátque eum priùs apparuiſſe Epiſcopo Capreæ, monentem ut denuntiaret Joanni ſucceſſori impendere certam pecuniam pauperibus pro ſui ipſius à Purgatorio liberatione; quia quæ pro eo jam erogata fuiſſet, nihil ei penitus profuiſſet, quia de rapinis & injuſtitiis acquiſita erat.

1024 JOANNES XX. Benedicti frater, cognomento *Romanus*, repentè ex laico conſtitutus eſt Pontifex, largitione pecuniæ, ut tradit Glaber lib. 4. c. 1. Ejus initio Græci Imp. Baſil. & Patriarcha Conſtant. tentant obtinere, ut liceret in ſuo Orbe, ſicut Roma in univerſo, Eccleſiam Conſtantin. *Vniverſalem* dici & haberi. Quod Joannes excæcatus muneribus clanculò pertentaſſe concedere, ſcribit Glaber: ſed rei famâ divulgata, ingentique ab omnibus tumultu excitato, graviſſimiſque adverſus hæc præſumpta litteris datis à Vvilelmo Abbate S. Benigni in Gallia, magnæ doctrinæ & authoritatis viro; ab intento cohibitus fuit, vacuique receſſerunt Legati Græci. Regem Germaniæ Conradum ſolemni ritu coronavit Imper. S. Romuald. Abbátem defunctum 1027. canonizavit quinquennio ab obitu, ut ſcribit Petr. Damian. ſed ritu temporis hujus, qui erat, ut

petentibus concederet Apoſt. Sedes ſuper corpus defuncti altaria conſtruere & Miſſas celebrare. Sedit an. 9. m. 8.

Canonizandi ritus hujus temporis.

1033

BENEDICTUS IX Romanus, *Puer decem annorum*, Alberici Comitis Tuſculani filius, & duorum præcedentium Pont. nepos, tyrannide Patris, ægrè ferentis Papatum ſucceſſione duorum Germanorum ſtabilitum egredi è domo ſua, intruſus eſt. Ut autem tantum nefas Albericus attentare præſumpſerit, præceſſerat exemplum in puerulo electo Archiep. Rhemenſi, cui ad functiones Epiſcopales obeundas coadjutor fuerat datus Epiſcopus. Ingemuiſſe Orbem ad hanc intruſionem, teſtatur Glaber hanc videns, qui ait, Romanos hoc feciſſe intercedente pecunia, & frequenter intruſum dejeciſſe, ac inhoneſtè receptum nullâ poteſtate viguiſſe. Habitus tamen fuit legitimus Papa, à quo petierunt & obtinuerunt pallium tres Archiep. Hamburgenſes, ſibi ſuccedentes, viri ſanctitate inſignes: tanta videlicet vigebat tunc obſervantia erga Rom. Eccleſiam, ut quemcumque audirent throno Petri inſidere, colere eum & venerari non detractarent. Anno 1037. Benedictus retulit in Sanctorum numerum Simeonem Anachoretam, incluſum apud Treveros, qui hoc eodem anno ex hac vita migravit. Anno 1041. Legatio facta eſt ad Pontificem pro diſpenſando Caſimiro Monacho Cluniacenſi profeſſo, & Diacono, ut Poloniæ hæreditarium regnum ſuſciperet, ad petitionem Procerum Regni,

Papa diſpenſat Monachum Diaconum, ut ducat uxorem.

quod diſſipabatur. Indulſit Papa poſt longam conſultationem, eidémque regulâ monaſticâ & Diaconatus ordine ſoluto, uxorem ducere & ſucceſſores generare permiſit, impoſitâ certâ conditione Polonis. Anno 1044.

SCHISMA XV.

Tres Pontifices ſimul habent.

Romani, inquit Hermanus, Benedictum Papam multis criminatum Sede ſuâ pellunt, & Cardinalem Sabinum, qui Silveſter III. nuncupatus eſt, in ejus locum ſtatuunt, qui Sedem occupavit menſe uno & diebus 19. quem tamen poſtea Benedictus excuſſit, excommunicavit & expulit, ſicque priſtino ſtatui eſt reſtitutus, annitentibus Tuſculanis Proceribus, potentiſſimæ contrariæ factioni Ptolomæi civis Rom. Octaviæ ut gloriabatur, gentis prævalentibus. Nec multò pòſt ipſe Benedictus inviſum ſe cunctis cernens, *Ioanni* R.E. Archipresb. Pontificatum remiſit, & ſe recepit in paternam domum, cupiditates ſuas, ait Leo Oſt. liberiùs executurus, Certum eſt tamen eundem dimiſſam repetiiſſe Cathedram. Traditque Otto Friſingenſis, ſimul tres illos Anti-Pontifices, diviſis inter ſe redditibus Romæ ſedere viſos eſſe, unum ad S. Petrum, alterum ad S. Mariam majorem, & Benedictum in Palat. Lateran. omnéſque flagitioſam ac turpem vitam duxiſſe, ut ſe ab ipſis Romanis in Urbe audiviſſe teſtatur Joannes Gratianus Presbyter vi-

dens hunc miſerrimum ſtatum Eccleſiæ, præfatos viros adiit, eiſque à Sede ſanctâ cedere pecuniâ perſuaſit: Benedicto, quia majoris videbatur eſſe auctoritatis, redditibus Angliæ relictis. Ob quæ S. P. Q. R. eundem ipſum Gratianum tanquam Eccleſiæ Dei liberatorem elegerunt, ac mutato nomine Gregor. VI. vocaverunt, cùm Benedictus ſediſſet annos duodecim.

GREGORIUS VI. Sic electus, cùm ſediſſet annum 1. & m. 7. Henricus Rex 1045
Germaniæ in Italiam cum exercitu veniens, & Placentiam accedens Gregorium ad ſe venientem honorificè ſuſcepit: juxta verò Romam apud Sutriam Synodo coactâ erroneorum Pontificum cauſam ventilavit, & Gratianum ſeu Greg. VI. ob tranſactionem pecuniariam, redditusque percipiendos præfatis Pontificibus relictos, exauctoravit. Hos autem prætextus venatus eſt Henricus, ut deponeret quem nullo petito Regis ſuffragio noſſet eſſe creatum à Romanis, ne ejuſmodi licentiam ſibi arrogarent. Quòd verò ſanctiſſimus Papa cerneret eâ occaſione durum ſchiſma eſſe conflandum, Pontificiâ Sede libenter ceſſit.

CLEMEMS II. Saxo natione, Epiſcopus 1046
Bambergenſis, communi conſenſu electus eſt in Conc. Surrino, & ipſa die Natalis Domini ſolemniter conſecratus: qui & eadem die Henricum Regem & conjugem ejus Imp. benedictione ſublimavit. Remeans au-

Digitized by Google

tem Imp. in Germaniam, Clementem ſecum adduxit, nec non & depoſitum Gregorium, qui per Gallias tranſiens habitavit & deceſſit apud Cluniac. Monachos. Clemens verò in Germania obiit poſt novem menſes à promotione ſua, & delatus eſt in Epiſcopatum Bambergæ.

BENEDICTUS IX. jam iterùm pulſus, adhuc tertiò invaſit Sedem: quam octo menſes tenuiſſe, aſſerit Leo Oſt. lib. 2. c. 22. Apparuit ipſe aliquibus horribili figura, ut teſtatur Petrus Damian. corpore urſino in auribus & cauda aſinina dicens ſe à Deo & Petro cujus dehoneſtarat Sedem inter beſtias amandarum in deſertis & nudis locis uſque ad finale judicium damnatum inde ad inferos.

1048 DAMASUS II. Bavarus natione, Epiſcopus Brixienſis, dum Benedictus invaſor Eccleſiam affligeret, miſſus eſt ab Imp. eligendus: qui votis omnium acceptus, conſecratus eſt. Obiit autem 23. die.

1049 LEO IX. Allemanus, Comes Haſpurgen. & Epiſcopus Tullenſis, delectus eſt ab Imp. ad quem Cardinales, ne Benedictum ſibi rurſum nitentem vendicare Sedem, ſubire cogerentur, legationem fecerunt, ut quem ſibi utilem fore putaret Romam mitteret, qui ex conſilio Cardinalium in ipſa Urbe Pontifex eligeretur. Tranſiens per Gallias Bruno Tullenſis Epiſcopus, Cluniacum ad-

Digitized by Google

venit indutus purpurâ Pontificali: quam illicitè aſſumptam repræſentavit Hildebrandus Monachus, utpote qui per manum laicam ad gubernium S. R. E. introiret, ſicque Cleri Rom, affectus à ſe alienaret. Pollicetur Hildebrandus benè omnia fore, quòd ſcilicet Majeſtas Imp. in ipſo non exacerbaretur, quodque litteras Eccleſiæ in electione Canonica renovaretur, ſi purpuram deponat. Peregrini itaque habitu Romam cum Hildebr. acceſſit, ſicque electus fuit & conſecratus: voluit tamen ex ſingulari affectu dici etiam Tullenſis Epiſcopus. Montem Garganum & Caſſinenſe Monaſterium viſitavit: Simoniam & carnis vitia reſcidit: Gallias & Epiſcopatum reviſit: an. 2. Berengar. Hæreſiarch. Vercell. & Romæ in Synodo damnavit, & Joan. Scoti librum de Euch. quem Berengarius laudaverat 1052. Germaniam venit, rogatus ad componendum Imp. cum And. Hungariæ Rege. Obtinuit ab Imp. Fuldenſ. Abbatiam, aliaque nonnulla quæ olim donata fuerant S. Petr. Beneventum quaſi per concambium cum Bambergenſi civitate ad Sedem Apoſt. reduxit. Expeditionem contra Northmanos in Synodo Romana decrevit, cui ipſe præfuit: ſed obſeſſus relaxavit cenſuram, & Beneventum ab Huntfrido Duce honorificè deductus eſt, captivus licet: inde que Romæ magna cum reverentia redditus. Tantæ hoſpitalitatis & ſanctitatis commendatur, ut leproſum in lecto ſuo poni juſſerit, qui manè non apparens, Chriſtus fuiſſe exiſtimatus eſt. Sedit annos 5. menſ.

I 5

2. ad cujus tumulum in Vatican. coruſcant miracula.

1055 VICTOR II. natione Bavarus, Epiſcopus Aiſtetenſis, chariſſimus Henrico Imper. & invitè ab eo diſtractus, eligitur in Synodo Moguntina operâ Hildebrandi Cardinalis, quem Collegium ad Imperat. delegarat, ut vice Cleri P. Q. R. eligeret, ac Romam deduceret conſecrandum aliquem Sedi idoneum. Accedente autem Imperatore in Italiam, Victor Synodum habuit Florentiæ: in qua multi Epiſcopi ob peccatum Simoniæ & fornicationis depoſiti fuere: vetitumque Epiſcopis, ne prædia Eccleſiæ diſtraherent, quod multis cauſam damnationis extitiſſe Deus tunc revelavit. Victor mittit in Gallias Hildebrandum Legatum à latere, ad reformationem Eccleſiæ: de quo illud in ſua legatione contigiſſe refertur, quod cum in quadam Epiſcoporum Synodo ab eo celebrata, Epiſcopus Ebreduni litteratus, accuſatus de Symoniæ crimine illud omninò detrectaret confiteri, repentè juſſus ab Hildebrando dicere: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto*, Patrem quidem Filiumque diſertè & expeditè pronuntiaverit, Spiritum ſanctum autem nequaquam valuerit proferre, tuncque ſe convictum judicio divino cernens crimen confeſſus fuerit, & depoſito Epiſcopatu mox Spiritum quoque ſanctum libero ore pronuntiaverit, hincque 47. Epiſcopi ſe ſimoniacos confeſſi renuntiarint gradibus ſuis.

Digitized by Google

Victor hoc ipſo anno 1. horrendam patitur proditionem à Subdiacono miniſtrante ei in Miſſa, qui venenum immiſit in calicem. Sed Deus duplici miraculo, & obſtitit ne Pontifex biberet, & detexit tanti ſacrilegij authorem. Cùm enim calicem, poſt conſecr. levare vellet nec poſſet, à Domino inquiſiturus cauſam facti, cùm populo ad orationem proſtratus eſt, ſtatimque Subdiaconus à dæmone arripitur: Sic igitur cauſa manifeſtatâ Papa calicem cum ſanguine Dominico cuidam altari juſſit includi, & proſtratus oravit donec Subdiaconus à dæmone liberaretur. Ita ſcribunt Lambert. & Vſpergenſ. Obit Florentiæ cùm ſediſſet annos duos, m. 3. d. 13.

Subdiaconus propinans venenum Papa ſacrificanti abripitur à dæmone.

1057

STEPHANUS X. filius Gozelonis ducis Lotaringiæ, Abbas Caſſini & Presbyter Card. aſſumptus eſt uno omnium conſenſu: qui quidem ita permiſit in locum ſuum alium eligi Abbatem, ut tamen dumtaxat poſt obitum ſuum ſuccederet: voluit enim & Papa & Abbas Caſſin. eſſe quamdiu vixit. Petrum Damiani ab eremo abſtractum, creavit Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem, invitum: qui mox cœpit ejuſcemodi vitæ generis tædere, ac de reditu ad eremum ſubſequentem Papam pulſare. quod tandem ab Alexandro obtinuit. Mediolanenſ. Eccleſiam Rom. univit & ſubmiſit. Legationem ad Orientem decrevit pro conſocianda Apoſt. communioni Eccleſia Conſtant. ſed ea non habuit effectum, quia ejus obitus

Digitized by Google

interceſſit Florentiæ, ubi in manibus S. Hogonis Abbatis Cluniac. ſpiritum reddidir, ſancta confeſſione præmunitus, cúm ſediſſet menſes ſeptem dies 8.

Mincius Epiſcopus Velitrenſis dictus Benedictus X. hîc inſeritur à Platina, ab aliis autem prætermittitur quòd intruſus & invaſor reputetur, & per vim & factionem, ſive Comitum Tuſculanorum, ſive Ptolemæorum fuerit noctu conſecratus: dum interea Cardinales aliqui, cùm Petro Damian. hæc deteſtantes, fugere per diverſa latibula coacti fuerunt: ſedit tamen menſes novem, dies 20.

1058 NICOLAUS II, Provincialis, ſi Platinæ credimus, Gerardus dictus, Epiſcopus Florentinus, poſt reditum Hildebrandi à legatione Germaniæ, quem expectandum pro electione ſucceſſoris conteſtatus erat Clerum Stephanus ex Urbe recedens ſub diſtricti anathematis cenſura, electus eſt Senis: cujus electioni Imperatrix. & filius ejus parvulus Henricus aſſensũ præbuit, ut teſtis eſt Lambert. Romam autem ab Hildebrando & Godofrido duce perductus, ipſo m. Januar. an. 1059. totius Cleri ac Populi conſenſu, in Sede Apoſt. collocatus eſt. Legitur autem in geſtis Rom. Pont. præceſſiſſe Concilium Sutrinum pro Mincij depoſitione, qui in domum propriam ſe recepit: cùm autem Nicolaus Romam veniſſet. Mincium ad eum veniam petiturum acceſſiſſe, & omnis Sacerdotalis officij depoſitionem incurriſſe, ob quam

quam 3. menſe ex mœrore è vita deceſſit. Hoc eodem anno, menſe Aprili Nicolaus Concilium 113. Epiſc. habuit in Laterano, ad quod dicturus cauſam reus vocatus eſt Berengarius patriâ Turonen. Arch. Andegavenſis, qui ut ait Lanfrancus, libris ſuis paratum ignem ipſe accendit, & realitatem corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchar. profeſſus eſt alta voce, & ſuo Chirographo roboravit, ut legere eſt in corpore Canonico, *Ego Berengarius*. Deinde in Conc. edita eſt Conſtitutio; qua Henrico Germaniæ Regi jus eligendi Papam conceſſum eſt. Quòd enim ejuſdem Regis ope proximè præcedenti ſchiſmati finis impoſitus eſſet, gratitudinis ergo quod datum fuerat eadem ex cauſa patri privilegium, hoc Nicolaus cum Synodo propagandum putavit in filium ac ſucceſſores, qui ab Apoſt. Sede perſonaliter illud jus impetrarent: ſed ita tamen ut nequaquam eo privari voluerit Romanum Clerum; imò ad S. R. E. Card. Epiſcopos ſtatuerit, illud potiſſimùm pertinere, inde verò ad ceteros quos, ſive jura, ſive conſuetudo admiſiſſent, habetur apud Gratianum: Jus ergo iſtud, hoc importat, ut Imperator eligeret, ſeu potius confirmaret eum, in quem primò (ſi per pacem licuiſſet) ſuffragia Cleri & populi Rom. concurrerent: ſin verò minus id ipſis facere licuiſſet, tunc iidem liberam refunderent in Imperatorem electionem, ut quem vellet eligeret, nomine tamen Cleri Rom. Cùm autem hoc privilegio ad ædificationem Eccleſiæ Imp. col-

lato. iidem ad deſtructionem uti voluerunt, ipſo privari meruerunt.

Northmanis conceſſit in feudum Calabriam, Apuliam & Siciliam; eoſque ex Apulia duces, Comitum Tuſcul. & factioſorum loca munia deſtruit; ipſoſque ad Apoſt. Sedes ſubjectionem venire coëgit liberatâ Urbe ab eorum tyrannide. Anglorum Regem Eduardum abſolvit à voto. eundi Romam. Obiit commendatiſſimus, & cultor pauperum, quorum pedes quotidie abluere non prætermiſit, ut teſtatur Petr. Damian. cùm ſediſſet annos duos, men. ſex, Florentiæ ſepultus.

1061 ALEXANDER II. Mediolanen. Lucenſis Epiſcopus abſens proclamatur ob præclaras animi dotes. Magna tamen præceſſit diſſentio: nam Proceres illi Rom. Comites Tuſculani, Galeriani & alij, ob ea quæ à Nicol. per Northmanos paſſi erant, infenſiſſimi redditi in S.R.E. Card. legationem ad Henricum Regem adornantes miſerunt coronam auream, & cum ea inſignem titulum Patritiatus, quo illius animum hujuſmodi ille cebris allicientes, quem ipſi vellent acciperent ab eo Pontif. Mox ea de re Girbert. de Parma Cancel. Regis homo nequiſſimus Baſil, convocat Epiſc. Italiæ, Longob. ſcilicet Simoniacos, & incontinentes. In hac Pſeudoſynodo ſtatuitur, aſſumendum eſſe Papam ex Longob. dumtaxat. Nicolaus Papa damnatur, ejuſque Statuta reſcinduntur, quæ cum nomine Regis Catholici evulgarentur qui ſanioris mentis erant Germaniæ Epiſ-

Digitized by Google

copi, erubeſcentes operati ſunt poſtea ut authór malorum omnium Cancellarius redigeretur in ordinem, ipséque Rex, qui fœminæ arbitrio duci videbatur, ſeorsùm educaretur. His auditis Romæ decernitur à Cardinalibus unus eorum Legatus ad Regem, qui ad audientiam non fuit admiſſus. Hinc totius Cleri, & P. R. conſenſu, poſt tres menſes vacationis *Anſelmus* aulæ Regiæ alumnus creditus placere poſſe Regi electus eſt, & Alexander II. nuncupatus. Conclamat Girbertus injuriam factam Regi, quo inſcio creatus ſit Pontifex: alium affirmat eligendum.

SCHISMA XVI.

Cadalous Epiſcopus Parmæ manifeſtus Simoniacus à duobus tantùm Epiſcopis Vercellenſi & Placentino agente Girberto eligitur Romanus Pontifex, dictuſque eſt Honorius II. qui ut Romanorum animos ſibi conciliaret ingentem pecuniarum vim in ipſos effudit, à quibus potentioribus timens Alexander ab Urbe fugit: venit autem Honorius Romam manu armata, in prato Neronis caſtrametatur, & in prima congreſſione victor apparet: ſed adveniente duce Godefrido, ita coarctatus eſt, ut abſque læſione proprij corporis abire retrorſum non potuerit, niſi humillimis precibus; & effuſis magnis muneribus, ſicque rediit Parmam ſpoliatus Menſe Octobri 1062. Osborij in Germania ventilatur cauſa. Petrus Damiani

ſcriptionem ibi mittit, quæ omnium conſenſum in Alexandri comprobationem inclinavit; conclamatâ Cadaloï reprobatione: cui judicio non acquieſcens Cadalous, fit 1064. nova Synodus Mantuæ, in qua Alexander objecta ſibi ita diluit, ut qui ei adverſati eſſent deinceps obedientiam præſtiterint, & Cadalous anathemate damnatus ſit: qui tamen nec ideò quievit, ſed corruptis nonnullis Ducibus intravit noctu Leoninam civitatem, & B. Petri Eccleſiam occupavit; ſed concurrente ad eam populo timidi fugiunt ſectatores. Cencius autem Præfecti filius Cadaloum ſuſcepit in Caſtellum S. Angeli, ubi per duos annos à militibus Papæ obſeſſus exire non potuit, donec ſe ab eodem Cencio 300. libris argenti redimens, inops & egens clàm inter oratores elapſus eſt, ac demùm paucos poſt dies obiit. Hæc apud Aragonium.

Alexander anno 1069. Legatum mittit ad Henricum Regem Germaniæ ad impediendum divortium, quod intendebat à Berta Regina. Anno 1071. Caſſinum profectus novam baſilicam S. Benedicti celeberrimè dedicat, conceſſa adſtantibus indulgentiâ remiſſionis peccatorum. 1073. Vocat Henricum Regem reſponſurum de accuſationibus in eum latis Simoniæ, & uſurpationis Ducatus Bajoriæ. Duo Papæ miracula narrat Leo Oſtien. Dæmoniacum liberavit apud Caſſinum, & fœminam claudam apud Aquinum ſanavit, propinata aqua quâ poſt Miſſam manus abluerat. Sedit annos undecim, m. ſex, d. 22.

GREGORIUS VII. Tuſcus, ex Soana civitate ex Comitibus Perilianis Hildebrandus dictus, Cardinalis Archidiac. magno omnium conſenſu eligitur ipſamet die obitus Alexandri, invitus & reluctans: qui idcirco nuntios expedivit ad Henricum, deprecaturos ne aſſenſum præberet alioquin certum haberet ſe graviores ipſius exceſſus nullatenus impunitos toleraturum. At Rex miſit Gregorium Vercellenſem Epiſcopum Regni Italiæ Cancellarium, ut authoritate regiâ electionem ejus confirmaret, & conſecrationi intereſſet: ſic teſtatur Lambertus, & conſtat ex Regis Epiſtola, ad Papam gratulatoria, quâ & veniam ſcelerum ſuorum deprecatur.

Hugonem Candidum Card. mittit Legatum in Hiſpanias, ut quoniam magnâ jam ex parte vendicatæ eſſent civitates à Maurorum uſurpatione, quod in eis & provinciis jus prætendebat Sedes Apoſtolica, ſive cenſus ratione, ſive tributi olim perſolvi eidem conſueti, æquè reciperet.

Concilium habet Romæ, in quo renovat decretum de continentia Clericorum: quæ ita neglecta erat in Germania, ut omnes fere Sacerdotes conjugati eſſent, & in Gregorium infremuerint, & Moguntinum Archiepiſcopum urgentem Papæ mandatum, de abjurando matrimonio, aut ſacri miniſterij abdicatione, congregata Etfordiæ Synodo neci tradere cogitaverint, ipsúmque Papam calumniati ſint de familiaritate cum Comitiſsâ. Anno 1075. Cincius urbis Præfe-

ctus quem Gregor. fruſtra monitum de variis exceſſibus tandem anathemate innodarat ſeductus à Guiberto Archiep. Ravennæ partiario Cadaloi Antipapæ adverſus Alexand. II. multa ea parte Imperatoris promittente Papam noctu in S. Maria Majore celebrante natalem Domini abſtraxit in manu forti ab altari ſe raptatum immaniter turri fortiſſimæ incluſit quam ſolo æquavit populus Romanus primo diluculo; liberatóque Pontifice naſum præſcidit domeſticis Cincij eumque per invia & deſerta Imperatorem adire coëgit. Anno 1076. arguit Henricum de contemptu Sedis Apoſt. de collatione Simoniaca beneficiorum, vocatque eum ad Synodum Romæ cauſam dicturum. Hinc Rex ampliſſimum convocat Vvormatiæ Conventum, pro depoſitione Gregorij, quæ conclamata denuntiata ei fuit celeriter pridie quàm Romæ indicta Synodus celebraretur. Papa autem nihil permotus atrocitate nuntij litteras denuntiatorias ut abdicaret quia nec fuiſſet unquam, nec poſſet eſſe Papa, qui probis vitam cumulaſſet; publicari fecit in Synodo, & de conſilio illius Regem & Architectos flagitij excommunicavit, deditque litteras ad omnes Chriſti Fideles: quibus adjunxit abſolutionem juramenti fidelitatis omnium ubique Henrici ſubditorum. Mox Suevi, Saxones & majoris Germaniæ Principes inſurrexerunt in Henricum formidando apparato prælio, à quo inducias ei dedere ſi ſe Papæ ſubderet. Qui ideò pœnitens in Ita-

liam profectus eſt, multa paſſus in itinere ab aſperrima hyeme. & in Caſtellum, in quod præſtolans Papa ſe receperat admiſſus, nudis pedibus, in laneis veſtibus, jejunus à manè ad veſperam, implorans miſericordiam, quarto die præſentatus Pontifici, abſolutionem habuit cùm certis conditionibus. Hanc ſeveritatem, qui ſacrilegus extiterat in Papam, merebatur Rex Poſt Regem abſolutũ Gregorius Miſſam facit, & cum Euchar. manu teneret conteſtatus eſt coram multitudine, ſe ſub pœna repentinæ mortis innoxium eſſe ab objectis per ſchiſmaticos, poſt ſumptionem incurrendæ. Subſecutæ ſunt poſtea diſcordiæ inter Pontificem & Regem, quas ſuſcitarunt Epiſcopi Longobardi irriſoriè decipientes Regem, quòd tali Papæ quem ipſi hæreticum, & probris omnibus infamatum prædicabant, Majeſtatem regiam fædâ ſubjectione ſubmiſiſſet: hincque Rex conditiones pactas abrupit, & authore Guiberto Archiep. Ravennæ conjuravit in Gregorium, & Mathildem, quæ hoc anno Liguriam & Tuſciam Provincias Sedi Apoſt. donavit.

Inter hæc Principes Germaniæ Rodulphum Ducem Sueviæ elegerunt in Regem addicato Henrico, eundémque conſecravit Moguntiæ, ejus civitatis Archiepiſcopus: quod ſe inſcio factum juratus aſſervit Papa. 1080. Conc. Romæ habet Papa, in quo perjurum, & contumacem anathematizat Henricum & fautores, omnique dignitate privat abſolvendo ſubjectos à juramento;

& Rodulphum quem Teutonici elegiſſent Regem confirmavit, ac coronam ei miſit, cum hac inſcriptione.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho. Poſt hæc Henricus cum Schiſmaticis Brixiæ, adunati ſententiam depoſitionis in Gregorium abſentem,& non vocatum pronuntiant: quòd ut habet eorum Decretum, Sedem Apoſt. malis artibus invaſiſſet, Ordinémque Eccleſiaſticum ſubvertiſſet, & Chriſtiani Imperij regnum perturbaſſet, &c. Fit ergo 1080.

SCHISMA XVII.

IN illo Conventiculo 30. Epiſcoporum creatur Antipapa Guibertus Archiep. Ravennas, cui nomen impoſitum eſt CLEMENS. Italia autem ita turbata erat, ut nullus ſecurus ire poſſet,qui non priùs abjuraret, quòd ad Papam Gregorium diverſurus non eſſet: decretæque ſunt ab Henrico pro Guiberto legationes in omnes Provincias. Interea Robertus Guiſchardus invaſor bonorum Eccleſiæ, & ob id ſæpè cum ſuis Northmanis ab eodem Gregorio excommunicatus, ſponte veniens ei ſe ſubjicit præſtátque juramentum fidelitatis pro Apulia, Calabria, & Sicilia, cum cenſu annuo. Oportunè equidem:nam ſub ipſo Duce Gregorius expeditionem publicavit ad vendicandum armis à tyrannica Antipapæ occupatione Ravennatem Eccleſiam. Rex Rodulphus occiditur in prælio, huícque ſub-

ſtituitur in Saxonia Hermannus Dux Lotharingiæ. 1083. Henricus armata manu Romam ingreſſus intrudit in Sedem Petri Guibertum, & per Epiſcopos Bononienſem, Vicentinum, & Cervienſem conſecrari fecit, & dici Clementem III. cúmque civitatem Leoninam dumtaxat cœpiſſet, tandem vi & dolo urbe potitus Lateranenſe Palatium intravit, & coronatus eſt Imperator ab Antipapa.

Roma vidit tunc inauditum portentum, nempe vivente ipſo legitimo Orthodoxo Gregorio VII. Papa, per annos undecim recepto atque culto; ſuperinduci in Petri Cathedram ac conſecrari, ſæpè antea depoſitum & execratum Guibertum, decoro nomine Clementem III. nominatum. Erat tunc Greg. in Caſtello S. Angeli, qui cum videret Henricum obſidionem urbis proſequi, Robertum Guiſchardum inter alios aſcivit; qui non cunctatus Romam invaſit, fugatóque Henrico, totam urbem Gregorio rebellem expoliavit, & ex parte combuſſit, expulſiſque Pſeudo cardinalibus Guiberti, legitimos in ſacro miniſterio ſtabilivit Sacerdotes: Porrò Gregorius Caſſinum ſe recepit, ubi dum aliquando Miſſam celebraret, manifeſtata eſt viro cuidam rapto in extaſim columba expanſis alis protegens humeros Gregorij: quâ intellexit res geſtas à Greg. adverſus Henricum comprobari à Deo, idque juſſus eſt renuntiare ipſi, cum adhortatione, ut conſtanter perſtaret. Hinc Salernum ſe contulit, ubi conſiſtens, cùm ſediſſet an-

Digitized by Google

interceſſit Florentiæ, ubi in manibus S. Hogonis Abbatis Cluniac. ſpiritum reddidit, ſancta confeſſione præmunitus, cúm ſediſſet menſes ſeptem dies 8.

Mincius Epiſcopus Velitrenſis dictus Benedictus X. hîc inſeritur à Platina, ab aliis autem prætermittitur quòd intruſus & invaſor reputetur, & per vim & factionem, ſive Comitum Tuſculanorum, ſive Ptolemæorum fuerit noctu conſecratus: dum interea Cardinales aliqui, cùm Petro Damian. hæc deteſtantes, fugere per diverſa latibula coacti fuerunt: ſedit tamen menſes novem, dies 20.

1058 NICOLAUS II, Provincialis, ſi Platinæ credimus, Gerardus dictus, Epiſcopus Florentinus, poſt reditum Hildebrandi à legatione Germaniæ, quem expectandum pro electione ſucceſſoris conteſtatus erat Clerum Stephanus ex Urbe recedens ſub diſtricti anathematis cenſura, electus eſt Senis: cujus electioni Imperatrix. & filius ejus parvulus Henricus aſſensũ præbuit, ut teſtis eſt Lambert. Romam autem ab Hildebrando & Godofrido duce perductus, ipſo m. Januar. an. 1059. totius Cleri ac Populi conſenſu, in Sede Apoſt. collocatus eſt. Legitur autem in geſtis Rom. Pont. præceſſiſſe Concilium Sutrinum pro Mincij depoſitione, qui in domum propriam ſe recepit: cùm autem Nicolaus Romam veniſſet. Mincium ad eum veniam petiturum acceſſiſſe, & omnis Sacerdotalis officij depoſitionem incurriſſe, ob quam

quam 3. menſe ex mœrore è vita deceſſit. Hoc eodem anno, menſe Aprili Nicolaus Concilium 113. Epiſc. habuit in Laterano, ad quod dicturus cauſam reus vocatus eſt Berengarius patriâ Turonen. Arch. Andegavenſis, qui ut ait Lanfrancus, libris ſuis paratum ignem ipſe accendit, & realitatem corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchar. profeſſus eſt alta voce, & ſuo Chirographo roboravit, ut legere eſt in corpore Canonico, *Ego Berengarius*. Deinde in Conc. edita eſt Conſtitutio; qua Henrico Germaniæ Regi jus eligendi Papam conceſſum eſt. Quòd enim ejuſdem Regis ope proximè præcedenti ſchiſmati finis impoſitus eſſet, gratitudinis ergò quod datum fuerat eadem ex cauſa patri privilegium, hoc Nicolaus cum Synodo propagandum putavit in filium ac ſucceſſores, qui ab Apoſt. Sede perſonaliter illud jus impetrarent: ſed ita tamen ut nequaquam eo privari voluerit Romanum Clerum; imò ad S. R. E. Card. Epiſcopos ſtatuerit, illud potiſſimùm pertinere, inde verò ad ceteros quos, ſive jura, ſive conſuetudo admiſiſſent, habetur apud Gratianum: Jus ergo iſtud, hoc importat, ut Imperator eligeret, ſeu potius confirmaret eum, in quem primò (ſi per pacem licuiſſet) ſuffragia Cleri & populi Rom. concurrerent: ſin verò minus id ipſis facere licuiſſet, tunc iidem liberam refunderent in Imperatorem electionem, ut quem vellet eligeret, nomine tamen Cleri Rom. Cùm autem hoc privilegio ad ædificationem Eccleſiæ Imp. col-

lato. iidem ad deſtructionem uti voluerunt, ipſo privari meruerunt.

Northmanis conceſſit in feudum Calabriam, Apuliam & Siciliam; eoſque ex Apulia duces, Comitum Tuſcul. & factioſorum loca munia deſtruit; ipſoſque ad Apoſt Sedes ſubjectionem venire coëgit liberatâ Urbe ab eorum tyrannide. Anglorum Regem Eduardum abſolvit à voto. eundi Romam. Obiit commendatiſſimus, & cultor pauperum, quorum pedes quotidie abluere non prætermiſit, ut teſtatur Petr. Damian. cùm ſediſſet annos duos, men. ſex, Florentiæ ſepultus.

1061 ALEXANDER II. Mediolanen. Lucenſis Epiſcopus abſens proclamatur ob præclaras animi dotes. Magna tamen præceſſit diſſentio: nam Proceres illi Rom. Comites Tuſculani, Galeriani & alij, ob ea quæ à Nicol. per Northmanos paſſi erant, infenſiſſimi redditi in S.R.E. Card. legationem ad Henricum Regem adornantes miſerunt coronam auream, & cum ea inſignem titulum Patritiatus, quo illius animum hujuſmodi ille cebris allicientes, quem ipſi vellent acciperent ab eo Pontif. Mox ea de re Girbert. de Parma Cancel. Regis homo nequiſſimus Baſil. convocat Epiſc. Italiæ, Longob. ſcilicet Simoniacos, & incontinentes. In hac Pſeudoſynodo ſtatuitur, aſſumendum eſſe Papam ex Longob. dumtaxat. Nicolaus Papa damnatur, ejuſque Statuta reſcinduntur; quæ cum nomine Regis Catholici evulgarentur qui ſanioris mentis erant Germaniæ Epiſ-

copi, erubeſcentes operati ſunt poſtea ut author malorum omnium Cancellarius redigeretur in ordinem, ipséque Rex, qui fœminæ arbitrio duci videbatur, ſeorsùm educaretur. His auditis Romæ decernitur à Cardinalibus unus eorum Legatus ad Regem, qui ad audientiam non fuit admiſſus. Hinc totius Cleri, & P. R. conſenſu, poſt tres menſes vacationis *Anſelmus* aulæ Regiæ alumnus creditus placere poſſe Regi electus eſt, & Alexander II. nuncupatus. Conclamat Girbertus injuriam factam Regi, quo inſcio creatus ſit Pontifex: alium affirmat eligendum.

SCHISMA XVI.

Cadalous Epiſcopus Parmæ manifeſtus Simoniacus à duobus tantùm Epiſcopis Vercellenſi & Placentino agente Girberto eligitur Romanus Pontifex, dictuſque eſt Honorius II. qui ut Romanorum animos ſibi conciliaret ingentem pecuniarum vim in ipſos effudit, à quibus potentioribus timens Alexander ab Urbe fugit: venit autem Honorius Romam manu armata, in prato Neronis caſtrametatur, & in prima congreſſione victor apparet: ſed adveniente duce Godefrido, ita coarctatus eſt, ut abſque læſione proprij corporis abire retrorſum non potuerit, niſi humillimis precibus; & effuſis magnis muneribus, ſicque rediit Parmam ſpoliatus Menſe Octobri 1062. Osborij in Germania ventilatur cauſa. Petrus Damiani

ſcriptionem ibi mittit, quæ omnium conſenſum in Alexandri comprobationem inclinavit, conclamatâ Cadaloï reprobatione: cui judicio non acquieſcens Cadalous, fit 1064. nova Synodus Mantuæ, in qua Alexander objecta ſibi ita diluit, ut qui ei adverſati eſſent deinceps obedientiam præſtiterint, & Cadalous anathemate damnatus ſit: qui tamen nec ideò quievit, ſed corruptis nonnullis Ducibus intravit noctu Leoninam civitatem, & B. Petri Eccleſiam occupavit; ſed concurrente ad eam populo timidi fugiunt ſectatores. Cencius autem Præfecti filius Cadaloum ſuſcepit in Caſtellum S. Angeli, ubi per duos annos à militibus Papæ obſeſſus exire non potuit, donec ſe ab eodem Cencio 300. libris argenti redimens, inops & egens clàm inter oratores elapſus eſt, ac demùm paucos poſt dies obiit. Hæc apud Aragonium.

Alexander anno 1069. Legatum mittit ad Henricum Regem Germaniæ ad impediendum divortium, quod intendebat à Berta Regina. Anno 1071. Caſſinum profectus novam baſilicam S. Benedicti celeberrimè dedicat, conceſſa adſtantibus indulgentiâ remiſſionis peccatorum. 1073. Vocat Henricum Regem reſponſurum de accuſationibus in eum latis Simoniæ, & uſurpationis Ducatus Bajoriæ. Duo Papæ miracula narrat Leo Oſtien. Dæmoniacum liberavit apud Caſſinum, & fœminam claudam apud Aquinum ſanavit, propinata aqua quâ poſt Miſſam manus abluerat. Sedit annos undecim, m. ſex, d. 22.

Digitized by Google

GREGORIUS VII. Tuſcus, ex Soana civitate ex Comitibus Perilianis Hildebrandus dictus, Cardinalis Archidiac. magno omnium conſenſu eligitur ipſamet die obitus Alexandri, invitus & reluctans: qui idcirco nuntios expedivit ad Henricum, deprecaturos ne aſſenſum præberet alioquin certum haberet ſe graviores ipſius exceſſus nullatenus impunitos toleraturum. At Rex miſit Gregorium Vercellenſem Epiſcopum Regni Italiæ Cancellarium, ut authoritate regiâ electionem ejus confirmaret, & conſecrationi intereſſet: ſic teſtatur Lambertus, & conſtat ex Regis Epiſtola, ad Papam gratulatoria, quâ & veniam ſcelerum ſuorum deprecatur.

Hugonem Candidum Card. mittit Legatum in Hiſpanias, ut quoniam magnâ jam ex parte vendicatæ eſſent civitates à Maurorum uſurpatione, quod in eis & provinciis jus prætendebat Sedes Apoſtolica, ſive cenſus ratione, ſive tributi olim perſolvi eidem conſueti, æquè reciperet.

Concilium habet Romæ, in quo renovat decretum de continentia Clericorum: quæ ita neglecta erat in Germania, ut omnes fere Sacerdotes conjugati eſſent, & in Gregorium infremuerint, & Moguntinum Archiepiſcopum urgentem Papæ mandatum, de abjurando matrimonio, aut ſacri miniſterij abdicatione, congregata Etfordiæ Synodo neci tradere cogitaverint, ipsúmque Papam calumniati ſint de familiaritate cum Comitiſsâ. Anno 1075. Cincius urbis Præfe-

Digitized by Google

ctus quem Gregor. fruſtra monitum de variis exceſſibus tandem anathemate innodarat ſeductus à Guiberto Archiep. Ravennæ partiario Cadaloi Antipapæ adverſus Alexand. I I. multa ea parte Imperatoris promittente Papam noctu in S. Maria Majore celebrante natalem Domini abſtraxit in manu forti ab altari ſe raptatum immaniter turri fortiſſimæ incluſit quam ſolo æquavit populus Romanus primo diluculo; liberatóque Pontifice naſum præſcidit domeſticis Cincij eumque per invia & deſerta Imperatorem adire coëgit. Anno 1076. arguit Henricum de contemptu Sedis Apoſt. de collatione Simoniaca beneficiorum, vocatque eum ad Synodum Romæ cauſam dicturum. Hinc Rex ampliſſimum convocat Vvormatiæ Conventum, pro depoſitione Gregorij, quæ conclamata denuntiata eá fuit celeriter pridie quàm Romæ indicta Synodus celebraretur. Papa autem nihil permotus atrocitate nuntij litteras denuntiatorias ut abdicaret quia nec fuiſſet unquam, nec poſſet eſſe Papa, qui probis vitam cumulaſſet; publicari fecit in Synodo, & de conſilio illius Regem & Architectos flagitij excommunicavit, deditque litteras ad omnes Chriſti Fideles: quibus adjunxit abſolutionem juramenti fidelitatis omnium ubique Henrici ſubditorum. Mox Suevi, Saxones & majoris Germaniæ Principes inſurrexerunt in Henricum formidando apparato prælio, à quo inducias ei dedere ſi ſe Papæ ſubderet. Qui ideò pœnitens in Ita-

liam profectus eſt, multa paſſus in itinere ab aſperrima hyeme, & in Caſtellum, in quod præſtolans Papa ſe receperat admiſſus, nudis pedibus, in laneis veſtibus, jejunus à manè ad veſperam, implorans miſericordiam, quarto die præſentatus Pontifici, abſolutionem habuit cùm certis conditionibus. Hanc ſeveritatem, qui ſacrilegus extiterat in Papam, merebatur Rex Poſt Regem abſolutũ Gregorius Miſſam facit, & cum Euchar. manu teneret conteſtatus eſt coram multitudine, ſe ſub pœna repentinæ mortis innoxium eſſe ab objectis per ſchiſmaticos, poſt ſumptionem incurrendæ. Subſecutæ ſunt poſtea diſcordiæ inter Pontificem & Regem, quas ſuſcitarunt Epiſcopi Longobardi irriſoriè decipientes Regem, quòd tali Papæ quem ipſi hæreticum, & probris omnibus infamatum prædicabant, Majeſtatem regiam fædâ ſubjectione ſubmiſiſſet: hincque Rex conditiones pactas abrupit, & authore Guiberto Archiep. Ravennæ conjuravit in Gregorium, & Mathildem, quæ hoc anno Liguriam & Tuſciam Provincias Sedi Apoſt. donavit.

Inter hæc Principes Germaniæ Rodulphum Ducem Sueviæ elegerunt in Regem addicato Henrico, eundémque conſecravit Moguntiæ, ejus civitatis Archiepiſcopus: quod ſe inſcio factum juratus aſſervit Papa. 1080. Conc. Romæ habet Papa, in quo perjurum, & contumacem anathematizat Henricum & fautores, omnique dignitate privat abſolvendo ſubjectos à juramento;

ſtituitur in Saxonia Hermannus Dux Lotharingiæ. 1083. Henricus armata manu Romam ingreſſus intrudit in Sedem Petri Guibertum, & per Epiſcopos Bononienſem, Vicentinum, & Cervienſem conſecrari fecit, & dici Clementem III. cúmque civitatem Leoninam dumtaxat cœpiſſet, tandem vi & dolo urbe potitus Lateranenſe Palatium intravit, & coronatus eſt Imperator ab Antipapa.

Roma vidit tunc inauditum portentum, nempe vivente ipſo legitimo Orthodoxo Gregorio VII. Papa, per annos undecim recepto atque culto, ſuperinduci in Petri Cathedram ac conſecrari, ſæpè antea depoſitum & execratum Guibertum, decoro nomine Clementem III. nominatum. Erat tunc Greg. in Caſtello S. Angeli, qui cùm videret Henricum obſidionem urbis proſequi, Robertum Guiſchardum inter alios aſcivit; qui non cunctatus Romam invaſit, fugatóque Henrico, totam urbem Gregorio rebellem expoliavit, & ex parte combuſſit, expulſiſque Pſeudo cardinalibus Guiberti, legitimos in ſacro miniſterio ſtabilivit Sacerdotes: Porrò Gregorius Caſſinum ſe recepit, ubi dum aliquando Miſſam celebraret, manifeſtata eſt viro cuidam rapto in extaſim columba expanſis alis protegens humeros Gregorij: quâ intellexit res geſtas à Greg. adverſus Henricum comprobari à Deo, idque juſſus eſt renuntiare ipſi, cùm adhortatione, ut conſtanter perſtaret. Hinc Salernum ſe contulit, ubi conſiſtens, cùm ſediſſet an-

Digitized by Google

nis duodecim, menſe 1. d. 3. migravit in cœlum miraculis clarus.

1086 VICTOR III. Beneventanus qui in adoleſcentia parentes & ſponſam reliquerat ut alter alterius ad ineundam vitam monaſticam. Abbas Caſſinen. Cardinalis, ingenti deſiderio ab omnibus expetitus, vi perductus in Diaconiam S. Luciæ electus eſt, ac Victor Tertius appellatus: ſed poſt 4. dies Româ egreſſus inſignia Pontificatus dimiſit Taracinæ, & Caſſinum ſe recipiens rigidus in propoſito, non potuit perſuaderi ea reſumere, ſicque annus elapſus eſt. Sequenti autem Concilio Capuæ habito Victor electus, victus tandem Romam petiit conſecrandus, & in Apoſt. Sede locatus. Expeditionem militarem convertit adversùs Saracenos Italiæ littora jugiter infeſtantes, & Chriſtianos abripientes: háncque direxit in Africam, ubi maximam hoſtium ſtragem fecit captâ & excisâ præcipua urbe. Conc. habuit Beneventi, in quo inter alia Antipapam, ob vetera & recentia ipſius ſcelera rurſum Anathemate innodavit: & antiqua de laicis inveſtituris Decreta renovans, tam dantes, quàm accipientes excommunicationi ſubjecit: Ac denique decrevit pœnitentiam & communionem non debere ſuſcipi, niſi à Catholicis Sacerdotibus, meliúſque eſſe ſine viſibili communione perſiſtere, & inviſibiliter communicare Domino, quàm eam ab hæreticis, vel ſchiſmaticis ſumendo, à Deo ſeparari. Hæc pluribus habet

Digitized by Google

Leo cap. 71. additque eundem Beneventi graviter infirmatum petiiſſe Caſſinum, ubi non ſine ſuſpicione veneni, dum ſacra faceret Henrici & Antipapæ inſidiis propinati, obiit 16. Calend. Octobr. cum ſediſſet à conſecratione ſex menſes.

URBANUS II. ex oppido Caſtillone, Diœceſis Rhemenſis in Gallia, primò Canonicus Laterani, Monachus poſtea Cluniacen. inde Epiſcopus Oſtienſis, Card. à Greg. VII. qui ante obitum commendavit eum ad Papatum, uti & deceſſor, factus eſt Summus Pontifex Tarracinæ, ubi convocati erant Cardinales. Mox promotionem ſuam Catholicis intimavit unà cum intentione ſua adhærendi veſtigiis Gregorij VII. Progreſſus inde Romam, cum à Clementis factione repelleretur, in Inſulam Tyberis, nomine Lycaoniam confugit, ibique per menſes aliquot piâ Rom. Matronarum ſublevatus benignitate ſe ſuſtentavit: poſtero anno urbe exiit, atque in Apuliam cum Cardinalibus ſeceſſit, & Melphi inito Concilio Antipapam & fautores novo anathemate deteſtatus eſt, Ibi Rogerium Roberti Guiſcardi filium, Ducem Apuliæ & Calabriæ, ad ſe profectum fidelitatis promittendæ causâ abſolvit ab excommunicatione, & in Ducatu confirmavit dato ei vexillo. Germaniæ interea fervebat diſſentio & bellum inter Catholicos & Schiſmaticos. Cum anno 1086. S. Bruno cœpiſſet ſolitudinem Carthuſiæ habitare, cum S. Hugone Epi- 1088

Mens Clementis vitam occupantis.

ſcopo Gratianop. Urbanus Papa accerſivit eum ad ſe anno 1092. & retinuit triennio, uſus ejus operâ in diverſis quæ habuit Conciliis. Interim Conradus filius Henrici Imperatoris, coronatus eſt Rex Italiæ, juſtâ de causâ rebellans adverſus Patrem. Urbano apud Cremonam obviam progreſſus Stratoris officium exhibuit, ac fidelitatem juravit catholicè regnans in Longobardia. Rebus ergo in ea probè diſpoſitis Papa in Gallias marino itinere divertens pervenit Anicium 1095. in Aſſumptione. Concilium habet ad Claro montem Archiep. 13. cum ſuis Suffraganeis pluriumque Abbatum: excommunicat Philippum Regem, quòd legitimâ conjuge dimiſſa militis ſui Fulconis Comitis Andegavij uxorem ſibi ſociaſſet. Et indixit expeditionem in Terram ſanctam: erat autem pro ſtipendio Indulgentia plenaria repoſita, & pro reſſera militari Crucis ſignum rubei coloris ſuper ſcapulam dexteram impreſſum veſtibus. Expeditio vocata eſt *Cruciata*, quæ trecentos mille Chriſtianos tranſmiſit in Africam: ut autem Deus omnia proſperaret Papa indixit Clericis Officium Dei Genitricis, quod piè ſuſceptum fuit etiam à laicis, & maximè à Carthuſianis 1096, Turonis in Gallia Synodum habet: acceſſit Philippus qui rejectâ pellice acceptus eſt in gratiam. Redit Urbanus in Italiam 1099. Concil. habet Romæ 150. Epiſcoporum, Abbatum, & Clericorum innumerabilium, in quo iterata ſunt anathemata in Guibertum & complices: hortati

Chriſtiani

Chriſtiani ad expeditionem Hieroſolymæ, quæ capta fuit hoc anno die 14. Julij. Mortuus eſt autem Urbanus in ædibus Petri Leonis apud quem ſemper fuit hoſpitio exceceptus, quarto Auguſti; cum ſediſſet annos undecim, m. 4. d. 18.

PASCHALIS II. Tuſcus, & quondam Monachus Cluniacen. invitus, & è latebris eductus ſubrogatur. Igitur chlamide coccineâ, thiaráque capiti impoſita, comitante Clero & populo ad Lateranum equo albo perductus, in Baſilica Conſtantiniana, in ſede præparata conſedit: unde atrium Lateranenſe conſcendens, Baltheo ex quo 7. claves, & 7. ſigilla pendebant ſuccinctus fuit. Inviſit deinde ſceptrum gerens manibus, loca quæ ſolis Pontificibus adjudicata ſunt: paulò poſt inunctus fuit in Baſilica S. Petri, unde in urbem progreſſus coronam ex more accepit. Eccleſiæ unitati conſulens copias ſuas auxiliante Rogerio Siciliæ Comite in pſeudo-Papam Albæ tunc agentem miſit: quo bello fervente defunctus eſt, à tempore quo, facto Schiſmate deſcivit à Gregorio, 13. annis: oſſa ejus tranſlata ſunt à montibus Aquilæ in quos confugerat, ſepelienda Ravennæ: ſed anno 1105. Decreto Paſchalis exhumata in fluvium projecta ſunt, eò quòd, ait Vuillelmus Bibliothecarius, aliqui in ſepulchro ejus falſas viſiones facellarum è cœlo immiſſarum, indices ejus in cœlum receptionis, ſpargerent in vulgus: hincque zelantes Catholici in Germa-

1099.

Ritus antiquus coronandi Papam.

Digitized by Google

nia exhumarunt cadavera Schiſmaticorum.

SCHISMA XVIII.

Prorogat Henricus Imp. ſubrogans ſucceſſivè tres Antipapas, Albertum, Theodoricum, qui in Monaſteriis recluſi fuere poſt 4. menſes ab intruſione, & Silveſtrum Abbatē Farfenſem: quem dum Paſchalis apud Beneventum ageret, Vernerus Miniſter Regius, armata manu, corruptiſque multâ pecuniâ nonnullis Romanis Cathedræ S. Petri intruſit 1106. anno, & Papam Cæſari, ſub nomine Silveſtri appellari voluit: qui paulò pòſt Latio expulſus mœrore obiit anno ſuo primo, ſeu 1100. Paſchalis miſit Mauritium Cardinalem Legatum in Orientem ad Fideles Occidentales, illic militantes. Anno 3. Concil. Generale habet Romæ in cauſa Henrici Imp. cui & ipſe ei' intereſſe promiſerat: ſed cum non compareret, imò Antipapam ſubintroducere moliretur, ſententiam excom. ibi rurſum accepit, ipſúmque ejus Schiſma inter præcipuas hæreſes annumeratum, quæ doceret Eccleſiæ excommunicationem contemnere. Inſupérque edita eſt Catholica fidei Profeſſio, de præſtanda ab omnibus obedientia Pontifici Sedis Apoſt. Narrat iſta Abbas Uſpergenſis. Quòd autem multi ab Eccleſiæ unitate, & à Sedis Apoſt. obedientia impiè reſilirent, idcircò ad prædictam fidei profeſſionem, etiam cum juramento exhibendam obligatos fuiſſe Antiſtites, & omnes à quibus eam Papa vel-

let exigere, conſtat ex Epiſt. Decretali ipſius Paſchalis.

Pervulgata morte Henrici Imper. quam poſt abdicationem in Conventu totius Germaniæ Præſulum, & Præſulum Moguntiæ factam contigit, Leodij venit Paſchalis in Galliam Ciſalpinam, & Synodum celebravit in oppido Guaſtallæ ſuper ripam Padi: in qua inter alia plurima omnes Epiſcopi & Clerici in Schiſmate ordinari, in ſuis officiis ſuſcepti ſunt, & permanere permiſſi, quod Uſpergen. Abbas qui aderat teſtatur: ibique Henricus junior ſubjectionem Sedi Apoſt. exhibuit per Legatos ſuos. At 1111. ingreſſus Romam receptúſque ſolemniter, cum poſt pedum Papæ oſcula, & mutuum amplexum dexteram Pontificis ex more tenens, Baſilicam ingreſſus ſolicitaretur de impletione pactorum conventorum, & in ſpeciali de non ſe immiſcendo inveſtituris Eccleſiarum: ille dolos ſuos & fraudes detegens, non ſolùm id negavit, ſed & Pontificem ipſum aliter coronaſſe recuſantem, cum Cardinalibus & multitudine civium Rom. captivum ſub militari cuſtodia detinuit: hincque Germanorum facta cædes à Romanis repetitâ pugnâ, in quarum una & ipſe Henricus equo dejectus, & in facie vulneratus vix necem evaſit.

Qui quidem Paſchalem Pontificalibus exutum, cum aliis captivis vinctum abducens, in arctiſſima cuſtodia in caſtro Sabinenſi 61. dies detinuit: à quo tandem in lachrymis concaptivorum, & imminentiâ

Digitized by Google

Schiſmatis victor promiſſionem juratam extorſit, quod neque excommunicaretur, neque de inveſtituris inquietaretur: denique privilegio ſcripto conceſſit Paſchalis Henrico Epiſcopos & Abbates regni ſui (Canonicè tamen,& abſque vi, & ſimonia electos) per anulum & virgam inveſtire, nullo modo conſecrandos,quàm prævià Régis inveſtiturâ. Poſt quæ ad Baſilicam S. Petri deductus illic Henricum comparavit in Imperatorem ejus nominis Quartum, portis omnibus Urbis obſeratis, ne quis civium eò adveniret. Ubi rurſum, cùm in Miſſa ad Hoſtiæ confractionem veniſſet, partem ipſi ſumens, alterámque Imperatori tradens obſervationem ſuperioris conceſſionis promiſit: tandémque imp. remeante ad caſtra, liberè cum ſuis ad Urbem dimiſſus exultabundè à populo receptus eſt.

Ex hoc indulto tumultuantur Cardinales,& in abſentia Paſchalis convenientes decreverunt irritum eſſe, quicquid quovis prætextu contra Canones à Pontifice actum fuiſſet. Indicit itaque Paſchalis Conc. Romæ copioſum 1112.anno: ibi declarat,quòd neceſſitate coactus tranſegiſſet cum Henrico, declarans tamen propter juramentum ei præſtitum, nunquam ſe illum excommunicaturum, aut de inveſtituris inquietaturum: cæterùm corrigendum quidem eſſe privilegium extortum, tanquam pravè factum, ſed correctionis modum ſe judicio Synodi relinquere. Ac ne quis de fide ipſius dubitaret, profeſſionem Catholicæ fidei co-

Digitized by Google

ram omnibus edidit.

Poſt quæ ſecuta eſt Synodi ſententia, qua privilegium illud penitus damnatum eſt, & irritum declaratum, quòd eſſet contra Spiritum ſanctum, & Canonicam inſtitutionem: additque Gotfridus Viterbien. Chron. part. 17. Paſchalem ſe abdicaſſe mitrâ & manto depoſitis, ſed à Patribus monitum ea reſumere: privilegium quoque combuſtum fuiſſe, atque in Imperatorem, ejuſque ſequaces excommunicationis ſententiam latam, & ubique promulgatam eſſe. Cúmque ſuggillaretur Paſchalis, quod per Concilium potiùs, quàm per ſeipſum damnari Henricum permiſerit, ideóque ab Apoſt. conſtantia deflectere videretur: Conc. in Laterano 4. ab hinc annis habuit, in quo publicè culpam ſuam confeſſus, privilegium de Inveſtituris Henrico factum perpetuo anathemate damnavit, ipsáſque laïcas inveſtituras Eccleſiarum, ſub anathemate dantis & accipientis prohibuit: & quamvis nunquam adduci potuerit, ut Henricum nominatim excommunicaret, tamen ad inſtantiam Cardinalis Cononis, & Archiep. Viennæ Legatorum Sedis, qui in Synodo Viennæ Henricum excommunicarant, approbavit & confirmavit quod fecerant. Henricus prodigiis perterritus laboravit pro abſolutione à Paſchali obtinenda, ſed reſpondit, latum anathema à Synodo, non niſi ejus conſilio diſſolvere poſſe. Sedit annos decem & octo, m. 5. dies 4.

Digitized by Google

1118. GELASIUS II. patriâ Cajetanus, Monachus Caſſinen. Card. ſummo Cardinalium, & aliorum conſenſu creatur invitus, & renitens: qui cùm in Pontificali locatus eſſet, Cincius Frangipanis, Henrici Imper. ſectator accurrit ad Monaſterium Palladium dictum, in quo habebatur electio, fores fregit, furibundus introivit Eccleſiam, Papam diſtraxit, pugnis ac calcibus & calcaribus acriter cruentavit, & domum uſque deduxit & catenavit: quod idem magna ex parte qui convenerant, paſſi ſunt à ſatellitibus Cincij: audito facinore populus in arma prorumpit, Papam à Frangipane repetit, & in Lateranum ſolemni pompa deducit.

Porrò Henricum conſenſiſſe primum electioni Gelaſij, & ex itinere quo properè ad Urbem contendebat, electo Gelaſio gratulanter ſcripſiſſe, petens confirmationem initiorum cum deceſſore ſuo, Uſpergenſis affirmat: hoc autem ſe facturum negavit Gelaſius, unde properat Henricus, & intempeſta nocte occupat Baſilicam S. Petri: fugit cum ſuis Papa per Tiberim, ut in mare delabatur per duas triremes, quæ paratæ erant. Inſequuntur Germani tela venenata jacientes, & omnia dira minitantes: cúmque ad Portum advectis non daretur facultas ulterius progredi, ob ſæviſſimam maris, & aëris tempeſtatem, *Hugo de alatro* Presbyter Cardinalis Pontificem ſenio gravem, & itinere gravatum collo ſuo impoſitum portavit ad Caſtrum S. Pauli nocte: recedentibus verò

Digitized by Google

Germanis rurſum ingreſſus mare Pontifex incolumis pervenit Cajetam patriam ſuam, ubi paulò pòſt convenientibus Antiſtitibus, & proceribus, Calendis Martij Presbyter ordinatus, & Pontifex conſecratus eſt. Ita Pandulphus ſcribit, qui aderat.

SCHISMA XIX.

Henricus Imp. intruſit in Sedem Petri Mauritium Burdinum Archiep. Bracharenſem, dixitque Gregorium VIII. Quod ubi Gelaſius accepiſſet, litteras circulares dedit in Gallias, pro ultione S.R.E. paritérque in Hiſpanias ad Bernardum Archiep. Toletanum: quibus & præcipit, ut in locum Mauritij excommunicati alium ſufficeret in Sedem Bracharenſem. Henricus interea obſidens caſtrum, advenientibus Northmanis, qui ſemper extiterunt tutores Sedis Apoſt. fugere cogitur Bordino in urbe relicto.

Poſt hæc Gelaſius Romam intravit latenter, & cùm Miſſam celebraret in Eccleſia S. Praxedis, ſuo die advenientibus de repentè Frangipanibus, vix ab eorum manibus elapſis, & à ſuis equo impoſitus, ipſe ſolus per campos errans ſacris ſemi-indutus aufugit, dum interim acris pugna à ſuis cum Frangipanibus iniretur.

Cùm igitur nulla eſſet ſpes quietè agendi Romæ, migravit in Gallias, unicum refugium Rom. Pontificum. Piſas ergo migravit ubi bene exceptus Epiſcopum conſtituit Archiepiſcopum; inde ſolvens in Galliam

Digitized by Google

ad Portum S. Ægidij pervenit, petiturus auxilium à Ludovico Rege : ibi Gentis humanitas domos evacuabat, ut Pontifici ſubveniret. Viennæ Synodum habet, & inde in Monaſterium Cluniac. ſeceſſit , ubi pleuriſi correptus, & ſtrato ad terram corpore, juxta normam Monaſticam , obiit in Domino, cum ſediſſet annum & dies quinque.

1119. CALISTUS II. Burgundus natione, filius Guillelmi Comitis Burgundiæ, Archiep. Viennen. eligitur à ſex Cardinalibus, qui Gelaſium comitati erant : adveniens autem Cluniacum, rursúmque ibi electus rejecit quantum valuit tantum onus, donec victus precibus, & adveniente mox conſenſu S. P. Q. R. illud ſuſcepit. Rhemis indixit Concilium 426. Prælatorum , aſſidente quoque Rege Franc. Ludovico, cui & vicinum ſe exhibuit Henricus Imp. Ibi Henric. recuſans Legatis à Synodo, deinde à Caliſto ad eum miſſis renunciationem Inveſtiturarum , excommunicatus fuit : editique Canones contra Simoniam, raptores bonorum Eccleſ. ſucceſſionem hæreditariam beneficiorum, Inveſtituras laïcas, & incontinentiam Clericorum. Primatum contulit Eccleſiæ ſuæ Viennenſi ſuper 7. Provincias Viennenſem, Bituricenſ. Auxitanam, Burdegalen. Narbonenſem, Aquemſem, & Ebredunen. & ut in eis Archiep. Vienn. Papæ vices ageret. Adventus ejus in Urbem miro applauſu exceptus fuit, quem præveniens Anti-papa in munitionem Sutrinam ſe re-

Digitized by Google

cepit, ibi expectaturus opem Imp. Apuliam inviſit, hujúſque & Calabriæ Vvillelmo dedit inveſtituram, per quem obſedit, & cœpit Sutriam; unde eductus Burdinus in Campaniam ad perpetuum carcerem deportatus eſt, poſt varias militum illuſiones: deductus enim fuit per mediam Urbem piloſa pelle vervecis pro chlamyde rubea indutus, camelo ex adverſo impoſitus, data ei in manibus pro fræno cauda cameli.

Concilium Oecumenicum IX. Lateranenſe I. CCC. & amplius Epiſcop.

Anno Domini 1122. *Pace inter Eccleſiam & Imperium, ſeu inter Papam Calliſtum II. & Imperatorem Henricum V. initâ, Legati tum Imperatorem, tum cæteros publicè ab Eccleſia cenſuris abſolverunt; Burdinus Schiſmaticus damnatus eſt, ejuſque Acta poſt ejus damnationem reſciſſa ſunt: & ut Eccleſia in priſtinum reſtitueretur,* XXII.

Digitized by Google

Canones ſanciti ſunt : hos apud Binium vide.

Reſtitutio Inveſtiturarum ab Henrico Imperatore facta.

In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis:

Ego Henricus Dei gratia, Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & Sanctis Apoſtolis Petro *&* Paulo*, & S.Catholicæ Eccleſiæ omnem Inveſtituram per annulum & baculum : & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in regno vel Imperio meo ſunt, fieri electionem & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & Regularia B.* Petri*, quæ à principio hujus diſcordiæ, uſque ad hodiernam diem, ſive tempore patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo, quæ autem non habeo, ut reſtituantur fideliter adjuvabo.* Poſſeſſiones *etiam omnium aliarum Eccleſiarum, &* Principum*, & aliorum tam Clericorum, quàm laico-*

rum, conſilio Principum, & juſtitiâ, quas habeó, ut reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem D. Papæ Calliſto, S.Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt. Et in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi juſtitiam faciam.

Conceſſio Calliſti Papæ II. Henrico Imperatori facta.

Ego Calliſtus, ſervus ſervorum Dei, Dilecto filio Henrico, Dei gratia Imperatori, concedo electiones Epiſcoporum, & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque Simonia, & aliqua violentia: ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio, vel judicio ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per Sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his jure tibi debet faciat. Ex aliis verò partibus Im-

Digitized by Google

perij conſecratus infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris & auxilium poſtulaveris, ſecundum officij mei debitum, auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ. Data anno 1122. *nono Kalendas Octobris.*

Caliſtus Laterani anno 1123. *Concil. Generale* 917. *Epiſcop. habet, contra Sarracenos, pro recuperãda terra ſancta. Platina, Onuphrius, non extat.*

Ad pacem firmandam deſtruxit turres Cencij Frangipanis, & præſidia tyrannorum, tandémque effecit, ut Henric. 1122. renuntiarit Inveſtituris, & Electionibus Epiſcoporum, ſicque reſtitutus fuit in Eccl. communionem, cum hac conceſſione, ut electiones Epiſc. & Abbatum Germaniæ in præſentia ejus abſque vi & Simonia fierent, & interveniente aliqua diſcordia ipſe ſaniori parti aſſenſum, & auxilium præberet, itémque ut electi tam Regni quàm totius Imperij ab ipſo per Sceptrum reciperent, exceptis omnibus quæ ad Rom. Eccleſiam pertinere noſcerentur. Sic pax Eccleſiæ reſtituta eſt in Concilio Vormatij, unde Imperator Legatos proprios, cum Legatis Apoſt. Romam ad Caliſtum cum muneribus direxit. Compoſtellanum Epiſcopum conſtituit Metropolitanum in honorem S. Jacobi illic ſepulti: de cujus miraculis volumen fecit Caliſtus, qui bene de Deo, & hominibus meritus obiit,

obiit cum ſediſſet annos quinque, menſes 10. d. 6.

HONORIUS II. Bononienſis electus eſt ſic: convenientes in Baſilica S. Joan. Cardinales elegerunt Theobaldum Card. & *Cæleſtinum* appellarunt, & ipſo non conſentiente electioni cæptus eſt cani Hymnus, *Te Deum laudamus.* At verò nondum dimidiato, Robertus Frangipanus cum ſuis aſſeclis Lambertum Card. Epiſc. Oſtienſem acclamavit (qui & ipſe pro Theobaldo Hymnum cantabat) unde maximus ortus eſt tumultus: ſed mox omnibus ad concordiam reductis Lambertus perſtitit Pontifex, quem pontificalibus quàm citiùs indui fecit Robertus, dictúſque eſt *Honorius*. Qui cum ſuam electionem minus canonicam intelligeret, poſt. 7. dies 28. Decemb. in præſentia omnium Cardinal. ſponte mitrâ & manto depoſitis Pontificatui renuntiavit. Dicens malle ſe Oſtienſem Epiſcopatum jure obtinere, quàm injuriâ Romanum. Cardinales perſpecta ejus humilitate eundem denuò advocarunt, & ut legitimum Papam adorantes conſuetam ei obedientiam exhibuerunt. 1124

Anno ſequenti Henricus Imp. ex hac vita ſublatus eſt nullâ relictâ prole maſculâ, quæ ſuccederet in Germaniæ regnum, Sicque Dei juſto judicio defecit Occidentale Imperium à Germanis, cùm eo ad impugnandam Eccleſiam ſunt abuſi, & tranſlatum eſt ad Saxones, quos inter omnes Ger-

Digitized by Google

maniæ populos Schiſmaticis Imperat. reſtitiſſe conſtat autem Opera, Alberti Archiep. Moguntini, præſentibus & faventibus Legatis Apoſt. Lotharius Dux Saxonum regnum accepit, poſtea verò 1133. Imperium. Papa litteratos coluit Abbatum Caſſini, & Cluniaci cauſas agnoſcens eoſdem abrogavit. Rogerio patrueli Ducis Apuliæ defuncti inveſtituram Apuliæ contulit. Cùm autem benevolè ſediſſet ann. 5. m. 1. & d. 17. ſepultus eſt in Lateran.

1130 INNOCENTIUS II. Romanus, de familia Paparesij, olim Monachus, ipſa die conçlamatus eſt ſucceſſor Honorij ſuffragantibus ſexdecim Cardinalibus, quibus Frangipanes acceſſerunt: eadem autem in Baſilica Lateran. & die paulò poſt creatus eſt à multis Petrus Leonis Card. dictúſque Anacletus II.

SCHISMA XX.

Magna hinc oritur ſeditio. Prærogativa temporis favet Innocentio: Anacleto autem amplior Patrum, & Procerum numerus. Antequam comitia ſolvantur laborant pro concordia Patres aliqui, proponentes, ut vel unus alteri cedat, vel utroque abdicante eligatur tertius: quod cùm impetrare non potuiſſent, quatuor ex Cardinalibus numero 21. qui Anaclero ſuffragati erant, tranſierant ad Innocentium, ſicque pro eo expleverunt vota 20. & Anacleto 17. reſidua fuere: hinc-

que jus Innocentij confirmatum fuit , qui coronationis inſignia ſuſcepit per Cardin. Oſtienſem, ita Ciacon. habet, ſed ex Baronij relatione cum multi in electionem Anacleti inclinabantur, qui in locum condictum ab omnibus, ſcilicet ad S. Marcum, & morte comperta Honorij à pluribus electus fuerat quàm Innocent. quem antequam deceſſus, Papa publicaretur, elegiſſe dicuntur ejus aſſeclæ.

Anacletus itaque Innocentium apud Frangipanes cum ſuis agentem pro rēfugio aggreditur armata manu, & cùm non prævaluiſſet, indignatione & ira commotus equitans ad S. Petrum ipſam quam cepit Eccleſiam ſacrilegè ſpoliavit, itémque Patriarchium S. Mariæ: hocque theſauro majorem venalis urbis partem emere ſtudens, corruptum vulgus ita ſibi adſtrinxit, ut præter Frangipanum & Curſiorum munitiones Innocentius nullum in Urbe ſubſidium haberet. Propter hos exceſſus & dilapidationem omnium bonorum,& ornamentorum Eccleſiarum, quam ad ſui in Papatu tuititionem fecit Anacletus, habuit declamatorem infenſiſſimum S. Bernardum, qui idcirco vocavit eum Antichriſtum, Epiſtol. 124. quem locum cum Novatotes uſurpent ad probandum Rom. Pontificem eſſe Antichriſtum, delirant omnino, neſcientes vel diſſimulantes, non iſta Bernardum de legitimo Rom. Pontifice locutum eſſe, ſed de ſchiſmatico, vel quem talem crederet; cùm Innocentium ibidem Chriſti Vicarium, imò & Chriſtum

appellet:Eo autem præcone S.Bernardo pars Innocentij Regum, & Principum numeroſior evaſit, nec non & Sanctorum virorum, moribus apud omnes commendatiſſimi; cujus vita, nec fama æmulum timeret; cum Anacleti, nec ab amico tuta eſſet, qui titulum Regis Rogerio de Sicula Monarchia impertivit, ejuſque hæredibus, ut ſibi eum demereret.

Porrò licèt utrimque excommunicationibus certatum ſit, Innocentius in Galliam ſe recepit: huic Reges Franciæ venerabundi occurrunt, & Rex Germaniæ, ejuſque Epiſcopi præſentiam ejus ſcriptis ad eum litteris expoſcunt: huic itaque Lotharius ſtratorem ſe obtulit Leodij, moxque illi inſtitit petens ſibi reſtitui Inveſtituras Epiſcoporum: ad quam petitionem expaveſcentibus Romanis, Bernardus audacter Regi reſiſtens mira authoritate compeſcuit. Anno 1132. Innocent. revertitur in Italiam acceptâ à Gallicanis Eccleſiis pro ipſius Romam reditu indictâ collectâ, & per Lotharium reſtitutus eſt Sedi Apoſt. ipſe verò coronatus Imperator anno eodem 1133. uterque autem ab Urbe recedit, quia munitiones Urbis quas Anacletus occupabat, expugnare difficilis operis eſſet: Papa Piſas reverſus eſt potentiſſimam tunc, & Sedi Apoſt. addictiſſimam civitatem: ibi adverſus Schiſmaticos habet Concilium. Hugonem Epiſcopum Gratianopol. canonizat. Redit Imp. Lotharius rogatus comprimere Rogerij Siculi tyrannidem, anno 1138. Anaclet. moritur impœ-

nitens, cum Sedem occupaſſet annis 8. minus diebus 22.

SCHISMA XXI.

Cardinales Anacleti conſilio fratrum ipſius, petitâ à Rogerio Siculo licentiâ ſubrogant Gregorium Cardin. quem Victorem nominarunt, ſed non multò pòſt iidem fratres Anacleti divinitùs compuncti ſe Innocentio ſubmiſerunt: quod & præſtitit Victor depoſitis poſt aliquot menſes Pontificiis inſignibus. Sicque pax reddita Eccleſiæ. Hæc tradit Falco tunc vivens. Interim Rogerius in Schiſmate manet, & quæ poteſt ſubigit loca. Obitque Lotharius ſine prole maſcula. Conradus creatur Rex Romanorum.

Concilium General. X. Lateranenſe II.

Anno 1139. *Innocentius* Papa *II. tum ad hæreſes damnandas, tum ad Schiſmaticos reprimendos, ac depravatos mores corrigendos* Prædeceſſorum *ſanctorum* Pontificum *exempla ſecutus univerſale Romæ indixit Concilium, & convocatis ex univerſis Chriſtiani*

Orbis partibus Patriarchis, *Archiepiſcopis & Epiſcopis, mille circiter convenerunt, & in Lateranenſi Eccleſia illud celebravit.*

In quo Hæretici damnantur, & inter cæteros Arnaldus de Brixia, qui tum in Urbe degebat. Petri Leonis, *aliorúmque Schiſmaticorum Acta reſcinduntur, & Ordinationes irritantur: & ad priſtinam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam 30. Canones ſanciti ſunt, inter quos ille præcipuus 15. numero. Quod cum per id tempus Sacerdotibus & Clericis honor quem par erat non deferretur; ſententiam excommunicationis detulit* Papa, *in eos qui violentas manus in Clericos injicerent, à qua nullus Epiſcoporum illum abſolvere præſumat, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectu præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat. Quod à poſterioribus* Pontificibus, *& Conciliis innovatum & confirmatum fuit.*

Ex Canonibus hujus Concilij Gratianus in ſuum Decretum plures intulit.

Digitized by Google

Rogerius capit Innocentium, ad quem advolutus cum filiis accedens miſericordiā petit, juravítque fidelitatem. Pontifex autem Regnum Cæciliæ, & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ ei & hæredibus ſub annuo cenſu per vexillum donavit 7. Calend. Auguſti: ſic igitur titulum Regis Siciliæ, quem malè acceperat ab Anacleto Anti-papa, ab Innocentio legitimo obtinuit, & in defuncti Rainulphi Ducis Apuliæ ſine bello poſſeſſionem admiſſus eſt: hoc facto honorificè Innocentium Romam deduxit, qui cum non poſſet prævalere adverſus Romanos antiquum Senatûm, & Equeſtrem ordinem reſtituere ſatagentes, lecto cubans in pace quievit ann. 13. m. 7. Pontificatus, cùm rebellem populum excommunicaſſet, ait Panuinus, & in toto excluſiſſet ab electione Pontificis.

CÆLESTINUS II. Tuſcus, primus ſine interventu populi ob rebellionem excommunicati & excluſi creatus qui breviſſimum decurrit Pontificatum quinque menſium & dierum 13. fœlicem tamen in quem nulla impegit ſeditio qua octo ſubſequentes Pontifices exagitati fuere. 1143.

Hic Prophetia S Malachiæ Archiepiſcopi incipit.

LUCIUS II. Bononienſis præficitur: hunc Romani rebellantes vexarunt; nam Senatoribus, quos ſub finem Innocentij inſti- 1144.

Romani rebel es hæreſim ſectantur Alnaldi de Brixia, quòd Clerici non debēt habere proprietatem, aut regalia, cunctáque eſſe Principis.

tuerant, Patricium adjecerunt, cui tanquam Principi ſubjicerentur; atque inde Lucium adeuntes (ut notat Spondan.) omnia regalia ejus tam in Urbe, quàm extra ad Patritij ſui jus vendicarunt, eúmque more antiquorum Sacerdotum de Decimis tantùm, & oblationibus ſuſtentari oportere aſſerebant. Legitur in Codice Vaticano, qui inſcribitur, *De privilegiis Eccleſiæ Rom.* Lucium incerto lapidis ictu percuſſum, cùm Romanos ad nova ſtudia concitatos conaretur depellere à Capitolio, ſicque paucis poſt dieb. ſedis m. 11. d. 14. obiiſſe.

EUGENIUS III. Piſanus, Ordinis Ciſtercienſis, Abbas Monaſterij SS. Vincentij & Anaſtaſij extra Urbem, aſſumitur à Conclavi in nullum de gremio convenien-te, & ad Lateranum deducitur, dicitúrque Eugen. Qui cum proxima Dominica conſecrationem apud S. Petrum ſuſcipere pa-
1145. ret, præcognito Senatorum perverſo conſilio, qui ejus electionem violenter retractare diſpoſuerant, niſi eis uſurpatum Senatum Apoſt. authoritate confirmaret; noctis ſilentio ab Urbe ſecedens apud Farfenſe Monaſterium in Sabinis conſecratus eſt, ut tradit Codex Vat. Hinc Viterbij conſidet ob Romanorum ſeditiones, qui omnia diruunt, & Vaticanum in munitionem bellicam convertunt; dum omnes cives ad ſubjectionem ſui Patritij compellunt, deponentes Miniſtros Pontificis, peregrinóſque ad oblationes quæſtus gratiâ plagis, & verberibus cogentes.

Digitized by Google

Inter hæc Papa recipit legationem Metropolitani Armeniorum, qui mille pluréſque ſub ſe habet Epiſcopos, ſubjicientis ſe Rom. Pontifici, emenſam per annum & ſex menſes itineris: ſic è longinquo accurrunt populi ad Papam dum filij reſiliunt à Sede Apoſt. Laborat Eugen. pro nova expeditione in Terram ſanctam. Ludovicus Rex Franciæ ad hanc peregrinationem propenſius agit de ea cum Pontifice, obtinétque ab eo promotorem, & prædicatorem Cruciatæ S. Bernardum.

Porrò dum hæc diſponuntur Romani coërcentur Tiburtinorum militiæ, & anathematè lato in Joannem Patricium ejuſque fautores, pacem petunt & ineunt his conditionibus, ut Patriciatus dignitatem ab ipſis nuper introductam abolerent, & Præfectum quem Pontifices conſtituere conſueviſſent ipſi verò expuliſſent, in priſtinam dignitatem reciperent, atque Senatores ex Papæ authoritate tenerent. Sic rediens in urbem feſtivè exceptus eſt Eug. ſed paulò pòſt ab eodem populo Rom. adeò importunè ſollicitatus eſt de excidio Tiburtinorum, ut improbitatem eorum non ſubſiſtens, à Laterano in munitionem S. Angeli ad evitandum ejus furorem ſe receperit. Anno 3. tranſit in Galliam ob jugem Arnaldiſtarum Romanorum ſeditionem: honorificentiſſimè ſuſcipitur à Ludovico. Divertit ad Cluniacum, cujus Abbas cùm poſteà Romæ eum exiſtentem conveniſſet, quòd Hugo quidam cœpiſſet ædificare caſtrum ſuper Monaſterium

Cluniac. tanquam munitionem adverſus illud, Eugenius illud anathemati ſubmiſit: cúmque Hugo non deſiſteret deridere Monachos, Deus vindictam de contemptis ſervis ſuis exercuit; nam ſexto ab hinc anno caſtellum illud terræ motu abſorptum eſt chaſmate terræ, & loco ejus lacus profundiſſimus excrevit. Ipſi S. Bernard. libros quinque de conſideratione obtulit, quibus informatur Pontifex ad benè adminiſtrandum Pontificatum. Sanctè obiit cùm ſediſſet annos octo, men. 4. & dies 13.

1153. ANASTASIUS IV. Romanus, Canonicus Regularis Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis præficitur: vir non ſibi natus, ſed pietati & patriæ, notatus tamen nimiæ facultatis erga Fredericum Imperatorem. Obiit ſexto menſe, quarto nonas Decemb.

1153. ADRIANUS IV. Angelus dictus Nicolaus Breckſpeare coactus in Galliam ſecedere ob ſeveritatem Patris, & tenuitatem, meruit recipi obſequiis ſuis in Ordinem S. Ruffi Valentiæ, ejuſque deinde factus Abbas, cùm pro ejus negotiis ad Apoſt. Sedem acceſſiſſet (reformationem urgentem detulerant eum bis fratres ad Sedem Apoſt.) Eugenius cognita in ſecundo acceſſu ejus prudentiâ, datáque Monachis licentiâ eligendi ſibi Abbatem creavit illum Epiſcopum Albanenſem: cui deinde Cardinalatu dato Danorum & Norvegiorum legationem commiſit, qua gentes illas barbaras

convertit ad Chriſtum, & optimè inſtituit: perveniens Romam ſub Anaſt. defunctóque illo proclamatus eſt communi conſenſu, reniténſque collocatus in Sede Apoſt. Conſtanter reſtitit S. P. Q. R. urgenti pro libera civitatis adminiſtratione quam ſuadebat Arnaldus Brixienſis, rurſum in Urbem intruſus: cumque quidam ex ſectatoribus Gerardum Cardinalem, dum iret ad Pontificem, vulneraſſet ad interitum Pap. ſuppoſuit civitatem interdicto, quæ uſque ad quartam feriam majoris hebdomadæ penitus ceſſavit à divinis. Tunc verò Senatores accedentes ad Papam jurarunt ſuper Evangelia, quod Arnaldum ejuſque fautores expellerent à finibus Romanis. Sicque data eſt abſolutio. Adveniente autem Frideric. Rege Germaniæ pro coronatione, Arnaldus qui in exercitu Regis reperiebatur petitus eſt ad ignem, & cineres in Tiberim projecti, ne ſtolidæ plebi corpus ejus venerationi eſſet. Rex implet officium ſtratoris erga Pontificem, ſicque admiſſus eſt ad pacis oſculum, quod poſt pedum oſcula denegatum ei fuerat ob non impenſum, ad quod poſt examen teneri more Orthod. Imp. intellexit. Hæc Cod.v. Anno 1157. diſcordia orta eſt inter Papam, & Imp. Vide cauſas & litteras ultro citróque ſcriptas apud Radevicum, lib. 1. c. 15. Guill. Rex Siciliæ Papā Beneventi obſeſſum cogit ad expeditionem diplomatis concedentis, quòd in Sicilia non ſit jus Appellationis ad Sedem Apoſt. nec Legationis ab eadem Sede mittendæ niſi ad petitionem

Digitized by Google

Regis hæredúmque ipſius. Reſcidit hæc poſteà Innoc. III. Adrian. nec obolum erogavit in ſuos propinquos, adeò ut matrem reliquerit alendam eleemoſynis Eccleſiæ Cantuarienſis. Obiit Arignani morbo anginæ, unde à ſchiſmaticis confictum Scomma, quod hauriens de fonte aquam muſca inſeparabiliter adhæſerit gutturi ejus: Sedit ann. quatuor, m. 8. dies 24.

1159. ALEXANDER III. Senenſis, Rolandus Bandinel. dictus elegitur à 23. Cardinalibus aſſentiente pariter reliquo Clero, & populo Romano, quia ornatiſſimus omni genere virtutum habeatur.

SCHISMA XXII.

Tres Cardinales Octavianus tituli S. Cæciliæ, Joannes tit. S. Martini, & Guido Cremenſis tit. S. Caliſti, Friderici Imp. ſtudioſi diſſentientes, Octavianum procaciter duo ex tribus nominarunt: is autem mantum à collo Alexandri violenter abſtractum induit, quod cùm ab aliis ei ereptum eſſet, ipſe aliud quod per Capellanum ſuum paratum haberi jam providerat, ſumpſit, reſeratiſque portis Eccleſiæ B. Petri conductos milites introduxit operâ quorumdam Senatorum, qui ortui ſuo de Comitibus Tuſciæ favebant. Horum autem metu Epiſcopi & Cardinales in munitionem S. Angeli, quæ in Boſſonis Card. Camerarij poteſtate erat, ſe ſe recipientes ibi novem diebus ne poſſent exire,

exire, obſeſſi ſunt ab Octaviani ſatellitibus.

Donec inſurgente pro ipſis univerſo populo, & in Octavianum conclamante, eundemque invaſorem & hæreticum proclamante, inde educti rursúmque per eoſdem impios Senatores in arctiorem cuſtodiam triduo incluſi, & ex ea pariter à nobilibus & populo erepti, cùm magna hominum frequentia in Vigilia S. Matthæi Nymphas non longè ab Urbe pervenerunt, ubi conſecratus & coronatus eſt Alexander : qui de communi conſenſu Octavianum ſi intra octo dies non rediret ad Eccl. unitatem, illóſque qui ei manus imponere præſumerent excomm. vinculo adſtrinxit. Tradit autem Radevicus Octavianum, qui *Victor* IV. nuncupatus eſt idipſum promulgaſſe in Alexandrum, & adhærentes, Informatur de omnibus Imperator apud Cremam exiſtens, qui Concilium Papiæ indixit duoſque Pontifices citavit: reſpondit Alex. non eſſe Imp. Conc. convocare ſine conſenſu Rom. Pontificis, aut eum ad Curiam ſuam tamquam poteſtatem in eum haberet, evocare. Damnatur in Conciliabulo Alexander, & probatur Victor, promulgatúrque Imperatorium edictum ſub pœna exilij de adorando Victore.

Alexand. Anagniæ exiſtens excommunicat Imperatorem, & ſubditos ejus abſolvit à juramento fidelitatis, renovátque ſententiam in Octavianum, & complices. Legatos in varias Orbis partes mittit ad veritatem electionis ſuæ cognoſcendam. Hincque om-

L

nes Reges ſuſcipiunt eum : quos fruſtra tentavit Fridericus, qui cum cuncta ferè loca Eccl. Romanæ occuparet Alexander in Galliam ſolitum Rom. Pont. Aſylum profectns, in appulſu ſuo ad Montem Peſſulanum Legatum Saracenorum Principem à Mahometano Rege accepit. Anno 1162. Rex Franc. cùm Rege Anglorum ſtratores ſimul agunt Alexandro, pedites dextrâ lævâque frænum equi ipſius tenentes in civitate Turonenſi : ipſo autem mediante pacem inter ipſos reſtitutam fuiſſe teſtatur Robertus de Monte, qui vixit. Anno 1164. moritur Anti-Papa apud Lucam civitatem : hunc flevit Alex. & Cardinales de obitu ejus exultantes duriùs increpavit, eò quòd jactura animæ ſit irreparabilis illo extincto.

SCHISMA XXII.

Joan. de S. Martino & Guido Cardin. Octaviani promotores ſtatuerunt alium ſubrogandum : collectíſque ſchiſmaticis, qui in funus venerant electus eſt ipſe Guido dictuſque Paſchalis III. quem confirmavit mox monitus Imper. qui & juravit ſuper Evangelia ſe ſemper Alex. rejecturum : quare indicto Herbipoli conventu, anno 1166. juramentum manu propria ſuper Sanctorum Reliquias publicè præſtitit & à Prælatis & Principibus idem exegit ; abſentibus indictum cujuſlibet conditionis, quòd nunquam reciperent Rolandum, id eſt, Alex. vel ejus ſucceſſores à parte ipſius electos.

ſed Paſchalem ejúſque ſucceſſores. Hinc venit cum exercitu in Italiam intruſurus Paſchalem Romæ, & Alex. ibi agentem, vel occiſurus: aut ejecturus; ſed ſecretò elapſus eſt Alexander habitu peregrini Cajetam, ibique reſumpto Papali habitu Beneventum adiit. Ingens peſtilentia invadit exercitum, & Fridericus ignominiosè ejicitur ab Italia per Longobardos ad hoc unitos, & Papienſes. Interea agitur in Anglia B. Thomæ Cantuarienſis querela cum Rege Angliæ, pro qua componenda Alex. multum laboravit. Anno 1170. Emmanuel Imp. Conſtantinop. ſecundam ad Alex. legationem mittit, cum ingenti pecunia, rogans, ut cum jam Fridericus ob Schiſma adverſus Eccleſiam Imperio privatus eſſet, ipſum ipſi Emanueli reſtitueret: ſed Papa remiſſis cum ſuis muneribus Legatis, deſtinavit ad Imp. duos Cardinales, reſponditque ſe nolle unire Imperium quod Majores rationabiliter disjunxerant, ſéque à Deo conſtitutum eſſe pacis, non diſſenſionis authorem. Moritur ex cancro Paſchalis.

SCHISMA. XXIII.

Subrogatur à Schiſmaticis Abbas Strumenſis dictus Caliſtus, quem Frideric. approbavit.

Anno 1173. Alexander Signiæ exiſtens canonizavit ſolemni ritu S. Thomam Martyrem, miraculis frequentibus coruſcantem. Victus Frid. à Mediolanenſibus Alexandro

confœderatis, petit ab eo pacem ideóque ad eum Anagniæ Legatos plenipotentiarios mittit, qui tandem capitularunt: hincque Papa anno 1177. & Imperator Venetias venerunt, ibique juratæ fuerunt conditiones pacis, quæ Longobardis inducias ad ſex annos conceſſit, Regi Siciliæ pacem ad quindecim,& Eccleſiæ Rom. reſtitutionem ditionis ab Imp. ablatæ. Abjuravit Schiſma Frider.& abſolutus eſt, necnon Eccleſiaſtici & ſæculares de comitatu ejus.

Exinde Imp. accedens ad Pontificem, qui eum operiebatur ante fores S. Marci, depoſitâ chlamyde ſe proſtravit ad terram, & deoſculatis pedibus Papæ, ad pacis quoque admiſſus eſt oſculum, & apprehensâ cum canticis, & laudibus ad chorum Eccl. ipſum deducens, inclinato capite benedictionem ejus reverenter accepit. Sequenti verò die in Feſto S. Jacobi celebrante Miſſam Pontifice, poſt Evangelium & Sermonem factum ad populum, Imp. denuò ad ejus veſtigia cum Principibus ſuis accedens poſt oſcula pedum aurum obtulit: finitâ autem Miſsâ rurſum dexteram Pontificis apprehendens extra Eccleſiam uſque ad equum album deduxit, & ſtreguam fortiter tenuit, frænúmque accepit, ut Stratoris officium impleret: ſed quod iter ad mare nimis videretur prolixum, pro facto Pontifex habuit, quod Imperator affectuosè voluit adimplere. Ita Andreas Dandulus Vener. Dux,in Chronico ſuo, nihil habens de faſtu, qui Alexandro imponitur in Codice Beſſa-

rionis, quo humiliatum ad pedes ſuos Imperatorem ejus collum pede comprimendo dixerit: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, cui reſponderit ipſe: *Non tibi, ſed Petro, cui ſucceſſor es, pareo*: iterúmque Pont. *Et mihi & Petro.* Hoc abhorret ab Alexandri manſuetudine, neque tacuiſſent Scriptores illius ævi. Rediit Romam Alex. rogatus: Anti-papa veniam petiit, huncque manſuetus Pont. benignè ſuſcepit, & in Curia & menſa ſua honorificè ſuſcepit. Sedit Alex. digniſſimè ann. 22.

Concilium Oecumenicum XI. Lateranenſe III. CCC. & X. Epiſcop.

Pro reformanda in fide & moribus Eccleſia contra hæreſes Catharorum (quos VValdenſes & Albigenſes alij appellant) & ſchiſmaticos ab Anti-papis ordinatos, celebratum anno Domini 1179. tempore Alexandri P*apæ III. & Friderici Imperatoris I.*

L 3

Digitized by Google

In hoc Concilio primùm Pontifex ſtatuit ad futura Schiſmata vitanda, ut non habeatur Romanus Pontifex, qui non à duabus Cardinalium partibus eſſet electus.

Reſcidit Ordinationes omnes à Schiſmaticis Pſeudo pontificibus Octaviano, Guidone, & Joanne habitas. Anathematizavit præterea hæreticos omnes, atque illos qui ab illorum communione non ſe ſeparaſſent, vel auxilium eis aliquo modo attuliſſent: imò armis comprimendos illos eſſe decrevit. Conſtituta ſunt etiam multa 28. Capitulis contenta, quæ magnam Eccleſiæ afferunt utilitatem. Epiſcopi Schiſmatici tum Germaniæ, tum aliarum Provinciarum, qui ab Alexandro in hoc Concilio ad Eccleſiæ unitatem recepti ſunt, hac verborum formula Schiſma abjurarunt.

Ego N. anathematizo, & recuſo omnem hæreſim extollentem ſe adverſus Sanctam Romanam Eccleſiam Catholicam: præcipuè verò Schiſma Octaviani, Guidonis & Joannis, & Ordinationes eorum irritas eſſe judico,

Digitized by Google

& eis contradico, & modò, & in antea me obediturum juro: & promitto fidelitatem S. R. E. & Domino meo Alexandro, & Succeſſoribus ejus juſtè intrantibus: ipſique ſerviam abſque omni malo ingenio, contra omnem hominem ſecundùm ordinem meum. Conſilia ejus quæ mihi ſcripto certo mandaverit, vel ipſe commiſerit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum Eccleſiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam, & juvabo expenſis. Sic me Deus adjuvit, & hæc ſancta Dei Evangelia.

In hoc Concilio delata fuit accuſatio adverſus Scriptum Patri Lombardi Epiſc. Pariſienſis, quòd malè ſenſiſſet de Chriſti humanitate, & in articulis fidei ab Eccleſiæ Catholica deviaſſet, & ſingulariter, quòd aſſeruerat Chriſtum, ſecundùm quod homo, non eſſe aliquid. Pro qua Papa Alexander præcepit VVillelmo Senonenſi Archiepiſcopo, ut adſcitis Suffraganeis ſuis unà cum illis, & aliis viris religioſis & prudentibus, præſcriptam doctrinam ſtu-

deret abrogare, & à Magiſtris ſcholaribus ibidem in Theologia ſtudentibus Chriſtum ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore conſiſtentem præciperet edoceri; quod & ille ſuaviter implevit. In hac etiam Synodo damnata eſt hæreſis Catharorum, VValdenſium, & Albigenſium. Vide Binium.

1181 LUCIUS III. Lucenſis, Card. Epiſc. Oſtienſis promovetur, in rebus agendis ſolertiſſimus. Naſcitur in Umbria Aſſiſij S. Franciſcus, filius Petri de Bernardone, anno 1182. Ortum eſt autem anno 1183. grave diſſidium inter Papam, & Romanos ob Senatoris gradum, quem Papa fautorum ſuorum operâ ſupprimere tentabat: ipſi autem oculos eruerunt fautoribus, & Pontificem expulerunt. In cujus auxilium Imperatoris Cancellarius Arch. Moguntin. cum exercitu accurrens Romanos graviter afflixit: ſed ij veneno inficientes fontem, ex quo bibere conſueverat, ipſum cum plurimis aliis de medio ſuſtulerunt, & acriùs Lucium perſequi cœperunt: ſed pacem compoſuit ſuccurrentibus Principibus. Anno 1185. congreſſum habuit Veronæ cum Imp. Frederico, cui urgenti, ut Schiſmaticè ordinatos diſpenſaret, reſpondit id non niſi in Concilio præſtandum: & petenti inſtanter, ut

Digitized by Google

Henricum filium coronaret, dixit, non poſſe ſimul duos regnare Imperatores, nec filium coronari, niſi pater depoſuiſſet coronam. Prolabentibus in Palæſtina rebus Chriſtianorum, qui legationibus petebant auxilium; hoc proponens Papa moritur Veronæ, cum ſediſſet an. 4. m. 2. & d. 18.

URBANUS III. Mediolanenſis, Lambertus Cribellus dictus. ſuffragio 24. 1185
Cardinal. Veronæ exiſtentium præficitur. Intrepidè arguit Fridericum de injuſtè detento patrimonio Comitiſſæ Malthidis: De exuviis Epiſcoporum morientium quas iniquè rapiebat: de ſtipendiis Abbatiſſarum, dum videlicet, ſub prætextu malæ vitæ plurimas expellens alias non ſubrogabat, ſed proventus ſibi uſurpabat. Hæc Imp. ſuſtinebat, quia coronationem filij expectabat: quâ negatâ niſi ipſe coronam deponeret, rediit in Germaniam: tentavit collecto Conventu Pontificia, & Eccleſiaſtica jura vendicare ſibi. Anno ſequenti, Henricus Rex Germ. nuptias celebrat Mediolani, cum Regina Conſtantia, filia Rogerij Regis Siciliæ, amitâ verò VVillelmi tunc regnantis. Conſtantiam autem hanc Monialem fuiſſe, & ab Urbano diſpenſatam ad nuptias fabula eſt, inde fortè excogitata, quòd aſſervata fuerit in Monaſterio, ut ſi deeſſet Regibus proles maſcula, ſpes eſſet nubendi Regi cum dote Regni. Scriptores enim hujus temporis, nihil habent de Monachatu Conſtantiæ, quem tamen ob novitatem diſpenſatio-

L 5

nis expreſſiſſent. Anno 1187. Saladinus Babyloniæ Rex cœpit Hieroſolymam 88. anno à poſſeſſione Gotifridi de Bullione, & Crucem Domini per duos dies in oſtentum per civitatem fuſtigando portari fecit, quo triſti nuncio perculſus Urbanus incidit in ægritudinem, & obiit Ferrariæ anno ſecundo, 35. diebus minus.

1187 GREGORIUS VIII. Beneventanus patriâ, ſequenti die ſubrogatur: mox pro ſubſidio Terræ ſanctæ ad univerſos Chriſti fideles litteras dedit, & jejunium pro eodem indixit: ſed ſecundo menſe Piſis obiit.

1188 CLEMENS III. Romanus, poſt dies 80. eligitur, qui mox urget expeditionem in Palæſtinam & Indulgentiam confirmat, ſtatuens, ut quicumque Crucem ſuſciperet, de omnibus peccatis, de quibus pœnitens confeſſus eſſet, liber eſſet, & abſolutus. Rex Franc. Angliæ, Comes Flandriæ depoſitis inimicitiis Crucem ſuſceperunt. Indixit Philippus Rex, de conſilio & aſſenſu Epiſcop. & Baronum decimas in Gallia dictas Saladinas, ab omnibus ſolvendas, pro impenſis expeditionis (exceptis qui ſuſcipiebant peregrinationem.) Fridericus Imp. delecto cum exercitu 150. millium armatorum terrâ, marique in Thraciam pervenit anno 1190. & poſt ſæpè victos Turcas Soldanique proſtratum Iconij incredibilem quadringentorum millium equitum exercitum (ſub ductu S. Georgij, qui

Digitized by Google

frequenter ea peregrinatione viſus eſt Imperatoris acies præcedere) cum vix eâ pugnâ ſexcentos Frider. haberet equos, reliquis ob defectum pabuli extinctis, poſt captam opulentiſſimam civitatem Iconij à Duce Sueviæ, fugataque eodem tempore ab Imp. alia ducenta millia equitum, poſt hæc, inquam, cum poſt prandium voluiſſet nandó recreari ex aqua in convallibus montium Armeniæ, caſu inopinato ſubmerſus eſt. *Deplorandus obit. Frideric. Imp.*

Anno 1189. VVilelmus Rex Siciliæ mortuus eſt abſque liberis, Conſtantiâ nuptâ Henrico Regi Germaniæ, regni hærede relictâ. Sed Tancredus VVilelmi conſanguineus vendicans ſibi regnum bellum civile conflavit, nec Henricus potuit eum expellere. Tancredo inveſtituram conceſſit more majorum Clemens, de quo Panuin: ſcribit, quod diſcordias ab Innocent. II. hucuſque cum S.P.Q.R. protractas compoſuerit, conceſſa Senatorum ſolita creatione, & loco Patritij retento Præfecto, ſeu Gubernatore Pontificio, ut prius. Sedit ann. tres, men. 3. d. 15.

CÆLESTINUS III. Romanus à 65. annis Diaconus Card. electus eſt, & in Vigilia Paſchæ ordinatus eſt Sacerdos, ipſáque die Paſchæ conſecratus Papa. Poſterâ autem die recepit ab Henrico Rege German. ſacramentum, quòd jura Eccleſiæ ſervaret illæſa, & quæ ejus erant reſtitueret: hincque à gradibus introduxit eum in Eccl. S.Petri, & unxit in Imperatorem, uxorém- 1191

que ejus Conſtantiam. Notat autem Rogerius, quod ſedebat Papa, tenens coronam Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite, recepit coronam; Imperatrix ſimiliter de pedibus Papæ, qui ſtatim coronam dejecit in terram, ſignificans quòd ipſe poteſtatem eijciendi eum ab Imperio haberet, ſi ille demereret: ſed Cardinales ſtatim arripientes coronam impoſuerunt eam capiti Imperatoris. Hoc adhibitum fuit in cæremonia, quia Henricus ſucceſſor, & filius erat Friderici, qui poſt idem acceptum ab Eccl. beneficium, de ipſa tamen adeò malè meruiſſet.

Narrat inſuper Rog. Romanos cum Cæleſtino egiſſe, ut ab Henrico ante coronationem exigeret reſtitutionem civitatis Tuſculanæ, quam obtentam, conceſſit eis: qui confeſtim illam ita deſtruxerunt, ut lapis ſuper lapidem non remanſerit, ulciſcente tandem Numine ignominiam, qua Comites ejus ſæpiùs affecerant Sedem Apoſt. præter multiplices clades, & injurias Romanis Civibus inde illatas. Anno 1192. ritu ſolemni canonizat S. Ubaldum Epiſcopum Eugubinum miraculis clariſſimum, & anno 1194. S. Bernardum Hildensheimenſem Epiſcopum, anno 7. ab ejus obitu. 1193. Henricus V. cladem deplorandam infert Siciliæ, vinctóſque omnes Primates, cum Rege puero, Regina univerſoque theſauro, Epiſcopos & Arch. transfert in Germaniam. Quòd autem adverſus eum inſtaret apud Papam Rex Angliæ de reſtitutione facienda malè exacto-

rum, nec Papæ hanc imperanti obediret: excommunicatur. Sicque obiit 1197. & privatus fuit ſepulturâ ſacrâ Cæleſtinus Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, quæ tanquam patrimonium S. Petri exhibitæ ſunt ei mortuo Henrico. Regem conſtituit Fridericum filium, exacto prius à Conſtantiâ, quod ipſa eum genuiſſet, juramento ſuper Evangelia; increbuerat enim ſuſpicio Fridericum eſſe partum ſuppoſitum ob ætatem provectam Reginæ. Confirmavit Ordinem militiæ Teutonicorum, in quo non niſi nobiles, iidémque Germani admittuntur, ex inſtituto Henrici Imp. Sedit annos ſex, men. 9.

INNOCENTIUS III. patria Anagninus, de Comitibus Signiæ, exploſis ſenioribus Cardinalibus mutuò concertātibus, novo exemplo ætatis junior annorum 37. creatus eſt, renitens & lachrymans. Quòd autem tantummodò Diaconus eſſet, dilata eſt ejus ordinatio in Presbyterum uſque ad Sabbatum Quatuor Temporum, 9. Cal. Martij (ab Idib. Januarij) & ſequenti Dominica in Rom. Pont. Conſecratur. Poſtridie verò Urbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, qui uſque ad illud tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo Præfecturæ tenebat honorem: paritérque ab aliis Baronibus circumquaque juramentum fidelitatis recepit, & excluſis Juſtitiariis Senatoriis ſuos ſtabilivit per totum Eccleſiæ patrimonium, à quo tyrannos cenſuris, & armis expulit. Inveſtituram Regni Sici- 1198.

Digitized by Google

liæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, cum adjacentiis dare Friderico nunquam potuit adduci, niſi remotis illis Capitulis, quæ ab Adriano extorſerat Vvillelmus, anno 1156. de Electionibus, Apellationibus, Legationibus, & Conciliis. Quibus derogabatur omnino juri Pontificio, & Eccleſiaſticæ libertati. Miſit Legatos in Germaniam, ad liberandos captivos præcipuè Eccleſiaſticos Eccleſiaſticam & Monaſticam curat diſciplinam; pauperibus abundè ſubvenit ſeparans in opus eleemoſynæ integram proventuum ſuorum Decimam. Totam Galliam hoc anno arctiſſimo concluſit interdicto, ita ut clauſis Eccleſiis nuſquam in cœmeteriis ſepelirentur corpora mortuorum, ſed ſuper terram ſervarentur ubilibet inſepulta: quia Rex Philippus legitimâ uxore repudiata, aliam ſuperinduxerat, & ſæpè commonitus acquieſcere nolebat. Nullum itaque præter Baptiſmum, & morientium pœnitentiam, celebrabatur officium divinum. Solutio autem interdicti, non niſi poſt biennium contigit reſumpta à Rege Reginâ, Legatorum Apoſt. operâ. Inſurgit Albigenſium hæreſis, contra quam 1209. Innoc. PP. annuente Philippo Rege Franciæ curat armari multa millia Orthodoxorum, ductione hujus ſacri belli datâ Simoni Comiti Monfortio.

1209. Hoc anno Ordinem *Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum* confirmatum eſſe ab Innoc. III. Papa conſtat ex ejus de ea re conſtitutione data Viterbij XIV.

Digitized by Google

Calend. Julij Indict. 12. Incarn. Dominicæ 1209. de quo agens qui poſtea ejuſdem fuit generalis Miniſter, ut vocant, Robertus Guaguinus Gallus ait authores ejus *Ioannem de Mata* oriundum ex Provincia Theologum Pariſienſem & Felicem Anachoretam Vultſienſem poſtquam apud *Cervum frigidum* Meldenſis territorij ſolitariam diu vitam egiſſent, per quietem admonitos Rom. Pontificem convenire à quo vitæ modum acciperent; cùm Innocentium adiiſſent cognoviſſe eum ſimili revelatione fuiſſe divinitus inſtinctum: & 5. Calend. Febr. oſtenſa Innocentio dum rem divinam faceret viſione Angeli candore multo fulgentis cæruleáque & rubenti cruce ad pectus inſigniti ac cancellatis manibus duos captivos tenentis Chriſtianum unum, alterum Maurum tanquam eos commutaret, hinc Pontificem ad viſionis ſimilitudinem Joanni Felicique eorúmque in futurum ſociis candidas veſtes ſuperaddita cruce quam Angelus oſtendiſſet tribuiſſe: ac novo ordini titulum *de Trinitate & redemptione Captivorum* indidiſſe cum onere captivos à malè credentibus Chriſtianos liberans. Hæc Guaguinus, ipſa verò Innocentij Papæ de regula illius ordinis ante hæc facta conſtitutio data reperitur Romæ apud Lateranum 16. Januarij anno 1198. Innocentij I. quo & plerique authores ejus ortum ponunt.

Digitized by Google

Concilium Gener. XII. Lateranenſe IV.

Anno 1215. *celebratum eſt Concilium Lateranenſe Kal. Novembris omnium celeberrimum; cui videlicet interfuerunt eum Innocentio Papa Archiepiſcopi* 70. *Epiſcopi*, 400. *Abbates* 12. *Priores Conventuum*, 800. *adfuere* P*atriarchæ Hieroſol. & Conſtantinop. & Legati Alexandrini, atque Antiocheni, itémque Oratores Imperatorum Orientis & Occid. Regum Galliç, Hiſpaniæ, Hieruſalem, & Cypri. Edita in eo fuere Decreta fidei Chriſtianæ: doctrina & nomenclatura* Tranſſubſtantiationis *panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini in Sacrificio Miſſæ, confirmata eſt, Damnatus Libellus Abbatis Joachim, in quo conſtituere videbatur quaternitatem in Divinitate contra fidem Orthodoxam. Canones quoque editi fuerunt de moribus reformandis. Damnata hæreſis Al-*

Digitized by Google

bigenſium, & confirmatus Simoni Manfortio Comitatas Tholoſanus, qui in Concil. Monſpeſſulano conſtitutus fuerat Princeps *terra, per expugnationem Albigenſium Hæreticorum conquiſitæ, Actumque de recuperatione terræ ſanctæ, pro qua emiſſi ſunt per Europam, qui ad hoc Sacrum bellum hortarentur Fideles. Ordo Minorem quem jam Innocent. Pap. approbaverat iterum in hoc Concilio receptus & approbatus fuit petente ejus inſtitutione Franciſco qui ad hoc eò venerat.*

Innocentius III. *laudatiſſimus* Pon*tifex, cùm ſcripſiſſet inſigne volumen de Sacro Altaris myſterio & alia opera, & ędificaſſet ampliſſimum & ditiſſimum Xenodochium Spiritus ſancti Romę, pro Orphanis,* Peregrinis*, & infirmis. Obiit* Peruſij *Pontificatus, anno* 18. *menſ.*6. *d.*28. *Iſte tamen talis tantúſque apud homines poſt mortem piè obitam apparuit Luitgardi ſanctiſſimę Virgini Deo ſecratę tum viventi cinctus ingenti flammę ſignificavit ſe tres ob cauſas pœnis atrociſſimis uſque ad diem judicii addictum eſſe, quę etiam ęternis ſuppliciis ipſum*

juſtiſſimè addixiſſent, niſi per interceſſionem piiſſimæ matris. Dei tui monaſterium extruxiſſet in extremis ipſum pœnituiſſet. Ita Thomas Cantipraten. Dominicanus qui in 3. illas cauſas ab ea Virgine didicit Bellarm. De gemitu columbæ, lib.2. cap.9. Sedit Innocentius annos xviij. menſes vj. dies ix. mortuus xvj. Julij anno M. CC. XVI.

1217. HONORIUS III. Romanus, Cencius Sabellus dictus à Cardinalibus primùm in Comitio recluſis (quia ob Italicas diſſentiones verebantur ne protraheretur Sedis vacatio, hincque mos cœptus incluſionis Cardinalium, ut ex parciori cibo, ait Ciacon maturaretur electio) ſubrogatur poſt biduum Peruſiæ: qui ſtatim Romam ſe contulit, & approbavit Ordinem S. Dominici, deinde verò 1223. Ordinem S. Franciſci anno ſuo octavo ab Innocentio approbatum confirmavit. Albigenſium & Tholoſatum bellum movetur: Fridericus Imperator diſſidet cùm Papa, à quo ob occupationem ditionis Eccleſ. excommunicatur: ſed à Joanne Brenno Hieroſolymorum Rege, qui Romam venerat auxilium petiturus contra Turcas, reconciliatus eſt Pontifici. Cui etiam idem Rex filiam ſuam Jolantam filio Friderici uxorem dedit, cùm dote Regni Hieroſolymitani, unde contingit, ut deinceps Reges Siciliæ ſe etiam Hieroſolymorum

Reges dicant. Sedit ann. ferè undecim. Obiitque die xviij. Martij anni M. CC. XXVIJ.

GREGORIUS IX. Anagninus nepos Innocentij Tertij dictus Ugolinus : vir doctiſſimus proſapiæ de Comitibus Signiæ eligitur. B. Dominicum, B. Franciſcum, B. Eliſabetham Regis Hungariæ filiam canonizavit : Fridericum anathemate innodat, terminum juratum trajiciendi in Syriam prætereuntem, & interea ditionem Eccleſ. Rom. devaſtantem : tranſit is tandem in Cyprum, & Sarracenis ſeditionibus inteſtinis occupatis recipit Hieroſolymam aliaſque Paleſtinæ civitates, cùm induciis in annos decem. Populus Romanus rebellat imponens vectigalia Clericis authore Annibale Senatore, qui antiquam in abſentia Papæ Reipub. libertatem affectat : ſed inundat Tiberis & peſtis & fames, paucíque ſuperſunt : hinc humiliatur populus, & ſupplex accerſit Pontificem Peruſiæ agentem. Anno 1232. Spoleti refert in Sanctorum album B. Antonium Minoritam, dicti Paduanum ante completum annum, poſt obitum ejus. Fridericus omnia turbat arte, bello, ſcriptis. Ravennam, & Exarchatum uſurpat : publicatur toto Orbe diſſidium inter Papam, & Imperatorem. Hinc inſurgunt factiones Guelphorum pro Papa, & Gibellinorum pro Imper. quibus omnes ferè Italiæ civitates ad multa ſæcula vexantur, Romáque nutare viſa eſt, ſed Papa cum conſiſtorio nudis pedibus incedens in proceſſione indicta, in qua devotè ferebantur capita 1227.

BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, populum ad devotionem, & commiſerationem movit; habitáque efficaci prædicatione, quâ eum in partes ſuas traxit, Imperatorem muros obſidentem fugavit. Indicit Concil. Laterani: Fridericus terrâ maríque vias præcludit, ac quoſdam Cardinales & Prælatos carceri mancipat, & per duos ferè annos detinuit. Id ægrè ferens Papa obit, cùm ſediſſet annos 14. menſ. 5. Librum Decretalium adjuvante Raymundo Garcinonenſi compilavit. Ex devotione ſepeliri voluit in habitu Fratrum Minorum. Mortuus anno M. CC. XLI. die 21. Auguſti.

1141. CÆLESTINUS IV. Mediolanenſis, poſt 30. dies ſubrogatur: eo autem poſt 17. dies defuncto vacavit Sedes viginti menſibus, donec captivi Cardinales cooperante Balduino Conſtantinop. Imper. qui in Italiam venerat, dimiſſi ſunt à Friderico Hos ergo Anagniam à Melphi carceribus Romani Principes obvij honorificè deduxerunt, ibique:

1243. INNOCENTIUS IV. Genuenſis Juriſconſultus inſignis, amicus olim Friderici, à novem Cardinalibus creatus eſt: quo renuntiato Fridericus dixit ſe optimum amicum Cardinalem *Sinibaldum* amiſiſſe, & acerrimum hoſtem Papam nactum fuiſſe, quod eventus rei declaravit: Tractatur per 4. menſes pax ineunda. Sed ſibi metuens Papa, cùm 7. Cardinalibus multiſque Prælatis

Digitized by Google

ſolvit è civitate veteri, & Lugdunum petit, quem honorificè Ludovicus XI. ſuſcepit. Concilium generale indicit, in annum 1245.

Concilium Gener. XIII. Lugdunen. I.

Anno Chriſti 1245. *Cauſa Friderici II. Imperatoris, expeditioniſque in Terram ſanctam ſuſcipiendæ celebratum ab Innoc.* Papa *IV.*

De hoc Concilio ita ſcribit Trithemius in Hiſaurgienſi Chronico: Fridericus Imper. II. in Concilio Lugdunenſi à P*apa Innocentio citatus, & non comparens à Cæſarea majeſtate deponitur & omni dignitate privatur: qui tamen injuſtam & frivolam habens hanc ſententiam ſe quandiu vixit, per annos ſex, Imperatorem geſſit; & poſt depoſitionem ſui Italiam & tantis malis* P*apam ſubjectóſque illi populos afflixit, ut* Pon*tificem vivere tæderet: maxima enim partialitas populorum in Italia ſubſecuta eſt Guelphorum &*

Gibellinorum ad exterminium ſe proſequentium, quæ per annos 260. non ſine multorum ſanguinis effuſione duravit.

Rationes abdicationis Friderici hæ allatæ ſunt: Quòd hoſtis eſſet Eccleſiæ: Quòd non bene de fide ſentiret, quia Epiſcopos & Cardinales carceribus mancipabat; & Tunerti Regis fratrem Panormi baptizari petentem, ne id faceret minis deterruiſſet: Quòd Franciſcanos complures combuſſiſſet, & non paucos Monachos & Clericos in Sicilia interfeciſſet; malúmque animum in Papam miſſis his verſibus declaraſſet:

Roma diu titubans, variis erroribus acta
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Cui reſponſum:

Niteris in caſſum navem ſubmergere Petri:
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Reſcripſit Fridericus:

Fata volunt, ſtellæque docent, aviumque volatus,

Quòd Fridericus ego malleus orbis ero.

Cui reſponſum:

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Extant hujus Concilij aliqua decreta in ſexto Decretalium: horum unum, Quòd Cardinales galero rubeo deinceps uterentur, tanquam Cardinalatus inſigni: quo ſignificari voluit Papa *paratos eis eſſe debere caput, & vitam offerre pro tuenda Eccleſia, ſi opus ſit, eo maximè tempore quo Fridericus Sedem Apoſt. vexabat.*

Actum deinde de bello Sacro, cujus Dux conſtitutus eſt S. Ludovicus Rex Francorum: Qui niſi Concilio dignitatem robúrque præſtitiſſet, turbaſſet illud armis Fridericus, ut ait Æmilius *Cardinales 12. creavit Papa in Concilio, magni meriti viros. Ob præclara officia regiámque munificentiam à Rege Galliæ erga Sedem Apoſt. Innocentius Indulgentiam decem dierum conceſſit omnibus iis, qui quovis tempore pro Rege Chriſtianiſſimo preces fuderint.*

Digitized by Google

INNOCENTIUS exacto pene ſeptennio Lugduni, Italiam, defuncto in Apulia Friderico 1250. repetit, & Peruſij ſubſiſtit, ubi B. Petrum Veronenſem Martyrem, & B. Staniſlaum Epiſcopum Cracovienſem Martyrum faſtis adſcripſit. Conradum filium Friderici Eccleſiæ adverſarium, qui ex Germania regnum Neapolitanum tuiturus venerat, excommunicavit: eo autem mortuo Neapolitani ſe dedunt Pontifici, qui ad eos acceſſerat, ubi & mortuus eſt: cùm ſcriptis clarus, & de litteratis bene meritus, ſediſſet ann. 11. menſ. 5. dies 14. Mortuus die 7. Decemb. anni M. CC. LIV.

1254. ALEXANDER IV. Anagninus, familiæ de Comitibus Signiæ, conſanguineus Innocentij III. & Gregorij IX. qui pileo eum inſignivit: electus eſt Neapoli à 14. Cardinalibus. Manfredum Friderici nothum regnum Siciliæ occupantem anathemate & armis proſequitur. Electores Imperiales avertit à nominando Conrado paternæ improbitatis hærede. Tunc captivus in Ægypto, detinebatur S. Ludovicus Rex Francorum poſt ipſorum deplorandam ſtragem Papa propenſus erat in religioſos, in quorum gratiam damnavit libros Gulielmi à ſancto amore. Emelinum tyrannum Guelphis & Venetis conjuratum & ſtatum eorum occupantem compreſſit qui ex vulneribus mortuus eſt. Terræ ſanctæ auxilia promovet: ſed fruſtrà, ob Genuenſium & Venetorum

inter

inter ſe altercantium præliãtium, & incurſiones, & perniciem regni Hieroſolymitani & Imperij Conſtantinop. B. Claram in album SS. Virginum retulit: obiitque laudatiſſimus, cum ſediſſet annos 6. men. 5. mortuus die XV. Maij anno M. CC. LXI.

URBANUS IV. natione Gallus, patria Troyanus, pater Sutore veteramentario, ſed animi indole nobilis: Viterbij tunc caſu exiſtens in curia, jam Patriarcha Hieroſolymitanus, cum novem tantum Cardinales ſuperſtites eſſent, & alter alteri cedere nollet, Jacobus Pantaleo renuntiatur omnium ſuffragio, Urbanuſque dici voluit. Cum autem contra tyrannidem Manfredi omnia igne ferróque vaſtantem, & Romanos inducto ſuo Prætore quem Senatorem vocabant rebelles ſe tueri diffideret; Carolum S. Ludovici fratrem Provinciæ Comitem & Ducem Andegavenſem in Concilio Urbeveti advocandum, & Neapolis regno inveſtiendum decrevit, Cardinale Legato ad eum Miſſo. Creavit 14. Cardinales. Feſtum Corporis Chriſti inſtituit, occaſione miraculi ſucceſſi in diœceſi Vrbevetana: dubitante enim poſt conſecrationem de Realitate Sacerdote, ſcaturivit ſanguis ab hoſtia, qui totum intinxit corporale 1264. ejus officium à B. Thoma Aquinate Theologiæ lectore in Conventu ſuo Urbevetano approbavit. B. Richardum Ciſceſtrenſem Epiſcopum canonizavit 3. die April. Collegium 12. Canonicorum Troyæ patriæ fundavit. 1261

M

Obiit Peruſij, cum ſediſſet ann. tres, menſ. unum, dies 4. ejuſque mors incidit in diem 2. Octob. anni. M. CC. LXIV.

CLEMENS IV. Gallus, S. Ægidienſis, dictus Guido Groſſus, Fulcodij filius, Juriſcõſultiſſimus, poſt uxoris à qua duas habuit duas filias deceſſum, ſeceſſit ad Chartuſianos à quorum ſuſcipiendo ordine obſtitit, Rex Ludovicus prænoſcens bono publico eum magis profuturum quem aſcivit in Conſiliarium & ſtatus miniſtrum, ejuſque opera fœliciter per ſex annos uſus eſt, variis interea dignitatibus Eccleſiaſticis inſignitum primo Archidiaconatu; moxque Epiſcopatu Podienſi ſeu Anicienſi; & poſt 7. menſes Archiepiſcopatu Narbonenſi: deinde factus Cardinalis ab Urbano IV. miſſus eſt Legatus in Angliam, pro pace inter ejus Regem & Simonem Montfortij Comitem ſanciendâ: cùm autem poſt Sedis vacationem quadrimeſtrem rediret ex Anglica legatione, creatus eſt Papa Peruſij. Audiens autem vias intercluſas à Manfredo, mendicantis habitu Peruſiam acceſſit: inde evocatis Cardinalibus Viterbium venit. Interea Carolus Andegavenſis jam antea ab Urbano deſignatus Siciliæ & Neapolis Rex, Romam advenit; ubi & Senator creatur, & à Legato Pontificis abſentis Rex proclamatur, & inungitur cum uxore Beatrice, impoſito annuo vectigali quadraginta millium aureorum. *Naucler, Bland. Platina, Æmil.* Uno nobilique prælio ad Beneventum vi-

ctor, & Regni poſſeſſor evadit. Carolus occiſo Monfredo, miſsóque in Tuſciam equitatu Florentiam, aliaſque civitates pulſis Gibellinis reſtituit Guelphis. Miraculis coruſcantem nuper defunctam Ediginem Poloniæ Duciſſam Sanctis adſcripſit. Raræ virtutis & exempli Pontifex, cùm in aliis, tum maximè in affectu erga conſanguineos: uni enim filiæ in Monaſterio collocatæ 30. tantùm libras dedit, alteri quæ conditionis ſuæ marito nupſerat, trecentas libras dotis nomine numeravit, & hac conditione, ne quid amplius peteret: nepoti tres præbendas habenti injunxit dimiſſionem duarum qua placeret retentâ; cúmque de munificentia ad ipſum pulſaretur, reſpondit ſe plus Deo, quàm carni debitorem eſſe. Imitatus inſtitutum Chartuſianum à morte uxoris abſtinuit carneis eduliis uſque ad obitum nec unquam dimiſit cilicium, unde merito Chartuſianis annumeratur, cui flagrans non defuit affectus, & imitatio regularis. Sedit annos 3. menſes ferè decem, mortuus die xxix. Novemb. anno. M. CC. LXVIII.

GREGORIUS X. cùm ex diſcordia Cardinalium, quos duorum Regum 1271
præſentia Philippi Franciæ, & Caroli Neapolis unire non potuit, vacatio Sedis protracta eſſet in trigeſimum tertium menſem; & inſtante Viterbienſi civitate, compromiſſio delata eſſet in ſex Cardinales, hac lege, ut intra triduum quinque unum ex his ſex, vel quemvis extraneum renuntiarent: ſuadente Bonaventura Generali Fratrum Minorum

M 2

electus eſt *Theobaldus* Archidiaconus Leodienſis, Placentinus, è Vice-comitum familiâ Mediolano olim pulsâ, in Syria tunc exiſtens cum Eduardo primogenito Regis Angliæ, & in procinctu è Ptolemaide adeundi Hieroſolymam, de cujus electione diſtichon illud:

Papatus munus tulit Archidiaconus
unus:
Quem Patrem Patrum fecit diſcordia
Fratrum.

Accepto Nuntio Apuliam venit, cui obvius Carolus Rex ad Ceperanum deduxit: hincque Viterbium acceſſit, & Romæ conſecrationem ſuſcepit 27. die Martij 1272. moxque litteras de ſua aſſumptione ad univerſos Prælatos ac Principes ſcribens preces eorum expetiit ad rectam Pontificatus gubernationem quod pluribus ſolemne eſſe conſtat) curátque ut ſubveniatur terræ ſanctæ, præbens ipſe cæteris exemplum cùm ære Eccleſiaſtico quingentis conſcriptis equitibus ac multis pedibus tres triremes à Venetis conduxit iis tranſmittendis, & validiora ſubſidia à Regibus Galliæ, Siciliæ, Venetis, Jancenſibus evincens prohibénſque ſub anathemate & privatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ne arma, ligna, naves, reliquaque belli adjumenta Sarracenis divenderentur, vel ullus eis favor impenderetur. Anno 1273. celebrationem Oecúmenicæ Synodi apud Lugdunum Galliæ incidit, quæ numeroſiſſima notatur, cui ipſe perſonaliter præfuit quindecim Cardinalibus Comitatus in-

ter quos S. Bonaventura Epiſcopus Albanenſis Minorità, quem poſt reditum è Syria Greg. crearat Viterbij 1272. cum aliis quatuor viris inſignibus, ut notat Vvading. in ann. qui proh. dolor, poſt 4. Seſſionem obiit 15. Julij ſcientia miraculiſque clariſſimus: hujus exequias celebravit Papa in Eccleſia Fratrum Minorum. Nota jam defunctum B. Thomam Aquinatem quam Pontifex evocabat ad Conc. ut Græcis opponeret, dum enim eſſet in itinere incidit in morbum lethalem in Monaſterio Foſſæ Novæ Ordinis Ciſtercienſis Diœceſis Tarracinenſis nonis Martij ætatis ſuæ anno 50.

Concilium Gener. XIV. Lugdunenſe. II.

Anno 1274. Gregorius X. celebravit Lugduni Concilium univerſale, mille Patrum, & amplius, è quibus fuere Epiſcopi quingenti, præſidente ipſo Gregorio Papa, adfuerúntque Græci & Tartarorum proceres aliqui, & Michaël Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus cum magno comita-

Digitized by Google

tu. Item ſolemnes Nuntij ſeu Procuratores Græcorum.

Actum ibi de erroribus Græcorum. Horum Procuratores coram Concilio, Symbolum Nycæni, & Conſtantino. Conciliorum, Credo in unum Deum. *cecinerunt, & ſine dubio, cum additamento* Filioque *, quod authoritate S. Leonis Papæ, anno 447. Epiſcopi Hiſpani primùm uſurparant in Concilio Toletano adverſus Priſcilianiſtas, impiè aſſerentes Patris, & Filij, unam eamdémque perſonam eſſe, & receptum fuerat anno 883. in Symbolo Fidei recitato in Concilio Arelatenſi, ſub Carolo Magno; & inductum Romano à Benedicto Papa VIII. anno 1014. & in Conciliis Epheſino, & IV. Synodo Act. 5. V. Synodo Act. ultima, VI. Act. 17. VII. Act. 7. in qua Symbolum cum hac additione,* Filioque *legitur: & tamen hæc Synodus maxima ex parte Græcorum fuit, quod itidem lectum fuit in Lateran. III. ſub Innocentio III. anno 1215.*

Demonſtrarunt itaque Procuratores Græci velle ſe credere, quod ſancta Ma-

ter Romana & Orthodoxa Eccleſia credit & prædicat, ſcilicet; quòd Spiritus ſanctus à Patre *& Filio æternâ ſpiratione procedit, ſicut declaratum eſt per promulgatam ibi Decretalem.*

Fideli & devota profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus inſpirationibus, ſed unica inſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt, & hactenus prædicavit, & docuit Sacro-ſancta Romana Eccleſia Mater omnium Fidelium, & Magiſtra. Hoc habet Orthodoxorum Patrum *atque Doctorum Latinorum pariter, & Græcorum incommutabilis, & vera Sententia, &c. Opera & ſtudio S. Bonaventuræ unio facta eſt Eccleſiæ Latinæ cum Græca* 13. *vice. Actum eſt de ſubſidio Terræ ſanctæ dando, pro quo impoſita fuit in eodem Concilio decima redituum Eccleſiaſticorum omnium, exceptis dumtaxat Xenodochiorum & Orphanotrophiorum redditibus, in uſum belli ſacri ad ſexcendium, Quæ decima quamvis ſtudiosè exacta, & recepta fuerit, non tamen eſt evidens, quæ uti-*

Digitized by Google

litas Terræ ſanctæ, exinde fuerit procurata.

Leges item conſtitutæ ſunt de forma electionis Summi Pontificis Nimirum, ut poſt decem dies, quibus mortuo Papa Cardinales expectantur, ij qui in Conclavi ſunt, ſoli ſuffragia ſua ferre poſſint: utque cujuſvis Ordinis, & conditionis hominem in Rom. Pontificem creare poſſint: Et ut Cardinales non poſſint conclavi egredi, niſi ante Pontifice creato: ut venientes ante creatum Pontificem Cardinales etiam Conclave ingredi poſſint, & dare ſuffragia: ut non liceat pacta inire, aut quicquam dare, aut polliceri pro ſuffragiis. Denique ut nemo haberi poſſit Romanus Pontifex, niſi duarum partium ex tribus Cardinalium in Conclavi præſentium ſuffragia tulerit.

Gregorius ſuppoſuit interdicto civitatem Florentiæ ob inde exactos Gibellinos quos ipſe reſtituerat. Anno 1273. mandaverat Clemens Principibus Germanis, ut Imperatorem tandem crearent, niſi vellent imponi à ſe aliquem; conſenſum eſt in Rudolphum Comitem Haſpurgenſem, armis & conſilio po-

Digitized by Google

tentem; túncque abſentem in obſidione Baſileæ, qui fuerat olim Magiſter aulæ apud Oſtorarum Regem Bohemiæ, qui primò delatum Imperium recuſarat, eò quòd longè potentiorem Imper. Romano ſe exiſtimaret. Alphonſus Rex Capellæ, Gregorium apud Belliquadrum in ripa Rhodani convenit, petiturus Imperium ad quod olim ab aliquibus Germaniæ Principibus electus fuerat: ſed reſpondit Pontifex non magis equum eſſe Germanos jura dare Hiſpanis, quam Hiſpanos imperare Germanis: ab Haſpurg. genus ſuum ducit Greg. redit in Italiam, moritur Aretij in Tuſcia 10. *Jan. declinans à Florentia ob interdictum. Sedit annos quatuor, m.* 4. Sepultus eſt in Cathedrali Eccleſia S. Donati ubi & miraculis claruiſſe poſt mortem teſtantur Ptolom. Lucenſis, S. Anton. Blondus & alij corpus ejus hactenus integrum conſervatum eſt. Obiit autem anno. M. CC. LXXVI. Die x. Januarij.

INNOCENTIUS V. Burgundus dictus Petrus Tarentaſienſis, primus ex Ordine S. Dominici, Theologus inſignis, eligitur: 12.

qui dum pacem conciliat in Italia, Florentinos arma deponentes obſequenter abſolvit ab interdicto, ſedit menſes v. obiitque die XXIII. Februarij. anno. M. CC. LXXVI.

1276 ADRIANUS V. Genuenſis, familiæ Fliſchi, nepos Innocent. IV. eligitur à 10. Cardinalibus, numero tunc 14. dumtaxat: obit 40. die nondum conſecratus: Viterbij 18. Auguſti.

1276. Vice-Dominus de Vice-Dominis, Placentinus, nepos Gregor. X. qui dictus fuit Gregor. X. qui fuit Minorita, deinde Archiepiſc. Aquenſis, ipſa die electionis ſuæ ſuprema dignitate, & vita functus eſt, ideóque non numeratur in ſerie Pontificum. Sed debet computari.

1276 JOANNES XX. (ab interſerentibus Papiſſam XXI. ait Ciacon.) Ulyſſiponenſis in Luſitania, olim medicinæ peritiſſimus, coronatur Viterbij: qui rerum gerendarum minus aptus notatur, quia Anconitanos vaſſallos Eccleſ. à Venetianis ob tributa infeſtatos, non adjuvit: in hoc tamen laudandus, quòd ſtudioſos inopes pecunia, & beneficiis promovit: ruinâ cubili recens conſtructi in Palatio Viterbij occubuit, men. 8. qui vitam ſibi longam pollicebatur, cæteriſque prædicabat, fortè ut Medicus qui ſeipſum curatus eſſet, vel etiam ut Aſtronomus, inter ligna & lapides colliſus incenſus, ſexta poſt die Sacramentis omnibus Eccleſiæ perceptis expiravit die 20. Maij, ſepultúſque fuit Viterbij in Eccl. Cathedrali

S, Laurentij: repentini hujus obitus varias varij aſſignant cauſas. Lucenſis & alij tradunt quod conſtitutionem Gregorij X. in Conc. promulgatam de Conclavi quam Adrian. V. ſuſpenderat, penitus revocarit, adeò ut ſine auſtera illius recluſione qui deinceps ei ſucceſſerunt Romani Pontifices creati ſint uſque ad Bonifacium VIII. qui conſtitutionem Gregorianam confirmans libro Decretalium ſexto inſeruit. Sedit menſes VIII. diem I. mortuus die XVI. Maij anno. M. CC. LXXVII.

NICOLAUS III. Romanus, qui diceba- 1277
tur Joannes Cajetanus S. R. E. Archidiaconus Cardinalis patria Romanus de familia Urſina poſt ſex menſes creatur à 7. Cardinalibus, tribus Gallis & quatuor Italis qui ſoli ſupererant. Conſtitutio enim Conclavis nondum obſervabatur, ſicque in nova electione vix conveniebant Cardinales: quod animadvertentes Viterbienſes eos in Prætorio recluſere, illud cuſtodiente Carolo Rege Siciliæ. Sicque à Gallo Pontifice requiſito abſtinuerunt. Romæ conſecrationem Presbyterij, & Epiſcopatus iniit, móxque Carolum ab urbis Præfectura abdicavit, quia neptim ſuam deſponſare dedignatus erat ob imparitatem conditionis, edicens, ut annua ea dignitas eſſet, nec Regiæ nobilitati conferretur. Sic Papa ſeipſum Senatorem perpetuum conſtituit, & Pro-ſenatores duos creavit. Romanam Rempubl. & Tuſcianam regulavit. Exarchatum, & Romagnam, aliáſque detentas Provincias à Rodulpho Imp. requiſitas ob-

Digitized by Google

tinuit. Venetis pacem cnm Anconitanis imperioſè indixit. Amantiſſimus fuit Fratrum Minorum quorum duos elegit Cardinales. Miſſam devotiſſimè celebrabat. Urbem ſacris ornavit ædificiis : multa conſtituit ad utilitatem Eccleſiæ, ut in ſexto Decretalium legere eſt. Imperium Romanum quadrifariam dividere meditabatur prima portio Germania hæreditaria hærebat Rodulphi familiæ. Regnum Arelatenſe quod ab inimico Carolo abſtrahere volebat filio Imperatoris deſtinabat : de reliquo duos Reges domus ſuæ Urſinos conſtituebat, unum Longobardis Præfectum , alterum Etruriæ Dominantem , ſic Gallos Neapolis & Siciliæ Dominos coërcebat , & à Germanis qui Alpes habitabant non timebant. Ad hoc autem facilius ineundum jam ſollicitè ſuaſerat Petro Aragonio ut repeteret regnum Siciliæ tanquam jus hæreditarium & dotale uxoris ſuæ Conſtantiæ. Apoplexia correptus obiit in Caſtello Soriano , cum ſediſſet annos 2. men. 9. Mors ejus incidit in diem IX. Januar. anni. M. CC. LXXX.

1281 MARTINUS II. dictus IV. (quòd duo Pontifices Marini recenſeantur , ſub nomine Martini) Gallus, Turonenſis , poſt ſex menſes vacationis ob Urſinæ & Carolinæ Regiæ factionis diſcrepantiam , & oppoſitionem duorum Cardinalium Urſinorum, qui novæ creationi obſiſtebant , tandem renuntiatur : qui Viterbij noluit conſecrari, quia ob impetum in Cardinales interdicta erat â ſacris , & ſceleris fautores excommu-

Digitized by Google

nicati; ſed Orvietum profectus conſecrationem, & coronationem in Baſilica S. Andreæ ſuſcepit. Hannibaldus laqueum collo gerens genuflexus abſolvitur, ſicque compoſita factio. Carolum ſenatoriæ dignitati, cui perpetuò à Romanis deſignatus fuerat, reſtituit, lege deceſſoris abrogatâ anno 82. Paleologum Imp. Græcóſque ejus decreta Lugduni non ſervantes excommunicat, nec non & Petrum Aragoniæ Regem, quia initâ ſuo interventu pace cum Carolo Siciliæ ab illius invaſione non ceſſabat, quam occupavit claſſe paratâ, ſub ſpecie invadendi Africam, Paleologo ſuppeditante aurum. Tuncque Veſperæ Siculæ factæ ſunt, ipſis Siculis conſtituto tempore pulſationis campanarum ad Veſpertinas preces, ipſo die Paſchatis qui fuit 30. Martij omnes tota Inſulâ Gallos ſupra octo millia inermes, & nihil tale tali maximè die cogitantes, nullo ætatis aut conditionis diſcrimine trucidantibus, ipsáſque à Franciſ prægnantes eviſcerantibus, ne quid ſtirpis Franciæ ſupereſſet in Sicilia. Quo tempore Petrus Aragonius advolans Rex Salutatus eſt Siciliæ. Martinus autem hoc audito jus regni paterni ei abrogat, quod tribuit Carolo Valeſio filio minori Regis Franciæ, ex ſorore Aragonij, Peruſium ſecedit ob tumultum Orvieti inter Guelphos & Gibellinos: ibi lenta febre correptus obit, & habitu Franciſcano indutus ſepelitur in Eccl. Cathedrali, cæcis, claudis & mutis ad ejus ſepulchrum ſanitatem recuperantibus. Sedit annos 4. m. 1. d. 7. mortuus die xxviij. Martij anno M. CC. LXXXV.

HONORIUS IV. Romanus, Peruſij
1285 poſt 4. dies eligitur, hincque Romæ inſignia ſuſcipit, ſenio podagrâ & chiragrâ laborans, inſtrumentis ad hoc affabrè adaptatis Miſſam celebrabat: prudentiâ & conſilio præpollebat, dictitans manus & pedes non imperare, ſed caput. Habitavit in Aventino apud S. Sabinam hincque cæptus eſt mons habitaculorum conſtructione coli. Ordinem Carmelitarum non ſatis in Conc. Lugd. ſub Gregor. X. comprobatum hoc anno confirmatum ab Honorio ponit Onuphrius in Chronico, & pallium album profeſſoribus illius datum qui prius utebantur chlamydibus ex albo panno latis faſciis pullis ſive canuſinis intertextis quæ oculis Chriſtianorũ minus gratæ erant, unde in Gallia ſacculos ſive ſaccatos vocatos tradit Maſſonus ex Annalibus S. Victoris.

Ordinem quoque Servorum nec non Eremitarum S. Auguſtini per id temporis Pariſiis improbatos, & in Concil. Lugdun. ad maturiorem deliberationem relatos Honorius confirmavit. Sedit duos annos, ſepultúſque paraſceves die in Baſilica S. Petri; & inde poſtea ad Armælitanam Fr. Minorum in ſepulturam majorum ſuorum tranſlatus. Sedit annos 2. dies 2. defunctus die III. April. anno M. CC. LXXXVII.

1288 NICOLAUS IV. Minorum Generalis dictus, Fr. Hieronymus Aſculanus, primus ex Ordine S. Franciſci renunciatus eſt Pontifex poſt decem menſes vacationis ob

Cardinalium ægritudinem quam ingenerabant noxij flatus Auſtri quibus expoſitus eſt magna ex parte mons Aventinus quos ſolus noſter Card. Aſculanus remanens in loco inſalubriori evaſit illæſus, ope copioſarum prunarum quas tota æſtate in cubiculo & habitatione cæteriſque officinis ſuis continuo ſervavit, biduo poſt electionē in Aventino coronatus eſt apud S. Petrum, ſumpto nomine Nicolai IV. in memoriam Tertij à quo fuerat creatus Cardinalis. Mox Legatos mittit ad Alphonſum Regem Arragoniæ, ut cum eo de liberatione Caroli agerent. Orta ſeditione Romæ proficiſcitur Reate, ubi ſex Cardinales creat diverſorum Ordinum: reverſus ſedet apud S. Mariam Majorem quam reparavit. Sollicitè laboravit pro pace inter Principes Catholicos, & pro dilatatione fidei apud Tartaros, Slavos, audito autem calamitoſo rerum Syriæ ſtatu crucem prædicari juſſit ubique, ſollicitans Occidentales & Orientales Principes convertere arma in Barbaros, ipſe ſuo ære accitos 2500. milites miſit in Syriam ad Ptolemaidis quam Soldanus obſidebat defenſionem, ſed inutiliter hincque Chriſtianorum expulſionem à terra ſancta deplorans. Obiit cum ſediſſet annos 4. menſ. 1. ſepultus in Baſilica S. Mariæ Majoris ob præclara ejus geſta laudatiſſimus ab Annaliſtis. Mors ejus incidit in diem XIV. Aprilis, anno M. CC. XCII.

CÆLESTINUS V. cum ex diſcordia 1294. Cardinalium Sedes vacaſſet duos an-

nos, menſes tres, dies duos ſic electus eſt; convenerunt Peruſium ad electionem Cardinales. Latinus Card. Oſtienſis fecit mentionem Petri de Murrhone, cujus ſanctitas notiſſima erat & miraculis frequentibus atteſtata, confeſtim unanimi omnium conſenſu, nec ſine lachrymis die 5. Julij renunciarunt eum Pontificem ac Decretum electionis ad ipſum miſerunt per Archiep. Lugdun. Epiſcopos Urbevetenſ. & Portuenſem ac duos Apoſtolicæ Sedis Notarios rogantes, ut aſſenſum præbere ac Peruſium ſe conferre dignaretur: incolebat ipſe eremum montis Murrhonis ubi monaſterium conſtruxerat ſub regula S. Benedicti non longè à Sulmone civitate in Apulia, aſperámque vitam & ſemotiſſimam ab omnibus negotiis vitam ibi ab ineunte ætate, ducebat: acceptis litteris ſuæ electionis ægerrimè tulit, fugámque tentavit, ſed inopina & ſubita populi multitudine circumdatus, victúſque precibus Caroli Regis ac Latini Card. judicium divinum ei comminantium vix acquievit. Advocat ergo Cardinales ut veniant Aquilam Urbem Aprutij ad quam deductus eſt à Carolis Patre & Filio Regibus Siciliæ & Hungariæ humili inſedens aſello (non enim induci potuit equo vehi, hancque ſimplicitatem comprobavit Dominus miraculo ſanitatis ægro redditæ) conſecratus ac coronatus eſt 4. Kalend. Septemb. præſentibus pluſquam ducentis hominum millibus motis novitate rei & ſanctitate viri cui impoſitum meritò ſit no-

men Cæleſtini. Inde Neapolim hortatu Caroli accedens creavit 12. Cardinales quorum 8. Galli duo ſui inſtituti Monachi ſeu Cæleſtini quibuſcum divinarum laudum conſueto exercitio, privatim vacare ſolebat, defuncto menſe Novembri Latino Cardin. Ord. Prædicatorum, qui pondus Apoſtolicum ſubſtinebat, cogitavit de abdicatione imparem ſe tanto oneri credens ipſique Cardinales ſecreta, deinde publica de ejus abrogatione colloquia habuere, quia minus idoneum ad univerſalis Eccleſiæ regimen judicabant ex nimia facilitate & inconſulta effuſione bonorum quæ eadem diverſis concedebat: abdicationem ad quam pronum Papam notavit Benedictus Card. Cajetanus ſucceſſioni inhians maximè promovit perſuaſionibus ſuis, nequaquam autem vaframentis vulgò decantatis immiſſa nimirum per arundinem voce quaſi è cælo demiſſa, ut *ſi ſalvus fieri vellet Pontificatu ſe abdicaret*, id enim nullus antiquorum ſcribit, nec Cæleſtinus credendus eſt adeo rudis in diſcerendis ſpiritibus ut his ſe deludi paſſus eſſet, qui cum Angelis Dei frequenter converſabatur, & ſpiritu Prophetico donatus erat,

Sic igitur perſuaſo Pontifice, facta conſtitutione licere Pontifici abdicare ſe dignitate, *cap. quoniam de renunt. in 6.* nec ad confirmationem in Papatu prævalente Caroli Regis & populi obniſu ob publicarum precum & proceſſionum inſtituto. Abdicavit Cæleſtinus Neapoli in publico conſiſto-

rio 12. Decemb. deditque poteſtatem Cardinalibus ſubrogandi alium, ſtatimque depoſitis ornamentis Pontificiis ad Cardinalium pedes conſedit, qui regnarat menſ. 5. dies 8. Superſtes fuit uſque ad XIX. Maij, anno M. CC. XCVI.

1294. BONIFACIUS VIII. Anagnia Campaniæ civitate ex illuſtri familia Cajetana Alexandri IV. ex nepte pronepos dictus Benedictus Cardinalis juris callentiſſimus electus eſt ſummus Pontifex operâ maximè Caroli Regis qui accepto à Benedicto jure jurando de præſtandis ſibi auxiliis ad recuperandam Siciliam, Cardinales ſibi amicos ad ejus nominationem induxit qui ut juſtæ Beneficentiæ & libertatis, ſpem omnibus faceret, Bonifacij, nomen aſſumpſit, Octavi vulgò dicti cùm VI. dumtaxat dicendus ſit, rejectis duobus illegitimis invaſoribus Sedis. Romam progreſſus cùm apud plurimos malè audiret, quaſi improbis artibus Pontificatum adeptus fuiſſet, ut omnem de ſua integritate dubitationem tolleret antequam conſecrationis & coronationis inſignia ſuſciperet ſinceræ fidei profeſſionem ac probi regiminis pollicitationem quam mox ab electione ediderat, in pleniori jam Principum aliorúmque hominum conventu majori ſolemnitate ad altare S. Petri obtulit, cumque coronatus eſt. Ne autem occaſione Cæleſtini, cujus abdicationem multi vitioſam eſſe diſputabant ſchiſma excitaretur eum Bonifacius perquiri juſſit, & perpetuæ cuſtodiæ mandavit in arce Fumonis, ubi

multis incommodis afflictus ex ingenerato apoſtemate lateri dextro per aëris corruptionem ſuffocatus eſt 14. Kalend. Junij poſt biennium, aurea cruce circa oſtium cellulæ in qua jacebat tota die mirabiliter in aëre pendente. Hunc 17. poſt annis Clemens V. canonizavit ob miraculorum præſtantiam. Bonifacius rebus gerendis manum admovens conſtabiliter quærit pacem inter Principes, convenientibus ad ipſum Carolo Rege Siciliæ, legatis Philippi & Arragonenſis eos ad concordiam deduxit, hincque Caroli filij à Septennio obſides in Sragonia libertate donati ſunt. Varia edidit decreta Eccleſiaſtica anno 1297. Apoſtolorum & 4. Eccl. Doctorum feſtivitates ſub officio duplici celebrari ſtatuit. Ludovicum Regem Franc. ob miraculorum præſtantiam in SS. Confeſſorum numerum retulit tertio Idus Auguſti apud urbem veterem. Columnenſes ad exterminium uſque proſecutus eſt quoquo fugientes, ædes eorum in urbe diſierit, caſtella cepit & diruit, duos ei perduelles Cardinales Columnenſes deſtituit, ne autem inde cæterorum invidiam aut Principum incurreret ſeveriſſimam ſanctionem tunc edidit in eos qui aliquem Cardinalem in aliquo lædere attentarent Sardiniam & Corſicam contulit Regi Aragonio Alberto Duci Auſtriæ poſt Adolphum ab Imperio depoſitum, indéque in bello occiſum electo & petenti confirmationem bis terque repulſam dedit, eò quòd in legem majeſtatis deliquiſſet inſurgendo in dominum ſuum,

Digitized by Google

cúmque ejus electionem inanem proclamaret tanquam homicidæ, exiit Papa in publicum enſe cinctus, ac ſe & Pontificem & Cæſarem pronunciavit. Hocne anno 1299. ſententiam arbitralem protulit in diſſidiis Philippi Regis Franc. cum Rege Angl. Eduardo & Guydone Comite Flandriæ : ob injunctam reſtitutionem Flandro. Rex iratus exclamavit ſi ut primùm exiſſent induciæ invaſurum quæ ſupererant Flandriæ quod & fecit. Jubileum centeſimo quolibet anno inſtituit quo plenam delictorum indulgentiam viſitantibus limina Principum Apoſtolorum conceſſit; hocque primo 1300. ducenta millia hominum ex univerſo orbe viſa ſunt quibus Romæ omnia neceſſaria affatim abundarunt. Interea ex prædictis odia germinabant inter Bonifac. & Regem Philipp. apud quem perfugæ Columnenſes tutò agebant: ſollicitat PP. Terræ ſanctæ auxilia, urget præ cæteris Philippum apud quem parum proficit, quòd bello Flandrico diſtractus, & pecuniis indigens, nec copias tranſmittere, nec collectas ad id operis decimas dare, aut alias in regno ſuo exigi (præter eas quas nuper PP. Carolo Regis fratri in Italiam evocato dari præceperat) permittere poſſe excuſavit. Delegatur ad Regem Bernardus Appamiarum Epiſcopus, ut eum ad expeditionem orientalem compellat & vetet decimas ad ipſam inductas in alios uſus convertere, agit is inſolentiùs in Regem cui niſi pareat abdicationem à regno intentat, iraſcitur Rex eumque de plu-

Digitized by Google

ribus reum tradit in cuſtodiam Archiepiſc. Narbonenſi, examinandum in ſpeciali conventu apud Silvanectum ad hoc celebrato in quo reus conſpirationis cum Rege Arag. & Comite, furi contra Regem habitus eſt. Significatur id Conſiſtorio Romano: ſævit Papa & per delegatum conteſtatur ſi in omnibus injunctis non pareat Rex, regnum ob contumaciam Philippi devolvi ad Sedem Apoſtolicam cui omnes Reges eorúmque regna ſubjacent, litteræ Pontificiæ ereptæ fuere Archidiacono Narbonenſi delegato, & per Atrebatenſem Comitem in ignem conjectæ & combuſtæ, præſente nec impediente Rege evaſit Archid. cum Epiſcopo Apamienſi libertati tradito. Convocantur trium regni Ordinum Comitia, conclamatur Bonifacius ob intentata aliáque objecta crimina indignus Pontificatu, prohibetur extractio pecuniæ à regno; & ne quis Eccleſiaſticus Romam accedat, deputatur Petrus Flotta Regis Conſiliarius cuncto Pontifici ſignificaturus, hinc aſperiùs in Regem agit Papa, & ut potentem adverſarium ei apponeret Albertum, confirmat Imperatorem, huicque juſſit invadere regnum Franciæ, cujus Regem & Prælatos declaravit excommunicatos, eò progreſſa eſt tragœdia ut provocato ad Concilium Generale convocandum facta in Conventu Pariſiis celebrato tradita Nogareto Conſiliario intimanda Pontifici exiſtenti Anagniæ mortem ei accelerarit. Seriem rei prætermitto ſatis evulgatam, ſat ſit monuiſſe captum fuiſſe pro-

Digitized by Google

priis in ædibus Bonifacium intrepidum, & à triduana cuſtodia liberum ſibique relictum ſine damno perſonali Romam cum manu valida Romanorum qui accurrerant progreſſum fuiſſe ad Concilium convocandum in ultionem, quod mors ex iræ ardore morboſo accita 35. die prævenit; ſic infeliciter obiit qui prædeceſſorem ſuum Cæleſtinum & in primogenitum filium S. R. E. ſævitiam exercuit. Rem autem ita habuiſſe ut ſcripſi teſtatur Villanius Florentin. lib. 8. cap. 63. qui tum vivebat & fortè ſcribebat, & alij poſt eum quæ etiam Maſſonus ex antiquis monumentis collegit. Quod autem non parum ad Bonifacij excuſationem & mortem piè obitam facit (contra quam multi tradiderunt ſe ſe dentibus dilaniaſſe) eſt, quòd trecentis poſt annis anno 1605. 5. Idus Octob. corpus ejus plane incorruptum, omnibúſque membris integrum repertum fuerit. veſtibus quoque ſacris quibus indutus erat omnino ſanis; qua de re confectum eſt publicum inſtrumentum quod deſcripſit Bzovius tom. 4. Sedit Bonifacius annos 8. m. 9. d. 18. Mortuus die xj. Octob. anno M. CCCIII.

BENEDICTUS IX dictus XI. Tarviſinus, Nicolaus Bocaſinus ex Ordinis Prædicatorum Generalis factus Cardinalis ſubrogatur à 22. Electoribus Conclave in Palatio Vaticano ingreſſis, audita aſſumptione Rex Philippus gratulatoriam ad eum ſcripſit epiſtolam per ſpeciales Oratores qui deceſſoris in ſe acerbitatem refricarent, &

omnimodæ reverentiæ ac devotionis indicia beatitudini ejus exhiberent cum iiſdem regiis Oratoribus Antiſtites ſuos miſerunt exoratum tam eidem Regi quàm toti Eccleſiaſtico Ordini Academiæ, & univerſo populo ſacris interdicto gratiam Apoſtolicæ Sedis & reſtitutionem in integrum, quo factum eſt ut Benedictus Regem ſe per Oratores purgantem quòd nihil durius in Bonifacium ſtatuiſſet, quàm ut Concilium appellaret, hancque appellationem ei quocunque meliori modo ſignificaretur, nec ſe auctore vim factam contendentem Eccleſiæ reconciliaverit anni ſequentis Peruſij in Conſiſtorio præſentibus nunciis regiis; omnia & ſingula deceſſoris ſui in eum acta & quoſlibet proceſſus reſciderit, regnum interdicto liberaverit, privilegia & quaſcumque libertates antiquas confirmaverit Eccleſiaſticos omnes, laicoſque à cunctis cenſuris abſolverit (uno excepto Gulielmo denegaretur, cujus abſolutionem ſibi reſervavit) denique omnia in priſtinum ſtatum reſtituerit, imò & interceſſione Regis Columnenſes veniam poſtulantes in gratiam receperit. Solitis in veſtibus pannoſis pauperculam matrem ſuam agnovit introductam quam ſericis, ornatam ſe agnoſcere diſſimularat, eámque deinceps honorificè habuit Legationes ab Oriente & à Tartaris recipit, dúmque impensè pro utilitate Eccleſiæ & Reipub. laborat, moritur Peruſij ex veneno parato in oblatis ficubus dum menſæ accumberet quas ubi comedit in mor-

Digitized by Google

bum incidit. Sedit ſanctus & miraculis poſt obitum clarus menſes 8. dies 6. Mortuus die VI. Julij, anno M. CCC. IV.

305. CLEMENS V. Burdigalenſis in Vaſconia *Raymundus Gottus* dictus, poſt vacationem 11. menſium tribus diebus minus, quia Conclave in duas diviſum erat partes: una Italicum ambiebat Pontificem, qui acta Bonifacij tueretur: altera urgebat pro amico Franciæ, & Columnenſium. Archiepiſc. Burdigalæ propoſitus, quaſi inimicus Regis, qui tamen ſecretò reconciliatus erat, & devinctus Regi data fide, quòd promoveretur ad Sedem Apoſt. eligitur ſummo cum totius Conclavis applauſu, à quo electionis ſuæ nobilem recipit legationem. Viſitationi vacans Diœceſis, cunctos illicò ad ſe convocat Cardinales, ut coronationi Lugduni ſuſcipiendæ adeſſent: affuere tres Reges Philippus Franciæ. Eduard. Angliæ, Jacobus Arragoniæ, & Dux Britanniæ: dúmque celebri pompa per urbem duceretur, murus quidam vetuſtate, & ſuperſtantis multitudinis onere procumbens multos oppreſſit, inter eos Ducem Britan. Carolum fratrem Regis debilitavit, & Pontifex ipſe adeò in turbam præceps deturbatus eſt, ut mitrâ excuſsâ pyropū pretioſum ſex mille aureorum amiſerit. Trāſtulit Sedem Apoſt Avenionē, ob continuas ſeditiones Italicas, & ut Philippo gratificaretur, hæſitque ibi 70. & ampliùs annis; tribus miſſis Cardinalibus, qui res Romæ, & in Italia agerent, Clemens iſte ſex Avenione habuit

ſucceſſores

ſucceſſores Gallos, quorum ultimus Gregor. XI. Sedem Romæ reſtituit anno 1376. Quæ Regi promiſerat ſervavit; nam eum Eccleſiæ reconciliavit, decimas regni ad quinquennium conceſſit, & 12. Cardinales Francos creavit: Bonifacij VIII. conſtitutionem, qua declarabat regnum Franciæ in temporali ſtatu ſubjectum eſſe Pontifici, revocavit. Nogareſium & Sciarrum abſolvit, negavit tamen Bonifacium damnare. 1308. Henricum Comitem Lutcemburgum ab Electoribus Francofurti Imperatorem Alberto (à fratris filio, cujus bona tutorio nomine diutiùs juſto obtinebat) occiſo ſubrogatum confirmavit ea conditione, ut intra biennium coronam Romæ ſuſciperet, & Italiam factionibus purgaret. 1310. Venetos quòd occupaſſent Ferrariam ſacris interdicit, eorúmque bona ubique terrarum primi occupantis decrevit, excitatis etiam in eos ſacri belli militibus: à quibus victi Veneti veniam Avenione deprecantur per Franciſcum Dandulum ad pedes Pontificis, ad hoc ſub menſa in modum canis proſtratum: quâ ſic induſtriosè obtenta in Ducem Reipub. ſuæ promotus fuit. Eodem anno 1308. Joannes Duns Scotus Franciſcanus, Doctor ſubtilis dictus, moritur Coloniæ, ætatis ſuæ 33. cùm natus eſſet 1275. ut conſtat ex Epiphanio Guillelmum Varronē, ejuſdem Ordinis Doctorem, habuit Magiſtrum, nequaquam Alexandrum Alenſem, ut falsò multi ſcripſere. Hanc tanti Doctoris commemorationem obſervantia mea fraterna

Digitized by Google

præterire non debuit: Clemens Robertum Claudij filium Regno Neapolis inveſtivit, anno 1309. Obiitque apud Rupem Mauram Diœceſis Nemauſenſis Pontificatus anno nono ejus corpus tranſlatum eſt Vzeſtam ſterilem Valatenſis Diœceſis vicum in quo Clemens Eccleſiam in honorem B. Virginis frequentibus miraculis famoſiſſimæ ædificavit.

Concilium Viennenſe Generale. XV.

Anno 1311. *Univerſale Viennæ Concilium inchoatur menſe Octobris, quod in ſequentem annum duravit, præſidente Clemente PP. præſidentibus Regibus Francorum, Angliæ, & Arragoniæ, ac Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, Epiſcopis trecentis, præter Abbates & Doctores. In quo Bonifacius Papa VIII. à calumniis* Philippi *Regis Franc. abſolvitur. Templarij extirpantur. Hæreſes* Petri *Joannis, qui animam rationalem formam eſſe humani corporis negabat, gratias & vir-*

Digitized by Google

tutes in Baptiſmo non infundi aſſerebat, Chriſtúmque adhuc viventem fuiſſe lanceâ vulneratum, Fraticellorum & Dulciniſtarum, Beguardorum & Beguinarum *condemnantur : expeditióque pro* Terra Sancta *ſuſcipienda decernitur : plurimæque Conſtitutiones (quæ extant quinque libris Clementinarum in corpore Juris Canonici) pro reformandis moribus Eccleſiæ promulgantur. De hoc Concilio ſic ſcribit S. Antonin. 3. parte Hiſt. tit. 11. cap. 3. Cùm Clemens ut ſatisfaceret promiſſioni factæ Regi Franciæ in ſua promotione, ſcilicet ut de delenda memoria Bonifacij ex Eccleſia cum Prælatis Concilij tractaret; quia Rex illum hæreticum fuiſſe probare intendebat : Concilium nullo modo aſſentire voluit : ſed contrarium declaravit, ſcilicet ipſum fuiſſe Catholicum, & indubitatum* Pontificem. *Verum quia ipſe fecerat proceſſus contra Regem Franciæ ad quietandum ipſum non valentem obtinere quod cupiebat, injuſtum declaravit, & firmavit Decreto Concilij, quod quacumque de cauſa Rex offendiſſet Bonifacium* Papam, *ſeu Eccleſiam, nullo*

N 2

Digitized by Google

unquam tempore poſſet ipſi Regi, vel ejus filiis, & hæredibus aliquid damni inferri, vel pœnæ.

De Templariis hæc eſt ſententia Clementis.

Ad perpetuam rei memoriam, &c. Dudum ſiquidem Ordinem domus militiæ Templi Hieroſolymitani propter Magiſtrum & Fratres, cæteráſque perſonas dicti Ordinis variis & diverſis, non tam nefandis, quàm infandis (proh dolor!) errorum & ſcelerum obſcœnitatibus, pravitatibus, & maculis, & labe reſperſos ejuſdem Ordinis ſtatum, habitum, atque nomen ſacro approbante Concilio, non per modum diffinitivæ ſententiæ, cùm eam ſuper hoc ſecundùm inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos, non poſſemus ferre de jure; ſed per viam proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ irrefregabili, & perpetuò valiturâ ſuſtulimus, ſanctione ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes. Univerſa etiam bona Ordinis prælibati Apoſtolicæ Sedis ordinationi, & diſpoſitioni authoritate Apoſtolicâ

Digitized by Google

duximus reſervanda, &c.

Iam' in Gallia, & alibi multi anno ſuper, exciſi vivique combuſti erant inter ipſos Jacobus Burgundus Ordinis Magiſter. De ipſis Otho Vſperg. in Chron. ait: Frideric. II. apud Acon. in Terra ſancta multa ſuſtinuit ex proditione Templariorum. *Platina:* Reſcitum eſt, *inquit*, Templarios à noſtris ad Sarracenos defeciſſe. *Bona eorum Clemens magna ex parte Equitibus Hieruſalem, qui nunc Militenſes dicuntur, adjudicavit, quâdam Regi conceſſâ.*

Hoc in Concilio conſtitutum eſt, ut Feſtum Corporis Chriſti celebretur feria quinta poſt octavam Pentecoſtes: ſtatutum quoque, ut in præcipuis univerſitatibus ſint publici linguæ Hebraicæ, Chaldaicæ, & Arabicæ Profeſſores ad converſionem & inſtructionem earum nationum Infidelium. S. Ludovicus filius Caroli II. Regis Apuliæ, & frater Roberti Minoritæ, & Archiep. Tholoſanus canonizatur. Anno 1313. *precibus Regis Franciæ, & Siciliæ, Cæleſtinum V. ſub nomine Petri à Mor-*

Digitized by Google

rone miraculi coruſcantem canonizavit. Rationem creandi Pontificis *in Conclavi determinavit : obiitque* Pontificatus *anno ix.* Die xx. April. ann. M.CCC.XIV.

1316 JOANNES XXI. dictus XXII. Gallus, patria Cadurcenſis familia de Oſſa vel Deuſſa Patre Sutore veteramentario ſic aſſumptus eſt, mortuo Clemente Cardinales Carpentoractum convenere ad deſignandum ei ſucceſſorem, ſed mox in factiones diviſi quod Aquitanici ſeu Vaſcones qui plures numero erant unum aliquem ſuæ nationis, cæteri Galli Italis juncti alium vel ſibi vel Eccleſiæ meliorem quærerent (quorum Princeps Neapoleo Urſinus Archidius) & interea multa incommoda paterentur, eò quòd cibaria iis ſubtraherentur, & domus eorum diſſiparentur, hæc non ferentes Card. Vaſcones ignem in Conclavi poſuerunt, quo incenſa eſt magna pars civitatis: ſive hoc ut aliis placitum, à familiaribus Cardinalium non minùs & ipſis inter ſe diſſentientibus factum fuerit, ſicque re infecta egreſſi ſunt ad finem menſis Julij, & quamvis in id conſenſiſſent, ut præſcripto tempore in locum deſignatum rurſus convenirent, nihilominus auctis ultro citroque per malevolentium ſtudia odiis ac prætereà de loco diſcordantes per diverſas urbes diſperſi, & ad Principum ac piorum virorum hortationes obſtinatè ſurdi, eo ſtatu per duos annos & aliquot menſes permanſerunt

non ſine gravi Reipublicæ Chriſtianæ ſcandalo & incommodo. Ita Chronologiſtæ qui tunc vivebant, Bernardus Guidonis, Admaricus Augeri, & Auctor memorialis hiſtoriarum. Anno Chriſti 1316. Ludovicus Rex Franc. accivit Lugdunum Cardinales tunc numero 23. per varia loca diſperſos, qui ubi ſpecie negotiorum regni aliorúmque privatorum ſinguli ſeorſum advocati (pactis tamen præviis ne clauderentur, & ut de Lugduno liberè recedere quando libitum eſſet valerent) ubi advenerunt, invitos reluctanteſque in Conclavi apud Fratres Prædicatores præparato concluſit, minis adhibitis inde non receſſuros antequam de Pontifice conveniſſent. Diſſidentes tamen adhuc per 40. dies demum Neapoleone Urſino authore facto compromiſſo de illo recipiendo quem Jacobus de Oſſa Epiſcopus Cardinalis Portuenſis nominaſſet, is ejuſdem Neapoleonis ſuaſu ſeipſum nominavit, factum comprobantibus Cardinalibus veritis; ne quem alium minus ſibi gratum haberent, Pontifex renuntiatus eſt 7. Idus Auguſti & 6. Idus Septembr. coronationis inſignia ſuſcepit in Eccleſia Cathedrali aſſumpto nomine Joannis & publicis ſcriptis edixit ſe Avenione moratutum, ut ſcirent omnes quo pergendum foret ad res cum eo tractandas, audiens plures Italiæ proceres Gibellinæ factionis ſe habere pro Vicariis Imperij, ſicque dominia ſua dilatare & Eccleſiaſtica occupare, conſtitutionem edidit menſe Aprili qua declarans vacante Imperio ejus juriſdi-

Digitized by Google

ctionem regimen & diſpoſitionem tam jure quàm conſuetudine ad Papam devolvi omnino prohibuit, ne quis quacumque dignitate Eccleſiaſtica aut ſæculi dignitate Patriarchali aut Regia fulgens, ejuſmodi Vicariis ſeu cujuſvis alterius officij nomen quamdiu Imperium vacaret retinere aut uſurpare præſumeret ſub pœna excommunicationis & interdicti in terras, Epiſcopatum Toloſanum latiſſimum & completiſſimum exeriit à Narbonenſi Metropolitano, & in Archiepiſcopalem erexit conſtitutis ipſi propriis ſuis terminis, & ſuffraganeis. B. Ludovicum Epiſcopum Toloſanum Ordinis Minorum catalogo Sanctorum adſcripſit Avenione 1316. 7. Idus April. Clementis V. Conſtitutiones. vulgò Clementinas dictas, approbatas legi publicè in ſcholis jubet. 1319. inſtituit in Portugallia Ordinem Militarem ad reſiſtendum Sarracenis pro defenſione fidei, iiſque aſſignat Templariorum in iis partibus bona. 1320. S. Thomam Aquinatem Sanctis adſcripſit. 1322. Magno inito prælio in Germania inter Fridericum Auſtriacum, & Ludovicum Bavarum Imperij competitores, vincitur, capitur, & poſt triennij cuſtodiam dimiſſus Fridericus moritur: hincque Ludovicus ſolus pro Cæſare ſe gerit, cui Papa 1323. jubet abdicare Imperium, & ſequenti anno excommunicat; à quo ipſe ad futurum Concilium provocat. Hincque natæ multæ tragœdiæ. Objicit enim Bavarus 36. articulos hæreſis. Simoniæ, & enormium delictorum. Offen-

Digitized by Google

ſos à Pontifice ob promulgatam Conſtitutionem, cujus initium eſt: *Ad conditorem Canonum*, Franciſcanos, ex ipſis habet Marſilium Patavinum, Joan. Andegavenſem, & Gulielmum Ocham Anglum qui acuit ſtylum in Papam: is autem anathemate obſtrictus æquè idem damnatus eſt à Schola Pariſienſi, exuſtique ejus libelli. Ludovicus invitatus à Gibellinis Lombardiæ ducit exercituum in Italiam. Mediolani coronâ ferreâ decoratur, & Romæ novo ritu in Baſilica Vaticana coronatus eſt à Romanis civibus Sciarra Columnenſi, & 3. aliis: habitóque poſtea Schiſmaticorum Conventu Nicolaus Fabridanenſis, Anguſtian. Ordinis, Apoſtata publicè ter excommunicavit Papam, & in fine ſermonis quem habuit quidam Abbas Germanus, lecta & publicata eſt Sententia depoſitionis Joannis XXII. ob 36. articulos. Imperator autem promiſit inſtituendum in brevi novum legitimúmque Pontificem, hincque poſt duos menſes, ſcilicet in Majo congregat populum.

SCHISMA XXIV.

Anno 1328. Ludovic. Bavarus Imp. eligi fecit in Conventu Schiſmaticorum Romæ Pſeudo-Papam Petrum de Corbaria Diœceſis Reatinæ in Umbria, qui relicta uxore Ordinem Minorum S. Franciſci profeſſus erat: vide quæ notavi in Digeſti titulo de Eccl. Romana, fol. 1063. qui Nicolaus V. dictus eſt: & ſtatim 12. Cardinales creavit.

quos ſuperllẹctili cuncta donavit, & regnavit annos tres, menſes 3. Ludovicus anno ſeq redit in Germaniam deficiente jam ab eo ferè totâ Italiâ, quia ubique pro excommunicato proclamatus erat: Nicolaum autem commiſit tutelæ Facij Comitis Piſani, qui tranſmiſit eum in manus Joannis XXII. ipſe antem poſtridie ab adventu Avenionem in publico Conſiſtorio abjecit ſe ad pedes Pontificis, laqueo in collum inſerto veniam & vitam deprecatus: Papa prolixæ ejus orationi ſua omnia commemoranti illachrymavit, & è terra ſublatum oſculatus eſt: vixit autem in Palatio Pontificio, ſub cuſtodibus neminem alloquens tres annos, ſepultúſque eſt in Eccl. Minoritata, cum habitu relig.. Joannes compreſſo Schiſmate, nam abdicarunt Anticardinales, expeditionem in Agarenos promulgat, conceſſis Decimis Philippo Valeſio Franciæ Regi ad hanc expendendis. Malè audit ob evulgatam opinionem de receptaculis animarum, uſque ad corporum reſurrectionem. Sed 3. die Decemb. Bullam edidit quâ affirmavit animas beati in cœlo, aliáſque in inferno ab obitu cruciari, ſalutationem Angelicam quæ ter in die ſono campanæ deſignatur, induxit de impoſitione Annatarum, & frequenti beneficiorum permutatione ſordere fecit Eccleſiam. Orando autem, ſumptáque Euchar. obiit nonagenario major, relinquens 17. milliones auri cuſos, & ſeptem non fabricatos, cùm ſediſſet annis 18. m. 4. Carthuſiam Bompaſſi fundavit: jacet in Eccl. S. Mariæ de Domnis, de-

functus anno. M.CCC.XXXIX.die IV.Decemb.
BENEDICTUS XI. dictus XII. Tholoſanus, ex Monacho Ciſtercienſi, Cardinalis ſcientiſſimus, etſi ignobilis, & patre molitore, poſt 16. dies præficitur à 23. Cardin. recluſis in Conventu Dominicanorum. Mox latas in Bavarum cenſuras confirmat uti uſurpatorem Imperij, quod vacans conſequenter ad Sedis Apoſt. Epiſcopum credens devolutum, Vicarios ſuos creavit Primates illos, qui dominationem civitatum in Italia captarant pendente bello. putà Gonzagam Mantuæ, Eſtenſem Ferrariæ, Scaligerum Veronæ, alios aliarum: permiſitque ut à jure Imperij abirent. Pacem componere inter Philippum Franc & Eduardum Angliæ Reges tentavit in caſſum: iſte enim reſiliit à fidelitate, quam juraverat Philippo, atroxque intulit bellum pro jure regni in perniciem utriuſque gentis, cœpitque Anglus ſe Franciæ Regem ſcribere 1336. & armis liliatis uti. Decretalem edidit, quòd animæ nihil habentes expurgabile, ut decedunt, ſtatim gaudeant Dei conſpectu, & contrà ſentientes pronuntiavit hæreticos. Indignos arcuit à beneficiis, dicens ſe nolle exornare lutum. 1338. Bavarus cum injuſto ſe anathemate innodatum quereretur, quòd nihil peccaſſet, & tamen eo ſolvi quæreret, nec impetraret, detrectans conditiones; Conventum habet Spiræ, in quo Imperatorem nemini ſubditum, ſed omnes ipſi edicit, hocque Academiis docendum profert, Okam & Dantis Poëtæ ſcriptis robo- 1334

ratum, ſed Catholicis nonobſtante vexatione Imperatoris erroneum: hincque rejecto Bavaro, Romani ad ſubjectionem Pontificis redeunt, quibus ipſe concedit Senatoriæ dignitatis authoritatem Pontificio nomine. Palatium Avenionen. magna ex parte conſtruxit: beneficia per obitum vacantia reſervavit Sedi, cui multum congregavit, nequaquam parentibus, dicens: Papam non habere conſanguineos. Optimè functus anno 7. m. 3. ſepelitur in Cathedrali de Domnis, ubi & miraculis claruiſſe dicitur ab authore vitæ ejus quam Boſquetus vulgavit & Henriquez in faſciculo SS. Ord. Ciſterc. Obiit die xxv. April. anno M. CCC. XLII.

CLEMENS VI. Lemovicenſis, ex fami-
1342 lia Canillaca. primò Monachus Benedictinus, deinde Arch. Rothomagenſis, & Card. ob innatam comitatem in omnes, & ſingularem doctrinam eligitur die 7. Conclavis in conventu Dominicano, ubi coronationis inſignia ſuſcipit, moxque 10. Cardinales creat, & rogatus à Romanis & conſiderans paucos ad annum 100. pervenire ſacrum Jubileum ad annum quinquageſimum reducendum indixit. Ludovicum Bavarum contumacem confirmatis cenſuris in eum latis omni dignitate & honore privatum declaravit, mandavitque Electoribus ut ſe ſe ad alium Imperatorem deſignandum diſponerent. Hoc interim anno 1343. Michael Generalis Minorum Ceſenas pervicaciæ Imperatoris olim ardentiſſimus incentor Avenionem accedens data retractatione

in ſcriptis quam PP. voluit eſſe formulam ſchiſmaticis pœnitentibus, veniam obtinuit, & 4. ab hinc annis pariter Guillelmus Oxam Clemens ſuſcipit curã Joannæ, quam Robertus Rex Siciliæ illiberis hæredem regnorum ſuorum declararat, utpote ex filio Caroli neptem, & coronari facit Neapoli per Cardinalem Aimerium, cui interim curam regni demandarat ob teneram ejus & viri ſui Andreaſſi fratris Hungarorum Regis, cum autem anno 1345. quinto Kalend. Oct. Andreaſſus noctu ſtrangulatus fuiſſet, & culpa communiter in Joannem derivaretur, auditam avenione in pleno Conſiſtorio 1348. præſentibus Oratoribus Regis Hungariæ inſontem declaravit, & titulum Regium Ludovico filio Principi Tarentini Joannæ ſecundo viro attribuit. Ita Villanius & Summuntius maxima charitate & ſollicitudine temporali & ſpirituali ſuccurrit calamitati temporis ſæviſſima peſte infecti. Anno 1348. die 9. Junij Clemens emit à Joanna Regina civitatem Avenionenſem cum omnibus ejus juribus pretio octoginta millium florenorum auri de Florentia contractum, approbante Ludovico ipſius viro, tunc adhuc titulum Comitis Provinciæ gerente: antiqua Chronica referunt emptionem à Carolo Romanorum Rege, quòd teneretur in feudum ab Imperio approbatam & confirmatam fuiſſe cum renuntiatione omni juri feudo ac recognitioni quæ in eam Imperio competere poterat, qua de re extat aureum diploma datum Gorlithij Kalend. Novemb.

Digitized by Google

ipſius anni. Hac ſeu alia pecuniæ inſtructis decem triremibus Joanna cum Ludovico Neapolim redierunt. B. Ivonem Britonem decretalium Doctorem, pauperúmque Patronum dein Tertiarium Minoritam canonizavit. Poteſtatem fecit Regibus Franc. ſub utraque ſpecie quandocumque id optarent communicandi, licet autem litteratiſſimus & prodigioſæ fuiſſet memoriæ, tamen & quod occupatiſſimus eſſet compendiorum fuiſſe avidiſſimum tradit Petrarcha. Obiit optimè functus annos 10. m. 7. traductus pro ſepultura, ut vivens caverat, ad Monaſterium ſuum antiquum Caſæ Dei in Arvernia. Obiit anno M. CCC. LII. die 6. Decemb.

1532. INNOCENTIUS VI. Lemovicenſis Canoniſta maximus ex Epiſc. Claramont. & Card. Oſtienſi renuntiatur 2. die incluſionis in Palatio Pontificio, & in Cathedrali expeditè coronatur, quia Joannes Rex Franc. properabat ad gratiam ſibi procurandam: electionem maturarunt itaque Cardinales libertatis propriæ æmuli. Fuit is tamen Regi amicus, vitæ integerrimæ, Romanæ curiæ reformator, qui reſidentiam Prælatis injunxit, & parſimonia ad pauperum ſubſidium. Menſtrua Auditoribus Rotæ, & Judicibus ſalaria conſtituit, ne muneribus corrumperentur, qui in victu domeſtico admodum frugalis fuit, in repetendis tamen quæ à tyrannis in Italia de bonis Eccl. Romanæ ſuperioribus temporibus occupata fuerant largiſſimum ſe ſe præbuit miſſo ad id exe-

Digitized by Google

quendum legato Ægidio Alvari, Albornotio Cardinale regia ex ſtirpe, peritia militari inſigni; qui intra quinquennium, quà vi armorum, quà metu, quà ſuaſionum efficacitate cuncta amiſſa recuperavit, qui ingreſſus Italiam non invenerat in toto dominio Eccleſiæ, ubi poſſet caput ſuum tutò reclinare niſi in Patrimonij Provincia montem Flaſconem & in ducatu ſpoleti Montem-falcum, Franciſcum Baroncellum Romani Tribunitij invaſorem per Nicolaum Rienſum, quem Rex Boëmiæ vinctum in ejus manus remiſerat, Romam remiſſum deturbavit: vigente autem diſcordia Regem Cypri Senatorem, ſeu Tribunum præfecit. Carolum Imperatorem per Cardinales ad id delegatos Romæ coronavit, qui mox in Germaniam rediit, uti ſpoponderat. Carthuſiam Villænovæ ædificavit in qua inhumatur, cùm ſediſſet annos novem, totidémque menſes, defunctus anno M. CCC. LXII. die 12. Septembris.

URBANUS V. natione Gallus, patria Mimatenſis, dictus Guillelmus de Griſaco, Abbas S. Victoris Maſſilienſis, nec 1352
Cardinalis, nec præſens eligitur, legationem enim agebat in Italia: accerſitur tacitâ electione ejus, ne ab Italis detineretur: conſecratur Avenione in Cathedrali. Rex Franciæ Joannes ſolutus ab Anglica captivitate venit ad Urbanum reverentiæ cauſa, coram quo Papa expeditionem contra Turcas publicavit, quam Rex ipſe paravit, cum ipſa

profecturus: ſed cum prius in Angliam transmiſiſſet, ut de obſidibus datis, & ſecuritate pacis tranſigeret, morbo oppreſſus Londini diem clauſit, ſuccedente ipſi filio Carolo dicto *Sapiente*. 1364. Urban. ann. 4. Romam petit, die 9. Junij Viterbium pervenit, ubi die 4. Aug. Ægidius Alvarus Cardin. Legatus Apoſt. de Romana Eccl. in vindicandis bonis ejus optimè meritus diem obiit, cujus obitum moleſtiſſimè tulit Urbanus, cujus meritis id tribuit ut quicumque feretrum quo corpus ejus Toletum in Hiſpania, ut teſtamento caverat transferebatur, quantocumque ſpatio bajularent, eandem peccatorum veniam conſequerentur, quæ anno Jubilæi viſitantibus Vaticanam baſilicam concedi conſueverat: toto itinere obvij populi catervatim, ſe ſe ad id officij effudere quod & ipſe Rex Caſtellæ Henricus ejuſque Principes præſtitiſſe traduntur.

Ferunt non apud Viterbium PP. ſuggeſtione quorundam Card. rationem adminiſtratæ Legationis, & collectorum vectigalium petiiſſet, ipſe claves urbium arciúmque à ſe recuperatarum vix capiente curru pro ratione obtuliſſe, ejuſque animi magnitudinem conſtantiámque admiratum fuiſſe Pontificem, illoque laudato dixiſſe rem Eccleſiaſticam non magno impendio receptam fuiſſe, ejuſque parcitati gratias habendas.

Urbanus ubi Romam pervenit 16. Octob. 1367. celebravit in Altari S. Petri in quo à tempore Bonifacij VIII. nemo celebraverat:

Digitized by Google

Advolat Carolus IV. Imperator, exhibétque Papæ officium Stratoris, & in ejus Miſſa Evangelium decantat. Advenit, & Paleologus Imperator Conſtantinop. quem Urbanus honorificè ſuſcepit, & ſæpè ad menſam admiſit, & audivit emittentem profeſſionem fidei Romanæ ante aram S. Petri. Diligenter conquiſivit capita Apoſt. Petri & Pauli, quæ thecis argenteis incluſit, & ſolemniter in Altari majori Lateranenſi collocavit. Ad æſtivos calores declinandos Urbeveti,& Montifiaſconi magnifica ſucceſſoribus ædificavit Palatia. Anno 7. 17. Kalend. Maij, Beatum Elzearium, qui Pariſiis obierat 1323. ad cujus ſepulchrum in Conventu Fratrum Minorum Aptenſis civitatis in Provincia multa fiebant miracula, SS. Confeſſorum Catalogo ſolemniter adſcripſit. Capitulum Canonicorum inſtituit in pagis Bedoriſca, ubi mater ejus quieſcit, & Queſaſco vicinis caſtro paterno *Griſaco*, prope urbem Mimatum, cujus Eccleſiam reparavit. 1369. Româ redit Avenionem ſtudio ſedandi Anglicanum bellum: ibi morbo correptus januis patentibus Cameræ agonizat, ut tranſitus ejus vitæ, homines de morte moneret: mandátque more pauperum corpus ejus ſepeliri in Cathedrali, hincque Maſſiliam oſſa transferri in Eccl. S. Victoris, ubi fuerat Abbas. Miraculis clarus dicitur, factáque eſt inſtantia Clementi VII. de ejus canonizatione: Virgo creditus eſt, nec unquam dimiſit habitum Cluniacenſem, quem in Monaſterio Diœceſis Mima-

tenſis ſuſceperat. Sedit ann. 8. m.4. Obiit die 19. Decemb. anno M. CCC. LXX.

1370. GREGORIUS XI. Lemovicenſis, Petrus Rogerius dictus, Comitis Belleſortis filius, Clementis VI. ex fratre nepos, ideóque ex ſtirpe Canillaci; Baldi Juriſperiti Peruſiæ auditor inſignis, factus à patruo Cardinalis 17. annum agens, in 35. creatur Pontifex, à 19. Cardin. in Palatio recluſis, coronatur in Cathedrali. Perſeverantibus *Bernabove* & *Galeatio*. Vicecomitibus Mediolanenſium crudeliſſimis tyrannis PP. agit in eos cenſuris & armis. Anno 2. ſolemnitatem Præſentationis B. Mariæ Virginis inſtituit, quam magnificè celebravit in Eccl. Fratrum Minorum celebrato muſicaliter Officio quod Rex Cypri miſerat. Anno 1376. 13. Septemb. contra conſilium Conſiſtorij dehortationem Regis Franc & amicorum patriſque adhuc viventis Avenione receſſit cum Cardinalib. ſex exceptis qui ibi remanſerunt inter Italicum aſſumens cum 21. triremibus continuis ſæviſſimis agritatus procellis variiſque locis diu detentus. Romam tandem pervenit 17. Januarij 1377. Inſtituit Officium de Inventione & Exaltatione S.Crucis; & ut Nativitas Virginis celebraretur cum vigilia & jejunio, poſt ejus in urbem adventum, defecerunt à promiſſis & obedientia Romani Florentini maximè qui obſervationem interdicti ſuſtulerint, & per urbem agrúmque palam & publicè in templis. Sacerdotes celebrare compulerint

Laudatiſſimus omnibus Romæ obiit ſummo veſicæ dolore, cui & Florentini, & ſi parum amici ſolemnes inferias dixerunt: refert porro Gerſon lib. de examine doctrinæ parte 2. & ex eo Nauclerus ipſum in extremis poſitum, habentem in manibus ſacrum Chriſti Corpus, proteſtatum eſſe coram omnibus, ut caverent ab omnibus ſive viris ſive fœminis ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui capitis, quia per tales ipſe ſeductus dimiſſo ſuorum rationabili conſilio (de non referenda Sede Romani) ſe & Eccleſiam ad diſcrimen imminentis Schiſmatis traxerat. Sedit annos 7. menſes 3. dies 7. Mortuus anno M. CCC. LXXVIII. die 27. Martij.

URBANUS VI. Neapolitanus familia Prignana nobili Archiepiſcop. Barenſis 1378.
jam ſexagenarius populo Romano cum fuſtibus & armis atrociter urgente eligi Romanum ſaltem aut Italum à 16. Cardin. in Conclavi recluſis (erant enim in Eccleſia 23. omnino, ſexque remanſerant Avenione quando Gregor. Italiam petiit, & unus erat in Legatione Serazaniana) quorum 16. undecim erant Galli, unus Hiſpanus, 4. Itali metu mortis à ſeditione ſibi inſtantis, nec data de meritis aut vitæ ratione alicujus eligendi facultate maturius deliberandi ſubito & ex abrupto nominatus eſt, ea credulitate quod ſi eam dignitatem intuitu idemnitatis Cardinalium acceptaret, brevi tamen

(quam coactam ac proinde nullam ignorare non poſſet electionem cùm omnibus interfuiſſet) dimiſſurus eſſet ſic nominatum urgentibus denuo Romanis coronarunt die 18. Aprilis in die Paſchæ, qui cum non auderent in urbe electionem ejus impugnare conſueta obſequia ei uti legitimo Pontifici præſtiterunt, donec res ſuas Ultramontani ita diſpoſuiſſent ut conjurationem invaliditatis meditatam poſſent abſque periculo exequi, & certè Urbanus inurbanus omnino aſper & rigidus tam intempeſtivè ſe præbuit adverſus Cardinales quos acerrimè de moribus publica in concione redarguit, interminatus ſeveriſſimam animadverſionem ut videretur conſultò, & data opera eos ad rebellionem & ſchiſma incitare. Menſe itaque Junio ſpecie vitandi æſtus Romani Gallis maximè adverſi; Anagniam non quidem omnes ſimul ſed ſingulatim diverſo tempore abierunt, & in fine menſis extiterunt tredecim Ultramontani, nam Ambienſis ex Legatione redierat, omnéſque, excepto Petro de Luna, Galli. Ibi ut res ordine judiciario fieret ſe ſe ſiſterunt coram Petro de Caſtro Arch. Arelatenſi S.R.E. Camerario ac Judice Ordinario pro tribunali ſedente, & juramento ac ſubſcriptione firmarunt adſtantibus multis Prælatis quæcumque in nominatione Archiep. Barenſis acta fuerunt ex metu mortis incuſſo facta fuiſſe ad ſedandum populum, quare ter monuerunt ipſum per religioſos & Prælatos, ut qui op-

Digitized by Google

time noſſet ſe non eſſe legitimum Pontificem eam dignitatem deponeret, & non pateretur graviſſimum ſchiſma in Eccleſia oriri, ſicuti & ipſe ter ad eos Oratores ſuos nobiles quoſdam, nec non tres Cardinales Florentinum, Mediolanenſem, & Urſinum miſit, ut ad obſequium & concordiam redirent, cúmque fruſtra omnia fierent, & recenſi Cardin. monuiſſent eum de inſtanti ſchiſmate, demum Anagnienſes eoſdem tres qui cum Urbano Tibure erant, citarunt ad novum legitimum Pontificem Sede vacante eligendum; & Camerarius ipſi Urbano diem dixit nominans eum Bartolo. Arch. Barenſ. ut jus ſuum tueretur & proceſſus contra ipſum habitos audiret. Hiſque præmiſſis iidem 13. Cardinales facientes, ut dicebant ultra duas partes Cardinalium in urbe exiſtentium tempore obitus Gregorij XI. ſententiam in eundem Barenſem publicè promulgarunt unà cum litteris ad univerſos fideles quibus poſt narrata quæ ſupra jurata vidimus de vi ſibi illata & Barenſis intruſione quem non Apoſtolicum ſed Apoſtaticum & Antichriſtum nominabant, hortabantur omnes non adhærerere ei aut ejus dictis & mandatis obedire. Acciti poſtea fuere præfati tres Card. ſub ſpe Pontificatus cuilibet facta, ſi rem ſecretam haberent, veneruntque Fundos urbem regni Neapolitani non procul à mari ad quam Anagnienſes receſſerant annuente Regina Joanna quæ cum priùs toto animo faviſſet Ur-

Digitized by Google

bano, copias armatas, cibaria, pecunias, aliáque neceſſaria abundè ſubminiſtrando cognito tamen, ut Summuntius narrat cum intentione ſuos faciliùs evehendi tractaſſe jam de Carolo Cyrrachij Duce Reginæ Patruele in regnum intruendo averſa ab eo eſt.

Communi ergo ſuffragio Robertus ex Comitibus Gebennenſibus Presbyter Card. renuntiatus eſt Papa die ultima Octobr. qui Clementis VII. nomen aſſumpſit, ſicque factum eſt ſchiſma pernicioſiſſimum 40. annorum, jure utriuſque partis ita dubio & incerto manente, ut quælibet habuerit ſuos fautores Reges & regna, in quibus peritiſſimi Theologi & Juriſconſulti nec non & ſanctiſſimi viri miraculis fulgentes, qui partem ſuam ſanctam adverſam profanam aſſererent, ut notat S. Antonin, Itali, Joanna excepta, Germani, Angli, Hungari ſtant ab Urbano, Galli, Hiſpani, Scoti, Lombardi, Sabaudi Clementem ſequuntur, horrenda inde ſequitur rerum confuſio, Pontifices ſibi ipſis invicem anathematibus & armis inſidiantur, & quod unus ligat, alter ſolvit, quod unus dat alter reſcindit, inde lites, rapinæ, cædes, &c. Clemens Fundis ubi aliquamdiu moratus eſt bellum cruentum per ſuos Britones & Vaſcones & alios Partiarios Urbano Romæque infert, amiſſis copiis Neapolim menſe Maio petit, ſed civibus ſeditionem moventibus in favorem civis ſui Urbani, Italia ſecedit, & Avenionem

Digitized by Google

recipit cum ſuis & ſex quos Fundis crearat Cardinalibus, ſummo ab incolis & ſex qui remanſerant Card. gaudio exceptus Urbanus cooperante ei B. Catharina Senenſi concitat Regem Hungariæ adverſus Joannam Reginam quam 1380. abdicat regno Siciliæ hanc Carolus Dyrrachinus ingratiſſimus ſuffocari juſſit anno 1381. Superſedeo tragædiis infæliciſſimi hujus temporis utrique Pontifici ludendis ut ſuos continerent: unum ex Gobelino qui Urbano adſtabat, notabo eum anno 1389. inſtituiſſe feſtum Viſitationis B. Virginis, & Jubileum ad 33. annum reduxiſſe intuitu paris numeri vitæ Chriſti, ex cujus vitæ omnes emanant indulgentiæ. Sedit infæliciter annos 11. m. 6. veneno ut creditur ſuffocatus.

Inſtitutio feſti Viſitationis B. Virginis.

SCHISMA XXVI.
41. *Annorum.*

Sic electus Clemens Avenionem ſe recepit, hincque Joanna comitatur cum Card. inde Schiſma, quod omnium duriſſimum duravit 40. annis, uſque ad Concil. Conſtant. Itali præter Joannam, Germani, Angli, Ungari, Urbanum, Galli, Scoti, Hiſpani, Inſubres, atque Allobroges, Clementem ſequuntur: utrimque dilaceratur Eccleſia, labaſcit in Principes fides & juſtitiæ vigor, ſerpunt hæreſes & ſuperſtitiones, vigéntque tyrannides. Urbanus vindictæ intentus Ludovicum Hungariæ Regem impulit, ut fra-

Digitized by Google

tris ſui Andreaſſi, quem maritum ſuum deſpectum Joanna ſtrangulaverat, mortem ulciſcatur: advocat itaque Papa Carolum Durazzum ex Hungaria, qui armatus Italiam intrat. Romæ ab Urbano Senator creatur 8381. & Rex Neapolis coronatur, indéque adverſus Joannam Neapolim capit, ac toto regno potitur, menſe Septembri, & ſuaſione Ludovici Joannam ſtrangulat in eodem lecto quo fuerat Andreaſſus, & Mariam ſororem Joannæ capite plectit. Ludovicus Andegavenſis, Caroli V. Regis frater (quem Joanna ſpe prolis fruſtrata 1346. Ludovico Tarentini Principis filio poſt Andreaſſi necem, nupta adoptarat) 1379. coronatus à Clemente 1383. armis regnum petit, & victus obiit. Urbanus principatum Capuæ à Durazzo petit pro nepote, hócque negato, abdicat eum regno Noceræ, ubi Cardinales creat, & ſeptem ex primis incarcerat. Obſidetur & capitur à Durazzo: liberatur à Raymundo Orſino, Comitis Nolani filio, & cum triremibus Genuæ hanc navigat, & in itinere quinque ex captivis Cardinalibus ſaccis inſuit dejicitque in mare. Pontificatum infœliciter tenuit ann. 11. m. 6. Feſtum Viſitationis 2. Julij inſtituit, quo B. Virgo unionem Eccleſiæ impetraret. Mortuus eſt ann. M.CCC.LXXXIX. die 15. Oct.

1389. BONIFACIUS IX. Neapolitanus à 14. Card. qui Romæ tunc erant ſubrogatur, moxque Clementis erupit damnatio in eum &

& ſequaces viciſſimque Bonifacij in Clementem miſſa epiſtola encyclica anno 2. ad univerſos fideles in deteſtationem ſchiſmatis & exhortationem ad obedientiam Pontifici in Sede Romana ſedenti præſtandam, factâque legatione ad Carolum Franc. Regem, ad abdicandum Clementem; is autem cum ab univerſitate Pariſienſi urgeretur ad aliquam propoſitarum Regi viarum unionis amplectendam iracundia & anxietate correptus paucis poſt diebus nempe 16. Kal. Octob. apoplexia percuſſus diem obiit Avenione 1394. ſepultúſque eſt in Eccl. B. M. de Donis, Bonifacius Annatas beneficiorum inſtituit: molem Adriani arce munivit, & ſuo nutu Magiſtratus Romanos creavit, qui ab ipſis grande periculum incurrerat ut tantùm non occideretur Superſtitionem Alborum qui lineis indulti totam Italiam peragrarant proceſſionaliter crucem manu geſtantes & cantantes, noctesque in Eccleſiis indiſtinctè viri cum fœminis cubare ſuſtulit eorum Pſeudo-propheta qui flagitium detegerit & igni tradito. Notatur nimij affectus erga propinquos, commendatur quod mori potius elegerit, quam ad ſuaſionem medicorum calculo quo vexabatur liberari, ſi rem cum fœmina haberet. Sedit annos 15. menſe minus: defunctus die 1. Octob. anno. M. CCCC. IV.

Inſtitutio Annatarum.

INNOCENTIUS VII. Sulmonenſis qui dicebatur Coſmatus Melioratus, Camerarius S. R. E. ſubrogatur 15. die ab octo 1404

O

Cardin. Conclave ingreſſis qui ante omnia hoc ſe ſe juramento aſtrixerunt, ut quiſquis ipſorum renuntiaretur Pontifex liberè abdicaret, quoties alterius obedientiæ Papa (tunc erat Petrus de Luna Arragonius dictus Benedictus XIII.) idem faceret ſchiſmatis tollendi cauſa. Notandum enim eſt quod ab initio ſchiſmatis & deinceps agitabatur ubique qua ratione ac faciliori via poſſet illud extingui. Prædicatur Innocent. ornatus omnibus optimi Pontificis dotibus, hoc tamen exagitarunt Romani proceres ſtatum libertatis recuperare quærentes, quibus mitis & pacificus complacere ſtuduit, contigit autem 5. die Auguſt. congreſſum aliquem eorum qui ad regimen urbis fuerant electi non ſucceſſiſſe ut ſperabant à Papa; hos in receſſu Ludovicus *Melioratus* nepos audax & temerarius crudeliter interfecit undecim numero abſque ullo diſcrimine nocentium vel innocentium, cæteris fuga dilapſis. Hinc PP. penitus inſcius miro dolore tactus & anxius de gravi commotione populi fugit Viterbium, rebus ſuis expilationi relictis. Anno ſequenti pœnitentes Romani de injuriis innocenti Innocentio illatis revocant eum & integrum urbis dominium tradunt quod diuturnum non habuit cum 8. Idus Novemb. apoplexia mortuus ſit, cùm ſediſſet annos duos, d. 22.

1406 GREGORIUS XII. genere patricio Venetiis ortus dictus Angelus Corarius,

Card. tituli S. Marci electus eſt à 14. Conclaviſtis præmiſſo à ſingulis ſolemni voto, ac jurejurando ſuper Dei Evangelia, ut in quem caderet electio Pontifici adverſario ſtatim ſcriberet & invitaret ad ſe invicem abdicandum, procuraretque bona fide & ſine ulla fraude omni via & modo unitatem, quæ omnia quiſque in libellum redegit & chirographis ſuis firmavit.

Gregor. electus renovavit votum & juramentum priuſquam coronaretur, unde ex utraque obedientia reſcriptæ fuere litteræ, & miſſi nuncij, longa autem interceſſit colluſio mutua Pontificum contendentium. Gregor. contra fidem datam creavit Cardinales, hincque à primis deſeritur, & Carolus Rex Franc. deciſcit à Benedicto illudente, cúmque ſtatutum colloquium Pontificum nihil profuiſſet, Cardinales utriuſque obedientiæ Piſas ſeceſſere, ibique Concilium faventibus præcipuis orbis Chriſtiani Regibus celebrarunt, vacante ut dicebant Sede, in duorum incertorum Pontificum dubio. Sedit annos VIII. menſ. VII. die. 5.

ALEXANDER V. Cretenſis, ex Ordine Minorum, magnæ ſanctitatis, & doctrinæ vir, Archiepiſcop. Mediolanen. & Cardin. tit. SS. 12. Apoſtol. jam fermè nonagenarius, ſic electus eſt: 1409

Cardinales utriuſque obedientiæ videntes negotium extirpandi Schiſmatis, paulatim ad nihilum reduci, & non ſolùm Gre-

gorium XII ſed etiam Benedictum VIII. concordiam recuſare contra jusjurandum, & fidem, in ipſorum electionibus datam; Gregorium quoque contra idem jusjurandum, & fidem alios Cardinales, abſque ulla neceſſitate, & ipſis invitis creare: hanc nacti occaſionem ab eo tunc Lucæ commorante recedentes Piſas petiere. Quod cum plerique adhærentium Benedicto vidiſſent, cæteris Gregorij Cardinalibus qui Piſis erant ſe ſe adjunxerunt, ibique indixerunt Concilium.

Concilium Piſanum Oecumenicum.

Anno 1409. *Piſis congregati, Cardinales* 23. P*atriarchæ* 3. *Archiepiſcopi & Epiſcopi* 300. *Monaſteriorum* P*ræfecti* 280. *Theologi & Legati* P*rincipum Europæ, Gregorium XII. & Benedictum XIII. Pontifices, tanquam perjuros, Schiſmaticos, & Schiſmaticorum fautores, & colluſores publico omnium Decreto, nonis Junij à Pontificatu dejecerunt, hincque Ale-*

Digitized by Google

xander V. Cretenſis ex ordine Minorum magnæ ſanctitatis & doctrinæ vir Arch. Mediolanen. & Card. tituli SS. 12. Apoſtolorum dictus Petrus Philaretus 20. die poſt præfatam abrogationem ſubrogatus eſt. Seſſione 19. 15. Junij & Alex. V. nuncupatus quem verum & legitimè electum fuiſſe Papam dubitare non licet, nam tempore Schiſmatis cum non eſt certus Pontifex perinde eſt, ac ſi nullus omnino eſſet, tuncque Eccleſia ſeu Concilium eum ex facultate ſibi à Chriſto data eligit, alioquin deſeruiſſe eam videretur ſi multis dubiis & incertis pro ſummis Pontificibus ſe gerentibus obedire teneretur, hinc in brevi ſine dubio deſtruenda.

Seſſione 20. Alexander revocavit & nullos declaravit omnes & quoſlibet proceſſus confectos & ſententias latas toto tempore Schiſmatis & in iis quomodolibet comprehenſas perſonas aut communitates abſolvit, & iu integrum reſtituit Ladiſlaum ditionem Eccleſiæ, & Tuſciam devaſtantem regno Neapolis privavit, & Ludovico Andegavenſi competere declaravit approbante

Concilio, quo ſoluto Bononiam ſe contulit, ubi morbum incidens Cardinales ad ſe venientes hortatus ad concordiam, approbatiſque rurſum actis Piſanis *venenato clyſtere ut fama eſt, obiit, nulla facta promotione, laudatus communiter de liberalitate in pauperes, ita ut nihil ſibi relinqueret, unde per locum dictitabat ſe divitem Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum* Papam *fuiſſe. Sedit menſes decem, dies* 8. Defunctus die 3. Maij anno. M. CCCC. X.

1410 JOANNES XXII. dictus XXIII. Neapolitan. Legatus exiſtens Bononiæ Card. Coſſa dictus; ſubrogatur à 17. Conclaviſtis 17. die Maij conſecratus in Baſilica S. Petronij 25. menſis, quod autem armis magis aptus quàm religioni agnoſceretur Bononiam enim & plures civitates à tyrannis occupatas recuperaverat, multi de ejus aſſumptione ſcandalum paſſi ſunt & Platina, Nauclerúſque violenter creatum aſſerunt quippe qui armatos milites tum in urbe, tum in agris pro ſtatione haberet ſubſidia mediæ decimæ exegit à Gallia, paſſus repulſam ab univerſitate Pariſienſi petitionis decimarum. vacantiarum beneficiorum, ſpoliorúmque Sacerdotum defunctorum, quæ jure divino, naturali, Canonico & civili ſummo Pontifici & Cameræ Apoſtolicæ deberi contendebat, miſſo ad exactionem Arch. Piſano

Romam ingreſſus exactiones auxit. Sigiſmundum Hungariæ Regem eligendum Imperatorem commendat Electoribus, hac ratione ſibi hominis gratiam aucupans, & ad ſui Pontificatus protectionem præparans. Crucem publicari fecit anno 1412. adverſus Ladiſlaum Regem Siciliæ ſtatum Eccleſiæ armis & ſeditionibus infectantem, & Gregorium XII. ſub ſua tutela Caietæ conſervantem, pace autem compoſitâ Ladiſlaus abjecit Gregorium qui Ariminum ſe recepit apud Carolum Malateſtam veterem amicum illius civitatis Dominum.

Interea ab omnibus Chriſtianitatis partibus, quæ tres ſimul Pontifices ferre non poterant provocatur ad tollendum ſchiſma.

Concilium Conſtantien. Oecumenicum.

Anno Chriſti 1414. *tollendi cauſa Schiſmatis indictum Concilium per Joannem* XXIII. *Conſtantiæ in continuationem Piſani inchoatum eſt*; 1. *Novembris & magna Patrum conſtantia Sigiſmundique Imperatoris zelo & patientia celebratum eſt tribus*

annis & ſex ferè menſibus per 45. *Seſſiones. Huic interfuere una cum Joanne* Patriarcha 4. Cardinales 29. *Archiepiſcopi* 47. *Epiſcopi* 270. & *cum his Abbatum* Priorum *, aliorúmque Eccleſiaſticorum ac Doctorum maximus numerus præter* Principum, Procerum *, Comitum , & Oratorum multitudinem, ita ut aliquando inventa ſint uno eodemque tempore Conſtantiæ,* 30. *vel* 40. *millia equorum ex quibus numerum hominum colligere poſſis. Poſt adventum Imperatoris venerunt etiam nuncij Angeli Carriere nempe Gregorij* XII. & Petri *de Luna ſeu Benedicti* XIII. *quorum aliqui erant Cardinales qui permiſſi ſunt ingredi cum pileo rubro, non tamen ut admiſſi fuerint in conſortium cæterorum donec facta eſt Seſſ.* 4. *Julij* 1515. *Gregorij renunciatio per Carolum de Malateſtis; quia autem nondum advenerat Imperator , & expectabantur Antiſtites plures & Regum Oratores: dilatata eſt Seſſio ſecunda uſque ad menſem Martij anni ſequentis , appulit tamen Imp. una cum uxore ſua & Regina*

Digitized by Google

Boſnenſi ac Duce Saxoniæ, in vigilia Nativitatis noctu moxque ingreſſus Eccleſiam legit in habitu Diaconi Evangelium ad Miſſam ' *Pontificis. Seſſio* II. *die* 2. *Martij celebrata eſt in Eccleſia Cathedrali, in ea Joannes ſedens in Cathedra ante altare converſus ad Concilium ibidem congregatum profeſſus eſt, ſpopondit, promiſit, vovit ac juravit (tot enim diverſis verbis rem firmavit) Deo, Eccleſiæ, & Concilio dare pacem Eccleſiæ per viam ſuæ ſimplicis ceſſionis Papatus, eámque reipſa implere, ſi & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus de Carriere, Gregorius XII. in ſuis obedientiis nuncupati, Papatui quem prætendebant per ſe vel per procuratores ſuos crederent, atque etiam in quocunque caſu ceſſionis vel deceſſus. Quæ de re confecta eſt Bulla. Die autem* 20. *Febr. aufugit diſſimulato habitu ſcaſuſium oppidum Friderici Auſtriæ Ducis* 4. *milliaribus conſtantia diſtans, & inde diſceſſit Leuffemberg, poſtea Friburgum, inde Briſacum ad flumen Rheni, ſpe, ait Niemus in ejus*

vita, tractandi cum Duce Burgundiæ, cujus terræ aliquæ non longè aberant, de ſui ipſius abdicatione ex Germania ad Civitatem Avenionenſem, conducta jam ad hoc valida armatorum manu quæ tempus opportunum opperiebatur, rediit tamen Friburgum ubi legati Synodi eum convenerunt.

Seſſ. 3. confirmatum eſt Concilium ne ob fugam aut abſentiam Joannis aut aliorum quorumcunque Prælatorum diſſolveretur.

Seſſ. 4. publicatum fuit Decretum de poteſtate Concilij ſupra Papam quod Joan. Turrecremata Card. lib. 2. de Eccl. cap. 99. de ipſo Conſtantienſi tantùm pro extirpatione Schiſmatis collecto, & unione ac reformatione Eccleſiæ in capite & membris, intelligendum propugnat, non de quocunque univerſali Concilio.

Seſſ. 12. 29. Maij celebrata lecta eſt ſententia depoſitionis Joannis à Papatu & abſolutionis omnium Chriſtianorum ab ejus obedientia cum prohibitione, ne quis ampliùs eum Papam nominaret, aut ei tanquam Papæ quo-

Digitized by Google

cunque modo adhæreret, eúmque ſub cuſtodia Sigiſmundi Imp. honeſtè cuſtodiendum ſtatuit Concilium, reſervatis ſibi aliis pœnis, quibus pro ipſius criminibus plectendus foret, ſuo tempore declarandis. Quam ſententiam Joannes publico inſtrumento ratam habuit die ultima Maij puréque ſimpliciter ac liberè Papatui ceſſit & renuntiavit, depoſitis omnibus ornamentis Papalibus, quæ à quinque annis quindecímque diebus habuerat, Vacavitque Sedes uſque ad novam delectionem 2. annos, 5. menſes, dies 10.

Seſſ. XIII. 15. *Junij examinatus per nationum deputatos Epiſcopos & Doctores, error aſſerens Laicos debere neceſſariò Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie panis ac vini ſumere, poſſeque communicare etiam poſt Cœnam vel aliàs non iejunos, reprobatus eſt, & publicatum Synodi Decretum definiens ſtandum eſſe introductæ Eccleſiæ conſuetudini, ut à conficientibus ſub utraque ſpecie, à Laicis verò ſub panis dumtaxat ſuſciperetur, cùm firmiſſimè credendum ſit integrum Chri-*

Digitized by Google

ſti Corpus & Sanguinem, tam ſub ſpecie panis quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri, licet in primitiva Eccleſia fideles utraque in ſpecie communicarent, ad evitanda enim pericula & ſcandala quædam ex effuſione, aut vini horrore abſtemiis ingrati, laudabiliter talis inducta fuit conſuetudo in ſolida ſpecie panis communicandi, & pro reverentia à jejunis tantùm niſi in caſu neceſſitatis à jure vel Eccleſia conceſſo. Aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, aut in utraque abſque licentia communicantes, eſſe arcendos tanquam hæreticos ac graviter puniendos.

Seſſ. 14. 4. Iulij Carolus de Malateſtis lecto Syngrapho Gregorij purè, liberè ac ſincerè procuratorij ſui virtute renuntiavit & ceſſit juri titulo & poſſeſſioni Gregorio in Pontificatu E. R. competenti, eamque renuntiationem Concil. admiſit & collaudavit cantato Hymno Te Deum; confirmata autem prius fuerant quæ Greg. in adminiſtratione ſua ritè geſſiſſet, & recepti fuere Cardinales eius obedientiæ qui ſex

numerantur, ipſeque Gregorius ſeptimus in cæterorum conſortium creatus Legatus Marchiæ Anconitanæ, & declaratus Card. Epiſcopus Portuenſis ſecunduſque poſt Pontificem, mortuus eſt autem Recanati poſt biennium anno 1417. cum ab electione ſua ſediſſet annos quinque m. 11. quibus detraxeris annos duos menſes 6. dies 5. à privatione Piſana.

Seſſ. 15. Joannes Hus damnatur & crematur, damnatur etiam impia aſſertio de tyranni nece cuilibet permiſſa hæreticuſque declaratur quilibet aſſertor doctrinæ tum erroneæ in fide & moribus.

Seſſ. 16. die Jovis 11. deliguntur comites itineris Sigiſmundi ad Regem Arragoniæ, & Petrum de Luna quò eum ad ceſſionem inducerent exemplo Joannis & Gregorij, ſed duplici facto congreſſu inter ipſos de via ceſſionis, re infecta ob multiplicia Petri ſubterfugia deluſiones & ambiguitates, omnes receſſerunt. Petrus ſibi ab Imperat. Regeque Arragonio timens aut timere fingens ſe ſe Paniſcolam oppidum fir-

hincque Epiſcopum Majoricarum prō aliqua compenſatione creatum. Joannes XXIII. Sedit annos 5. dies 15. ante ſuam abdicationem, obiitque ann. M. CCCC. XIX. *die* 22. *Decembris.*

1417. MARTINUS V. ex conſenſu omnium nationum electus in Concilio Conſtant. conſecratur Epiſcopus, & coronatur ab Epiſcopo Cardin. Oſtienſi Gallo adſtante Conc. & Imperatore mox legatum mittit ad Petrum de Luna, qui reſpondet nequaquam poſſe abdicare. Seſſ. 45. Concilij omnia & ſingula Decreta Synodi fidem concernentia approbavit, & Florentiam ſeceſſit ubique egit totum annum & majorem partem ſequentis 1420. donec ſtatus urbis Romæ pacificus eſſet. Interea ad ipſum venit è Germania Balthazar Coſſa olim Joan. XXIII. qui cuſtodiendus datus fuerat Comiti Palatino, pretio triginta millium aureorum carcere exemptus & 14. die Junij publicè ad pedes Martini procumbens lachrymabundus eum ut Pontificem verum & unicum profeſſus & veneratus eſt, ratificans quæcumque in Concilio acta fuerant, collachrymantibus ad hæc aſtantibus, & tantam fortunæ mutationem cōmiſerantibus. Hunc PP. Card. Epiſcopum Tuſculanum Collegij Decanum creavit cæteris propius aſſidentem ei ob memoriam Papatus, vix autem ſex menſibus vixit honorificentiſſimè, ſepultus procurante Coſmo medice quem Plati-

na & Sabellicus ſcribunt theſauro ejus ita ditatum ut ditiſſimus omnium apud Italos deinceps ſit habitus. Romam ſecedens erigit Florentiam in Archiepiſcopatum ab adventu ejus mutata eſt facies urbis, & priſtino ſenſim reſtituta culmini, ita ut verus Patriæ parens nuncupari, & ſummus Pontifex dictus ſit, & quia ex decreto Conſtantienſ. quolibet decennio Conc. Generale celebrari debebat ſpecialiter vero quinto anno à Conſtantienſi, cujus locum deſignaret PP. ipſe Papiam determinavit, ſed ob peſtem graſſantem genus tranſlatum inchoatur ſub ejus Legato Juliano Cæſarino Card. interea Martin. obit Romæ cùm ſediſſet annos 13.m.3. d.12. ejus ſepulchro æneo legitur hoc elogium: *Temporum ſuorum fœlicitas.* Ejus obitus incidit in diem 20. Februar. anno M. CCCC. XXXI.

EUGENIUS IV. Venetus Epiſc.Senenſis Presbyter Cardin. ſuffectus eſt à 14. 1431.
Card. qui tunc in urbe erant qui antequam in Conclavi parato in Sacrario S. Mariæ ſuper Minervam ſepto à militia uſque ad Plateam Rotundæ ad electionem procederent, ſtatuerunt & jurarunt certos articulos ut in poſterum poneretur in litteris Apoſtolicis *de conſenſu fratrum noſtrorum*, non ſolùm ut priùs *de conſilio*, ut Papa non poſſet creare novos Cardinales abſque conſenſu antiquorum atque ut medietas patrimonij Eccleſiaſtici eſſet ipſorum Cardinalium, cæterùm fuit Eugenius magnus planè corpore & animo vir cultus Divini & Chriſtianæ

Concilio, quo ſoluto Bononiam ſe contulit, ubi morbum incidens Cardinales ad ſe venientes hortatus ad concordiam, approbatiſque rurſum actis Piſanis venenato clyſtere ut fama eſt, obiit, nulla facta promotione, laudatus communiter de liberalitate in pauperes, ita ut nihil ſibi relinqueret, unde per locum dictitabat ſe divitem Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Papam fuiſſe. Sedit menſes decem, dies 8. Defunctus die 3. Maij anno. M. CCCC. X.

1410 JOANNES XXII. dictus XXIII. Neapolitan. Legatus exiſtens Bononiæ Card. Coſſa dictus; ſubrogatur à 17. Conclaviſtis 17. die Maij conſecratus in Baſilica S. Petronij 25. menſis, quod autem armis magis aptus quàm religioni agnoſceretur Bononiam enim & plures civitates à tyrannis occupatas recuperaverat, multi de ejus aſſumption ſcandalum paſſi ſunt & Platina, Naucleruſque violenter creatum aſſerunt quippe qui armatos milites tum in urbe, tum in agris pro ſtatione haberet ſubſidia mediæ decimæ exegit à Gallia, paſſus repulſam ab univerſitate Pariſienſi petitionis decimarum. vacantiarum beneficiorum, ſpoliorúmque Sacerdotum defunctorum, quæ jure divino, naturali, Canonico & civili ſummo Pontifici & Cameræ Apoſtolicæ deberi contendebat, miſſo ad exactionem Arch. Piſano

Romam ingreſſus exactiones auxit. Sigiſmundum Hungariæ Regem eligendum Imperatorem commendat Electoribus, hac ratione ſibi hominis gratiam aucupans, & ad ſui Pontificatus protectionem præparans. Crucem publicari fecit anno 1412. adverſus Ladiſlaum Regem Siciliæ ſtatum Eccleſiæ armis & ſeditionibus infectantem, & Gregorium XII. ſub ſua tutela Caietæ conſervantem, pace autem compoſita Ladiſlaus abjecit Gregorium qui Ariminum ſe recepit apud Carolum Malateſtam veterem amicum illius civitatis Dominum.

Interea ab omnibus Chriſtianitatis partibus, quæ tres ſimul Pontifices ferre non poterant provocatur ad tollendum ſchiſma.

Concilium Conſtantien. Oecumenicum.

Anno Chriſti 1414. *tollendi cauſa Schiſmatis indictum Concilium per Joannem XXIII. Conſtantiæ in continuationem Piſani inchoatum eſt*; 1. *Novembris & magna Patrum conſtantia Sigiſmundique Imperatoris zelo & patientia celebratum eſt tribus*

annis & ſex ferè menſibus per 45. Seſſiones. Huic interfuere una cum Joanne Patriarcha 4. Cardinales 29. Archiepiſcopi 47. Epiſcopi 270. & cum his Abbatum Priorum, aliorúmque Eccleſiaſticorum ac Doctorum maximus numerus præter Principum, Procerum, Comitum, & Oratorum multitudinem, ita ut aliquando inventa ſint uno eodemque tempore Conſtantiæ, 30. vel 40. millia equorum ex quibus numerum hominum colligere poſſis. Poſt adventum Imperatoris venerunt etiam nuncij Angeli Carriere nempe Gregorij XII. & Petri de Luna ſeu Benedicti XIII. quorum aliqui erant Cardinales qui permiſſi ſunt ingredi cum pileo rubro, non tamen ut admiſſi fuerint in conſortium cæterorum donec facta eſt Seſſ. 4. Julij 1515. Gregorij renunciatio per Carolum de Malateſtis; quia autem nondum advenerat Imperator, & expectabantur Antiſtites plures & Regum Oratores: dilatata eſt Seſſio ſecunda uſque ad menſem Martij anni ſequentis, appulit tamen Imp. una cum uxore ſua & Regina

Boſnenſi ac Duce Saxoniæ , in vigilia Nativitatis noctu moxque ingreſſus Eccleſiam legit in habitu Diaconi Evangelium ad Miſſam Pontificis. Seſſio 11. *die* 2. *Martij celebrata eſt in Eccleſia Cathedrali , in ea Joannes ſedens in Cathedra ante altare converſus ad Concilium ibidem congregatum profeſſus eſt , ſpopondit , promiſit , vovit ac juravit (tot enim diverſis verbis rem firmavit) Deo , Eccleſiæ , & Concilio dare pacem Eccleſiæ per viam ſuæ ſimplicis ceſſionis Papatus , eámque reipſa implere , ſi & quando Petrus de Luna , Benedictus XIII. & Angelus de Carriere , Gregorius XII. in ſuis obedientiis nuncupati , Papatui quem prætendebant per ſe vel per procuratores ſuos crederent , atque etiam in quocunque caſu ceſſionis vel deceſſus. Quæ de re confecta eſt Bulla. Die autem* 20. *Febr. aufugit diſſimulato habitu ſcaſuſium oppidum Friderici Auſtriæ Ducis* 4. *milliaribus conſtantia diſtans , & inde diſceſſit Leuffemberg, poſtea Friburgum , inde Briſacum ad flumen Rheni , ſpe , ait Niemus in ejus*

vita, tractandi cum Duce Burgundiæ, cujus terræ aliquæ non longè aberant, de ſui ipſius abdicatione ex Germania ad Civitatem Avenionenſem, conducta jam ad hoc valida armatorum manu quæ tempus opportunum opperiebatur, rediit tamen Friburgum ubi legati Synodi eum convenerunt.

Seſſ. 3. confirmatum eſt Concilium ne ob fugam aut abſentiam Joannis aut aliorum quorumcunque Prælatorum diſſolveretur.

Seſſ. 4. publicatum fuit Decretum de poteſtate Concilij ſupra Papam quod Joan. Turrecremata Card. lib. 2. de Eccl. cap. 99. de ipſo Conſtantienſi tantùm pro extirpatione Schiſmatis collecto, & unione ac reformatione Eccleſiæ in capite & membris, intelligendum propugnat, non de quocunque univerſali Concilio.

Seſſ. 12. 29. Maij celebrata lecta eſt ſententia depoſitionis Joannis à Papatu & abſolutionis omnium Chriſtianorum ab ejus obedientia cum prohibitione, ne quis ampliùs eum Papam nominaret, aut ei tanquam Papæ quo-

cunque modo adhæreret, eúmque ſub cuſtodia Sigiſmundi Imp. honeſtè cuſtodiendum ſtatuit Concilium, reſervatis ſibi aliis pœnis, quibus pro ipſius criminibus plectendus foret, ſuo tempore declarandis. Quam ſententiam Joannes publico inſtrumento ratam habuit die ultima Maij puréque ſimpliciter ac liberè Papatui ceſſit & renuntiavit, depoſitis omnibus ornamentis Papalibus, quæ à quinque annis quindecímque diebus habuerat, Vacavitque Sedes uſque ad novam delectionem 2. annos, 5. menſes, dies 10.

Seſſ. XIII. 15. *Junij examinatus per nationum deputatos Epiſcopos & Doctores, error aſſerens Laicos debere neceſſariò Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie panis ac vini ſumere, poſſeque communicare etiam poſt Cœnam vel aliàs non iejunos, reprobatus eſt, & publicatum Synodi Decretum definiens ſtandum eſſe introductæ Eccleſiæ conſuetudini, ut à conficientibus ſub utraque ſpecie, à Laicis verò ſub panis dumtaxat ſuſciperetur, cùm firmiſſimè credendum ſit integrum Chri-*

ſti Corpus & Sanguinem, tam ſub ſpecie panis quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri, licet in primitiva Eccleſiæ fideles utraque in ſpecie communicarent, ad evitanda enim pericula & ſcandala quædam ex effuſione, aut vini horrore abſtemiis ingrati, laudabiliter talis inducta fuit conſuetudo in ſolida ſpecie panis communicandi, & pro reverentia à jejunis tantùm niſi in caſu neceſſitatis à jure vel Eccleſia conceſſo. Aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, aut in utraque abſque licentia communicantes, eſſe arcendos tanquam hæreticos ac graviter puniendos.

Seſſ. 14. 4. *Iulij* Carolus *de Malateſtis lecto Syngrapho Gregorij purè, liberè ac ſincerè procuratorij ſui virtute renuntiavit & ceſſit juri titulo & poſſeſſioni Gregorio in* Pontificatu E. R. *competenti, eamque renuntiationem* Concil. *admiſit & collaudavit cantato Hymno* Te Deum; *confirmata autem prius fuerant quæ Greg. in adminiſtratione ſua ritè geſſiſſet, & recepti fuere* Cardinales *eius obedientiæ qui ſex*

Digitized by Google

numerantur , ipſeque Gregorius ſeptimus in cæterorum conſortium creatus Legatus Marchiæ Anconitanæ , & declaratus Card. Epiſcopus Portuenſis ſecunduſque poſt Pontificem , mortuus eſt autem Recanati poſt biennium anno 1417. *cum ab electione ſua ſediſſet annos quinque m.* 11. *quibus detraxeris annos duos menſes* 6. *dies* 5. *à privatione Piſana.*

Seſſ. 15. *Joannes Hus damnatur & crematur , damnatur etiam impia aſſertio de tyranni nece cuilibet permiſſa hæreticuſque declaratur quilibet aſſertor doctrinæ tum erroneæ in fide & moribus.*

Seſſ. 16. *die Jovis* 11. *deliguntur comites itineris Sigiſmundi ad Regem Arragoniæ , & Petrum de Luna quò eum ad ceſſionem inducerent exemplo Joannis & Gregorij , ſed duplici facto congreſſu inter ipſos de via ceſsionis , re infecta ob multiplicia Petri ſubterfugia deluſiones & ambiguitates , omnes receſſerunt. Petrus ſibi ab Imperat. Regeque Arragonio timens aut timere fingens ſe ſe Paniſcolam oppidum fir-*

Digitized by Google

miſſimum regni Valentini ad maris eram rupi impoſitum proripuit. Interea dum expectatur Hiſpanorum acceſſus & Sigiſmundi reditus Patres in ſuis Congregationibus cognoſcunt de variis cauſis.

Seſſion. 21. de penult. Maij 1516. Hieronymus de Pragua, qui anno ſuperiori hæreſim abjurarat, eandem reſumit obſtinatiſſimus, ideo damnatur & comburitur.

Seſſ.29. die 8. Martij 1517. centeſima à citatione contra Petrum *de Luna Decreta accuſata eſt ejus contumacia, & ſtatutæ aliæ citationes.*

Seſſ.27. 26. Julij cui interfuit Imp. redux lecta eſt definitiva ſententia ipſius depoſitionis & abſolutionis omnium ab ejus obedientia.

Seſſ. 41. Cardinales ex triplici obedientia 20. unà cum ſelectis è quinque nationibus triginta Electoribus ingreſſi Conclave tertio poſt die nemp. Jovis 11. Novembr. elegerunt in Summum Pontificem Odonem *de* Columna *Romanum Diaconum Cardinalem qui in honorem S. Martini in cujus feſto ele-*

ctus fuit Martinus *dici voluit hoc nomine* Quintus *ingenti omnium lætitia collocatus in ſolio : quia tandem pax reddita Eccleſiæ celebratur* 40. *anno ſchiſmatis à duobus jam annis inchoato per creationem Clementis dicti Septimi adverſus Vrbanum VI. quanquam non omnino poſſit dici ſublatum ſchiſma quandiu ſubſtitit Petrus de Luna & ſucceſſor ejus Clemens VIII. dictus, qui ſemper aliquam obedientiam habuerunt ex protectione Regis Arragoniæ Martino V. infenſi ob denegatam inveſtituram regni Neapolis, vixit autem* Petrus *uſque ad extremum Novembrem anni* 1424. *qui menſe Septemb. anni* 1349. *clectus fuerat, unde quod tranſierit annos* Petri, *Antonin. & alij pro illegitimo haberi volunt; nemo enim etſi juvenis vidit hactenus dies* Petri *de Fuxo Cardinalis Ordinis Minorum, qui ſolutis in iterata ſua legatione difficultatibus inter Martinum* Papam *& Alphonſum movit ſucceſſorem Benedicti XIII. Clementem VIII. dictum ad abdicationem factam* 26. *Julij, Anni* 1428.

Digitized by Google

hincque Epiſcopum Majoricarum prō aliqua compenſatione creatum. Joannes XXIII. Sedit annos 5. dies 15. ante ſuam abdicationem, obiitque ann. M. CCCC. XIX. *die* 22. *Decembris.*

1417. MARTINUS V. ex conſenſu omnium nationum electus in Concilio Conſtant. conſecratur Epiſcopus, & coronatur ab Epiſcopo Cardin. Oſtienſi Gallo adſtante Conc. & Imperatore mox legatum mittit ad Petrum de Luna, qui reſpondet nequaquam poſſe abdicare. Seſſ. 45. Concilij omnia & ſingula Decreta Synodi fidem concernentia approbavit, & Florentiam ſeceſſit ubique egit totum annum & majorem partem ſequentis 1420. donec ſtatus urbis Romæ pacificus eſſet. Interea ad ipſum venit è Germania Balthazar Coſſa olim Joan. XXIII. qui cuſtodiendus datus fuerat Comiti Palatino, pretio triginta millium aureorum carcere exemptus & 14. die Junij publicè ad pedes Martini procumbens lachrymabundus eum ut Pontificem verum & unicum profeſſus & veneratus eſt, ratificans quæcumque in Concilio acta fuerant, collachrymantibus ad hæc aſtantibus, & tantam fortunæ mutationem cōmiſerantibus. Hunc PP. Card. Epiſcopum Tuſculanum Collegij Decanum creavit cæteris propius aſſidentem ei ob memoriam Papatus, vix autem ſex menſibus vixit honorificentiſſimè, ſepultus procurante Coſmo medice quem Plati-

Digitized by Google

na & Sabellicus ſcribunt theſauro ejus ita ditatum ut ditiſſimus omnium apud Italos deinceps ſit habitus. Romam ſecedens erigit Florentiam in Archiepiſcopatum ab adventu ejus mutata eſt facies urbis, & priſtino ſenſim reſtituta culmini, ita ut verus Patriæ parens nuncupari, & ſummus Pontifex dictus ſit, & quia ex decreto Conſtantienſ. quolibet decennio Conc. Generale celebrari debebat ſpecialiter vero quinto anno à Conſtantienſi, cujus locum deſignaret PP. ipſe Papiam determinavit, ſed ob peſtem graſſantem genus tranſlatum inchoatur ſub ejus Legato Juliano Cæſarino Card. interea Martin. obit Romæ cùm ſediſſet annos 13.m.3. d.12. ejus ſepulchro æneo legitur hoc elogium: *Temporum ſuorum fœlicitas.* Ejus obitus incidit in diem 20. Februar. anno M. CCCC. XXXI.

EUGENIUS IV. Venetus Epiſc.Senenſis Presbyter Cardin. ſuffectus eſt à 14. 1431.
Card. qui tunc in urbe erant qui antequam in Conclavi parato in Sacrario S. Mariæ ſuper Minervam ſepto à militia uſque ad Plateam Rotundæ ad electionem procederent, ſtatuerunt & jurarunt certos articulos ut in poſterum poneretur in litteris Apoſtolicis *de conſenſu fratrum noſtrorum*, non ſolùm ut priùs *de conſilio*, ut Papa non poſſet creare novos Cardinales abſque conſenſu antiquorum atque ut medietas patrimonij Eccleſiaſtici eſſet ipſorum Cardinalium, cæterùm fuit Eugenius magnus planè corpore & animo vir cultus Divini & Chriſtianæ

Religionis dilatandæ præcipuus zelator, ut ſcribit S. Antonin. qui multas præſumptiones & inſidias vitæ injuſtas æquanimiter & excelſo animo tulit deceſſoris inſtituto adhærens Concilium Baſileæ indixit, cui Legatum addixit Julianum Cardinalem qui ſeſſionem primam celebravit anno 1431. die 14. Decembris.

Spondanus luculenter ſcribit acta Conc. Baſileenſis ex M. S. Pariſienſis Collegij Navarrici & M.S. Bibliothecæ Regiæ, quoniam verò res fuit Octodecim ferè annorum infinitis implexa difficultatibus (Concilio ſtabilito moxque diſſoluto per Eugenij Decretum, tum per aliud metu ſchiſmatis redintegrato, iterúmque annullato cum omnibus actis ſuis, dein admiſſo reſciſſis utrinque quæ Conc. contra Papam, & ipſe contra Conc. ſtatuerat. Ad quæ adverte non eſſe reprehenſibile ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quoque varientur humana) Lectorem pro totius negotij ſerie percurrenda, neſcio an ex ejus prolixitate & diverſitate tædio afficiendum, mihi enim integrum non fuit in iis immorati, enucleandis remitto ad ipſum acuratiſſimum Annalium Eminent. Baronij continuatorem Spondanum, cujus ſi copiam non habeat noverit Baſileam generaſſe baſiliſcum, id eſt ſchiſma produxiſſe, lata ſententia depoſitionis à Papatu adverſus Eugenium (reclamantibus Regum & Principum Oratoribus) & obnixè petentibus, ut pro bono pacis differretur proceſſus contra Guy, qui Concilium juſtis

de cauſis ea maximè quod Græcorum unió cum Eccleſia Latina ſperabatur qui Baſileam acceſſuri non erant Ferrariam, tranſtulerat, indéque poſt ſeſſiones ſexdecim Florèntiam ob peſtem traductum & abſolutum 9. Seſſionibus. Ex Seſſione autem 33. Baſileenſi promulgatæ fuerant tres Aſſertiones, veritates fidei nominatæ.

Quòd Concilium eſt ſupra Papam & quemlibet alterum immediatè habens poteſtatem in Chriſto. Quòd Papa non poſſit Concilium legitimè congregatum, ſine ejus conſenſu, vel pro ſua authoritate diſſolvere, aut in aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre. Quòd prædictas aſſertiones pertinaciter impugnans hæreticus eſt. Hac ergo ex tranſlatione Eug. contumax convictus unitatis & pacis Eccleſiæ perturbator, perjurus ſchiſmaticus, à fide devius, pertinax, hæreticus, inutilis & damnoſus ad adminiſtrationem Romani Pontificis proclamatus eſt, & ab aliquo numero Patrum Baſileenſium depoſitus, & Sedes Apoſtolica declarata vacare, cui Seſſione 38. 3. Kalend. Novemb. 1439. obſervatis conclavium Ritibus datus eſt per 26. vota tertio ſcrutinio Electus in ſummum Pontificem, imò Antipapam, Amedeus Dux Sabaudiæ, qui renuntiato Ducatu primogenito filio ſuo vitam eremiticam ducebat in Ripaliæ Diœceſis Gebennenſis ſolitudine, & Felicis V. aſſumpſit.

Digitized by Google

Concilium Florentinum Generale. XVI.

Anno 1438. *præſidente perſonaliter Eugenio IV. Papa, celebratum eſt Concilium Florentiæ, cui præter* 141. *Epiſcopos interfuerunt Joannes VIII. Palæologus Græcorum Imperator, cum Demetrio fratre, Peloponenſi Principe, Joſepho Patriarcha Conſtantinop. Beſſarione Trapezuntino Epiſcopo Nicæno, Iſidoro Theſſalonicenſi, Archiepiſc. Ruthenorum, aliiſque magni nominis ex Oriente Antiſtitibus, & doctis viris. Ibique poſt multas diſputationes de Proceſſione Spiritus ſancti, de Purgatorio, de fœlicitate Beatorum jam Sanctis concesſâ de Primatu Rom. Pontificis, ejuſdémque ſuper omnes Eccleſias poteſtate, receptáque horum omnium Romana, & Orthodoxa doctrina, concesſóque, quòd ad Tranſſubſtantiationem parum referret, ſive in azymo, ſive in fermentato Sacramen-*

Digitized by Google

tum Euchariſtiæ conficeretur, tandem non tantùm Græcorum cum fide Latinæ Eccleſiæ, ſed etiam Armenorum (quibus Symbolum Conſtantinop. Concilij, cum illa additione, Filióque, *declarandæ veritatis gratiâ, & urgenti neceſſitate rationabiliter appoſitâ, aliiſque fidei Romanæ inſtructionibus datum eſt,) unio ſtabilita eſt. Et Beſrion, & Iſidorus doctiſſimi in Latinis pariter, ac Græcis litteris Cardinalatio pileo donati ſunt; quòd Eccleſiarum concordiæ præcipui promotores fuiſſent.*

Eugenium Romam reverſus, poſt multas revolutiones pacem init, cum Alfonſo Aragonio, quem Neapol. Regni legitimum dicit hæredem, ſub tributo annuo octo millium unciarum auri, & promiſſione, quòd Marchiam Anconitanum, à Franciſco Sfortia occupatam reſtitui Eccleſ. Romanæ curaret. Nicolaum Tolentinum Auguſtinianum, miraculis clarum Sanctis annumerat, anno 1444. *Æneam Silvium, qui Scriba Concilij Baſileen. fuerat, excipit Legatum ab Imperatore. Friderico III. in qua legatione Eugenio reconciliatus Concil. Baſileen. ſuâ ſen-*

tentiâ improbavit, quod & poſtea damnavit factus Pontifex: & cum ann. 1447. Principum Germaniæ Legatos, qui eum verum Pontificem rejecto Felice agnoſcebant, exciperet, diem clauſit, cùm ſediſſet annos ſexdecim minus novem diebus: magnus planè vir, ſemper ſibi æqualis. Ejus dies mortualis fuit 18. Februarij.

1447. NICOLAUS V. Lunenſis, Medici filius, unanimiter à 17. Cardin. Apoſtolico Solio imponitur reluctans, & meliorem ſuadens electionem: mox publicas orationes, ut proceſſiones indicit pro reſarcienda pace, iiſque peditans intereſt. Amedeum ſuaſione Concilij apud Lugdunum habiti pro ſchiſmate tollendo, & Friderici rogatu abdicantem remunerat Cardinalatu, & perpetuâ Legatione Germaniæ, treſque Cardinalium ſuorum admittit, ſicque ultimo extincto ſchiſmate dicebatur:

Lux fulſit mundo, ceſſit Felix Nicolao.

Lauſanæ defunctus. Inſtaurationis litterarum, & conquiſitionis librorum commendatur, qui quinque millibus ducatorum emerit autographum Evangelium S. Matthæi: Jubileo quem celebrat abundanter providit, cujus affluentia populi 19. Decembris, à benedictione in platea S. Petri regrediens verſus pontem S. Angeli, diſpendium paſſa eſt trecentorum hominum ex

Digitized by Google

mula exterrita, quæ calcibus & impetu multos exturbans, cum ipſis & tribus equis ſuffocata fuit. Hoc anno 1450. Bernardinum Senenſem Minoritam Sanctis adſcribit. Anno 1452. Fridericum Imperatorem Romæ coronavit. Anno ſequenti Conſtantinopoli à Mahomete capta penitus concidit Imperium Græcorum, ſub Conſtantino Helenæ filio ad portam occiſo, quod fuerat primitus inſtitutum ab ejus urbis dedicatione facta à Magno Conſtantino, & perduraverat 1122. annos Ac dehinc Orientis Imperium penes Turcas, & Ottomanos fuit. Græci permiſſu Mahometis eligunt Patriarcham Conſtantinop. Gennadium Scholarium, qui rurſum Græcos à Latina Hierarchia retrahit, & ſic deinceps Schiſmatici perdurant. Nicolaus verò Papa titulum Patriarchæ Beſſarioni conceſſit, qui eum ad obitum uſque retinuit: ſicuti & alij deinceps à Latinis Romæ creatis, tam illis, quàm aliarum Sedium Patriarchalium Orientalium Titulares Prælati. Hinc afflictus Papa tandem pacem preficit Italiæ inter Principes & Reſpubl. ſolis excluſis Genuenſibus. In patrimonio B. Petri plurimas, ac mitiſſimas arces opportunis locis erexit. Laudatiſſimus deceſſit è vita anno Sedis 8. d. 19. anno M. CCCC. LV die 24. Martij.

CALIXTUS III. Valentiæ in Hiſpania, 1455.
Alphonſus Borgia dictus, omnium temporis ſuis Juriſconſultiſſimus, Alfonſi Regis olim Conſiliarius, eligitur per acceſſum

Scrutinio, quia Alanus Card. Avenion. inclinantia in Beſſarionem ſuffragia avertit, hæc loquutus: Latin. Eccl. Papam Græcum dabimus, & in capite libri Neophitum collocabimus? Nondum barbam raſit Beſſario, & noſtrum caput erit? Quæ indigentia Eccl. Latinæ, quæ virum non reperit dignum, niſi ad Græcos recurrat: aſſumátque eum qui heri & nudius tertius fidem Romanam impugnavit? quid ſcimus, an vera ejus converſio? Inito Pontificatu animam convertit Caliſtus ad delendam Turcicam Gentem & legem, quo ſe voto adſtrinxerat ſi promoveretur, ut prædixerat B. Vincentius concivis quem Sanctorum Feſtis annumeravit hoc anno, 29. Julij. Sexdecim triremium claſſem ad maritima hoſtium devaſtanda loca paravit ſub Ludovico Card. Patriarcha Aquileienſi, & ad hoc, fœdus inivit cum Regibus Perſiæ, Armeniæ, Tartariæ, quorum legationes ſuſcepit. Anno ſeq. Mahometes Belgradum, Hungariæ famoſam civitatem, ob Hunniade defenſam obſidens cum ingenti exercitu, & ſtupendis machinis, vulneratus fugatur cæſis 50. millitibus Turcis: ob quam victoriam Papa inſtituit Feſtum Transfigurationis, quo die 6. Auguſti prælium commiſſum eſt, hujuſque Officium compoſuit. Canonicos ſæculares reſtituit Laterani in gratiam Romanorum, ex quibus 18. aſſumpſit, repulitque Regulares; quos Eugenius IV. ſubrogarat, Regnum Siciliæ ad jus, Eccleſiæ Rom. devolutum mortuo Alfonſo ſine legitimo hærede declara-

vit.

vit, paránſque arma ad repetitionem, obiit anno 3. m. 4. anno M. CCCC. LVIII. die VI. Auguſti.

PIUS II. Senenſis, antea dictus Æneas Silvius Picolomineus, à Calliſto Card. qui à Nicolao fuerat creatus Epiſc. Senenſis, vir eruditus, & induſtrius, creatus eſt à 18. Conclaviſtis. Ejus geſta hæc habe ex elogio, quod tumulo ejus in Baſilica S. Petri, & Sacello S. Andreæ, Franc. Cardinalis Senenſis, nepos inſculpſit. Pius II. Pont. Max. Conventum Chriſtianorum Mantuæ pro fide habuit. Oppugnatoribus intra atque, extra Italiam reſtitit: Catharinam Senenſem inter Sanctas Chriſti retulit: Pragmaticam in Gallia abrogavit: Ferdinandum Aragonenſem in Regnum Siciliæ eis fretum reſtituit, Rem Eccleſiæ auxit: Fodinas tum primum inventi aluminis apud Tolfam inſtituit: Cultor juſtitiæ & religionis. Vadens in bellum, quod Turcis indixerat, claſſem paratam, & Ducem Venetorum commilitones habuit Anconæ, ubi deceſſit, cum ſediſſet annos ſex. Brevis Pontificatus ingens gloria, reſtitit pro tuitione juris Eccleſiaſtici Francorum Regi, Ducem Auſtriæ qui Cardinalem Cuſa captivum detinebat, excommunicavit. Archiepiſc. Moguntiæ ob ſingulares opiniones Eccleſiæ incongruas depoſuit, pariterque Arch. Beneventi ob laceſſitam juriſdictionem Apoſtaticam abrogavit, & Epiſcopum Teronen. Legatum ſuum in Anglia, quia limites commiſſionis exceſſerat. Senas patriam ſuam in Metropo- 1458

Digitized by Google

lim erexit ſubmiſſis ei 4. Epicopis viciniori-bus Mantuæ agens decretum promulgavit 1450. appellationes ad futurum Concilium à judiciis Apoſtolicæ Sedis erroneas & inanes declaravit pœna execrationis in omnes quacumque dignitate fulgentes, qui ea deinceps uti auſi fuerint, & interdicti in communitates præter cenſuras in reos majeſtatis & hæreticæ pravitatis inflictas. Hoc poſt modum reiterato decreto Julius II. 1509. Venetos & Bentivolos Bononiæ oppreſſores à Pontificis judicio ad futurum Concilium appellantes tentavit coercere. Obiit XIV. Auguſti. M. CCCC. LXIV.

1464. PAULUS II. Venetus, ex ſorore nepos Eugenij, qui pileo eum donavit à 12. ſuffragiis electus in ſcrutinio, per acceſſum ſubitum 4. votorum aſſumitur communi applauſu. Mox Officiales Abbreviaturæ expunxit, inter quos Platina Cremonenſis, quem ob ideo aculeatam Epiſtolam carceri mancipavit: qui quò ſe honeſto titulo de hæc injuria ulciſceretur, vitas Pontificum præfectus Bibliothecæ Rom. à Sixto IV. deſcripſit, variis locis Paulum pungens. Refert illum humanitatis ſtudia ſic odiſſe, ut ejus ſtudioſos uno nomine hæreticos appellaret. Anno 2. Georgium Podiebracium Boëmiæ Regem, ob hæreſim quam profitebatur regno privat, illudque donat Mathiæ Regi Hungariæ.

Canonicos Regulares denuò in Lateranum induxit rejectis ſæcularibus, & ſatisfactione datâ S. P. Q. R. juramento adſtrinxit.

Digitized by Google

quod non permitterent ejici Regulares, aut admitti ſæculares. Rebus Italiæ compoſitis, intelligens Rhodiorum militum Ordinem labaſcere ob inopiam, advocat Romam Magiſtrum cum primoribus, qui Romæ obiit, cujus loco ſuffecit Carolum Orſinum. Cardinales & Epiſcopos tenuioris fortunæ, ac nobiles domo extorres, virgines, viduas, & ægrotos ſubſidio, & liberalitate ſublevare habebat de more. Statuit Jubileum à Bonifacio VIII, primùm centeſimo quoquo anno inſtitutum à Clemente VI. ad quinquageſimum ab Urbano V. ad 33. reductum à Nicolao verò V. ad juxta Clementis conſtitutionem quinquageſimo anno celebratum; deinceps ſingulis vicenis quinis annis in perpetuum celebrari incipiendo à proximo ſeptuageſimo quinto.

Ludos publicos magnificentiſſimos & epulum lautiſſimum inſtituit ut narrat Platina quorum pretium fuiſſe ait Pallia octocurſum ſenum, adoleſcentum, juvenum, Judæorum, equorum, equarum, aſinorum, bubalorum ſeorſum ab arcu Domitiani via publica uſque ad ædes S. Marci quas Pontifex à ſe ſplendidè ædificatas habitabat. Qui iidem hactenus retenti ſunt ad oblectationem populi in carnis privio. Sumptuoſiſſimus notatur, & regnum, ſive Pontificiam Mitram gemmis pretioſiſſimis exornavit. Publico Decreto Biretam coccineam Cardinalibus reſervavit, quibus etiam aſſignavit pannum ejuſdem coloris, quo equos ſternerent. Peponum, & fructuum uſu ita delectabatur, ut

Digitized by Google

cum die 26. Julij 1471. habito conſiſtorio cœnaſſet hilariter, & duos melones ipſa die comediſſet, humore aqueo apoplexiam ciente ſuffocatus repentinè obierit, cum laudatus ſediſſet annis ſeptem 2. diebus minus.

1471. SIXTUS IV. Saonenſis, familiæ Ruerenſis, ex Generali Ordinis Minorum S. Franciſci, ob doctrinæ & prædicationis donum à Paulo II. Cardinalis, ſecundo Scrutinio à 18. Conclaviſtis aſſumitur, & 8. Kalend. Septembr. ante fores Vaticani coronatur: dúmque ad Lateranum in lectica portatur, tumultu exorto, dum quidam Romani ab equitibus Pontificiis premerentur, vitæ periculum incurrit, ſaxis, ſeu caſu, ſeu ex compoſito appetitus. Mox in Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, de conſenſu Patrum Legatos pro concordia inter Principes ſtabilienda creavit: & quartum claſſi, quam in Turcam præparabat præfecit, ſingulis in menſem quingentis ducatis ad expenſas conſtitutis. Minoritis, & Prædicatoribus interdixit de Conceptione B. Virginis altercari: Eius Feſtum, Præſentationis B. Annæ, Joſephi. Franciſci, aliis annumeravit, 4. Kalend: Septembr anni 1473. conſtitutionem edidit de reductione Jubilei ad 25. annum, & celebravit in confirmationem Paulinæ, ne verò occaſione Indulgentiarum ab ipſis Pontificibus conceſſarum diverſis Chriſtiani orbis Eccleſiis retardaretur concurſus ad Urbis Eccleſias tempore Jubilei viſitandas,

Digitized by Google

& anni celebritas minueretur, omnes illas exteras Indulgentias, & peccatorum remiſſiones ubicumque, quomodocumque, & quibuſcumque conceſſas ſuſpendit, nec quandiu ſuſpenſæ forent alicui ſuffragari voluit, præterquam Eccleſiarum urbis quas in ſuo robore perſiſtere decrevit.

Hoc anno 6. Kalend. Junij primùm confirmavit regulam & Ordinem Minimorum, reſtituitque intermiſſam devotionem Roſarij, atque Pſalterij Beatiſſ. Virginis à S. Dominico olim introductam. S. Bonaventuram, qui obierat Lugduni anno 1274. quò tardiùs eò glorioſiùs canonizavit, feſtúmque ipſius inter feſta Palatij Apoſtolici recenſuit. Privilegia conceſſa quatuor Mendicantium Ordinibus confirmavit, & auxit. Concurrentibus quinque Prædeceſſorum Pont. creditoribus, gemmas à Paulo relictas vendit voluit pro ſolutione, cum in ærario non niſi quatuor millia aureorum inveniſſet. Nemo in ſublevandis calamitoſis promptior, & erga Magnates magnificentior, quippe qui multos principes Chriſtianos à Turcis pulſos ſuis ſedibus, aluit ſuis ſumptibus. Bibliothecam in Vaticano toto orbe celebrem (cui præfecerat Platinam) advectis ex omni Europa libris conſtruxit, conſtituitque proventus, quibus libri quotannis emerentur, & Librarij ſuſtentarentur, Ferdinando Regi Siciliæ cenſum remiſit, equo tantùm phalerato ſibi annuè retento, quòd ſucceſſor uti damnoſum Sedi Roman. revocavit. Urbem pontibus, fontibus, ædificiis ornavit, & ut de

P 3

Auguſto dicebatur, lateritiam inventam reliquit marmoream: ſed ad hæc, palatina Officia pretio expoſuit, vectigalla auxit, & conſanguineos indulgentiùs ampliavit. In habitu Minoritano ſub Pontificio cum 20. tantum candelis ſepeliri voluit in plano ſolo, cum ſediſſet. an. 13. dies 4. mortuus anno. M. CCCC. LXXXIV. die XII. Auguſti.

1484 INNOCENTIUS VIII. Genuenſis dictus *Joan. Baptiſta Cibo*, filius Aronis Cibo, qui fuit Vice-Rex Neapolitan. & Romæ Senator, eligitur Patrum 20. votis, vir humaniſſimus, ſed parcus: Urbem à diſſidiis Magnatum, & prædonibus purgavit. Bellum habuit cum Ferdinando Siciliæ, qui reduxit cenſum regni ad annuum cenſum viginti mille ducatorum tribuit anno ſuo 8. 1492. *Catholici* titulum Ferdinando & Iſabellæ Regibus, qui Granotam urbem Maurorum Metropolim poſt duram octo menſium obſidionem deditione acceperat, qui titulus ut eſſet etiam proprium & hæreditarium conſequentibus Hiſpaniæ Regibus Alexandrum VI. conceſſiſſe tradunt Mariana & Baron. anno chronolog. 738. cùm longè ante Clodoveus à S. Remigio, & ſubſequentes Reges Francorum à Pontificibus & Concil. ornati fuiſſent titulo Chriſtianiſſimi, ut in Gregorio III. epiſtola ad Carolum Martellum, anno 740. miſſa notavi. Leopoldum Ducem Auſtriæ cognomento Pium, miraculis clarum ad inſtantiam Friderici III. Imperat. canonizavit. Toto ejus Pontificatu ubertas annonæ, & tranquilitas Romæ

viguit, cùm homicidas & ſiccarios omni ditione Eccleſiaſtica pellendo curaret. In Baſilica S. Crucis inventus eſt Romæ *Titulus* S. Crucis in pariete occluſus, cum triplici lingua inſculpta ipſi tabellæ, anno 1492. Jovius ſcribit Innocentium accepiſſe hoc anno ferrum lanceæ, quo Chriſti latus confoſſum fuit, dono Bajaſethis Turcarum Imperat. Ciacon. hoc ita contigiſſe narrat: Gemez, qui & Zizimus frater Bajaſethis victus in Bello Pruſæ decertans pro Imperio, confugit ad Magiſtrum Rhodij Petrum d'Aubuſſon, ejúſque conſilio ad Papam pro ſubſidio à Chriſtianis implorando: inde Magiſter donatus fuit Pileo Cardinalitio, pompa ſolemni excipitur Romæ, ſed in Conſiſtorio publico ad Papam deductus, nequaquam ipſi flectere genu, pedéſve deoſculari, ut ſolet, adduci potuit. Bajaſethes autem pro fratris ſuſtentatione annuatim ſolvit 40. mille aureos, & ferrum ſacræ haſtæ, quo Pontificem fratri gratum faceret; dono miſit. Non me latet Blondum ſcripſiſſe, Balduinum Imperatorem Conſtantinop. dediſſe anno 1236. Venetis in pignus lanceam, ſpongiam, & partem S. Crucis, quæ quidem non multò poſt redempta à S. Ludovico Rege, Pariſios delata fuerint; at de lancea nequequam conſentio, cum hæc Romæ aſſervetur, viderimque ipſe ego. Innocentius adoleſcens nobili Neapolitanæ nupſit, ex qua liberos aliquot ſuſcepit, duos jam ſuperſtites: uni nomine Franciſco Cibo nupſit Magdalena filia Laurentij Medicis

ditiſſima : conſenſit Laurentius ſpe Pilei conferendi Joanni filio ſuo annorum 13. qui fuit PP. Leo X, origo Sereniſſimæ illius domus.

Theodorinam uxorem dedit Gerardo Vſumari, Genuenſi, quos magnis opibus evexit; biennio ante deceſſum lethargo oppreſſus 20. horis ſine arteriarum motu immobilis fuit, & pro mortuo habitus; cúmque de ſucceſſore conveniretur, ſubitò vivus apparuit, tandem eodem correptus morbo accubuit, cùm ſediſſet annos 8. menſe minus, & 3. diebus ejus mors incidit in diem. XXV. Julij anni M. CCCC. XCII.

1492 ALEXANDER VI. Hiſpanus, Valentinas, *Rodericus Borgia* dictus, Caliſti III. avunculi materni reſpectu, qui Borgiæ nomen, & inſignia gentilitia cum Cardinalatu ei dederat, ex Gente Lenzolia orto, aliquot Cardinalium ambitione corruptorum opera dicitur eſſe creatus, habuit enim 22. ſuffragia die 28. Conclaviſtis. de quo *Corius in ſua hiſt. part.* 7. ſcribit ingreſſum eum eſſe in Pontificatum manſuetè ut bovem (bos erat ejus inſigne) adminiſtraſſe ut leonem. In Alexandro vitia æquabant virtutes: inerant námque ingenium, eloquentia, lenitas, & patientia qua adverſarios devinciebat, & nunquam negotia voluptate omittebat. Mulieribus erat addictus, ex quibus Vannociam Romanam in minoribus conſtitutus, quaſi uxorem habebat. Ante Pontificatum tres filios, & duas filias habuit. Primum Ducem Gandiæ fieri procuravit, qui

nocte vagans Cæſaris fratris inſidiis interfectus, & in Tyberim projectus fuit, cum ſimul apud matrem Vannociam cœnaſſent, convivente ad fratricidij ſcelus Alexandro, qui ab efferato filio vim metuebat. Godefridum minimum natu Principem Squilitanum fecit. Cæſarem Borgiam, Cardinalem creavit, qui ſuffectus in locum primogeniti, atque Dux Pontificij exercitus jam factus, renunciatu Cardinalatu Carlotam de Albreto Ludovici XII. Francorum Regis propinquam, duxit uxorem, cui Valentia pro dote data fuit, unde Dux Valentinus dictus eſt: & Regis Gall. patriſque auxilio, maximum in Italia ſibi paravit Imperium: Æmiliam omnem præter Bononiam, ejectis, partimque necatis antiquis Dominis in ſuam poteſtatem redegit. Ducatum Urbinatem extorſit,& totam Italiam (cujus Regnum ambiebat hoc aſſumpto elogio, *aut Ceſar. aut nihil*) vexavit inſtigante patre, qui in profuſiones ejus ærarium Eccleſ. profudit: ſicque pater cum filio nati in Italiæ exitium videbantur, cum numquam in Urbe libertas minor Romanorum, nec major extiterit Sicariorum licentia. Annum Jubileum celebrat 1500. Cardinales 53. creavit toto Pontificatu, quorum 18. Hiſpani erant. Præcones Evangelij in Inſulas novi Orbis detectas à Chriſtophoro Columbo mittendos injunxit Ferdinando Regi Hiſpaniæ, cui ſub hoc onere earum conceſſit poſſeſſionem, quæ centum leucis ultra Inſulas Heſperidas ad Promotorium Viride jacerent, cæteris Re-

Digitized by Google

gi Luſitano relictis. Cum ditiores aliquot Cardinales convivio ad umbroſum Vaticani fontem exceptos necare veneno inſtituiſſet, ut eorum bona ſibi, aut filio Cæſari vendicaret, errore pincernæ, uterque ex vaſe vini toxicati hauſit, quo exquiſitis antidotis decumbit, & convaleſcit Carolus, ſed occumbit Papa, anno ſedis 11. d. 8. die XVIII. Auguſti anni, M. D. III.

1503 PIUS III. Senenſis, Pij II. ex ſorore nepos, à 37. Cardinal. electus eſt, fugato priùs Valentino, qui ex veneti morbo utcumque convaleſcens, Vaticanum, & molem Adriani aggeribus, & 12. millibus armatorum circumdederat, ut Patres ad ſua vota in creatione compelleret. Fleviſſe dicitur Pius ad hæc in coronatione verba depromi ſolita, cùm ſtuppa concrematur, *Sanctiſſime Pater ſic tranſit gloria mundi.* Valentinum Pont. pedes deoſculaturum Urſini veteres injurias vindicaturi adoriuntur in Vaticano, cædúntque aliquos ejus milites. Hunc in Arce recludit Papa, & 26. die Pontificatus ex mortifero cruris ulcere, non ſine ſuſpicione illiti veneni obiit, die VIII. Octob. anno M. D. III.

1503 JULIUS II. Savonenſis, Xiſti IV. ex fratre nepos, Julianus de Ruere antea dictus, olim Novitius Minoritanus in Conventu Peruſij. 37. ſuffragiis aſſumitur, licèt Alexander monuiſſet excludendum à Papatu, ſed nemo, ut ajunt, Succeſſorem ſuum occidit. Julius præter omnium opinionem Valentino in Arce detento indulget, reſtitu-

Digitized by Google

tis munitionibus Ceſenæ & Forli : qui Neapolim ſecedit, ibique ob quandam molitionem à Conſalvo captus, mittitur vinctus in Hiſpaniam; inde aliquando ex Arce incarceratus evadens, & ad Regem Navarræ tranſiens, in bello tandem *ex Cæſare Nihil factus* occubuit, & Pampelonæ traductus ſepelitur.

Julius ardens recuperandi, quæ ex ditione Sedis Apoſt. occupabantur à Venetis, bellum movet contra ipſos anno 1506. & auxilio Regis Francor. Ludovic. XII. Bononiam recipit; poſtea abſolvit Venetos, quos horribili Bulla promulgarat anno 1609. hoſtes Chriſtianiſſimi : ſuper omnia autem timebat à potentia Galli, qua Cardinalis Amboſiæ Sedis Apoſtol. promoveretur : ſed eo defuncto 1510. totus eſſe non deſiſtit in expulſione Regis ab Italia, ideo cauſas exquirit, quòd Ludovic. Alphonſum Ducem Ferrariæ protegat, cujus ſtatui Papa inhiat. Rege non dimoto ab hac protectione, Papa ſibi devincit Ferdinandum Regem Hiſpan. cui ſub annuo cenſu confert regnum Neapolis, inaudito Rege Galliæ, cui Alexander. VI. partem regni conceſſerat quod iniquum cum videretur Julius ad artes converſus pronuntiavit beneficium Pontificium irritum cenſeri redditum dupliciter, Honorario vectigali ab eo Rege nunquam oblato, & fœdere cum Ferdinando abſque Pontificis venia facto, dignum videlicet abdicatione facinus quaſi non idipſum ſi peccatum eſt, non peccaſſet Ferdinandus. Sic placuit

cuit Julio cenſum debitum Sedi Apoſt. imminuere commutatum in repræſentationem equi albi quolibet triennio & odio in Ludovicum Franc. Regem concepto æquitati illudere. Cumque ſuſcitata in caſſum adverſus Genuam Gallis addictam expeditione per Venetorum claſſem & exercitum terreſtrem Veronaque fruſtra oppugnata Galli artis & conatus Papæ eluderent Ferrario eorum ope diligenter adjuta Ludovicus 12. Rex conditiones pro gratia eius obtinenda propoſuiſſet, eas rejecit niſi penites à Patricinio Ferrarienſis, & à poſſeſſione Genuæ abſtineret. Verrevitque incumbendum in expugnationem Ferrariæ. Hincque Alfonſium Ducem, & Gallorum exercitum cenſuris, diriſque ſuppoſiiit, quo autem Gallis Ferrariæ adjuvandæ facultas adimeretur mirandulum, quæ in Regis clientela erat, prius expugnavit, in cujus obſidione Ducem ipſemet egit obequitando ut tormenta aptè diſponerentur, urgens, cujus indignitatis Pontificiæ ad expugnandum obſcurum oppidum Chriſtianis Principis innocui, vix pœnam evaſit cum in tabernaculo ſuo duo ex ſuis domeſticis tormenti pila cæſi fuere.

Ad hæc agitur de Concilio ineundo ex Decreto Conc. Conſtantienſis, inſtantque Maximil. Imp. & Ludovicus Rex tres Card. ſuo nomine, & ſex aliorum quorum ſe mandatum habere aſſerebant. Illud Piſis inchoandum Kalend. Septemb. indixerũt quod poſt 3. ſeſſiones tranſlatum eſt Mediolanum, ubi ſeſſione 8. Julius ab omni tam in ſpiri-

tualibus quàm temporalibus Papali administratione ſuſpenſus declaratus eſt, addit verò Ripamontius in Hiſt. Eccleſ. Mediol. contineri in urbis Annalibus Bernardinum Carvaias Hiſp. Card. S. Crucis Papam fuiſſe appellatum ſub nomine Martini, fortè id tantum Decretum fuit inter factioſos & in publicum non erupit, hócque tenent Hiſtoriographi.

Interea Julius in Concil. Lateran. quod auſpicatus erat nonis Maij 1512. irritat Piſanum, additis de more cenſuris contra aſſiſtentes, adhærentes, conſentientéſve directè vel indirectè, & ſeſſ. 3. Regnum Franciæ univerſum ſubjecit interdicto, nundináſque fieri ſolitas Lugduni in civitatem Gibennenſem tranſtulit. Sed tamdiu ad præcautionem anno 1510. ad medium Sept. omnes Galliæ Antiſtites juſſu Regis Aurelis congregati, deinde Turovis octo articulos contra Pontificem concluſerant, eique denunciarant, quorum ultimus erat ſi Pontifex non ſervato juris ordine publicet aliquas cenſuras contra Principes ſibi reſiſtentes, eorúmque ſubditos & fæderatos utrum eis parendum ſit, Reſponſum fuerat ejuſmodi ſententiam nullam eſſe, nullóque jure ligare. Hoc tamen prætextu Ferdinandus Rex Hiſp. Regnum Navarræ cui ab antiquo inhiabat occupavit, ſumma iniquitate in Joannem Regem, cujus conjugis Catharinæ Albetranæ proprium & hæreditarium erat regnum, dato enim quod Joannes Ludovico Schiſmatico adhæſerit, condemnatio viri

non poteſt conjugem adeóque minus proprium ejus irretire regnum.

Julius in conſueto adverſus Regem Franc. ardore perſiſtens totus erat in impediendo, ne quod ille meditabatur Mediolanenſem Principatum recuperaret, eóque proceſſiſſet, ait Guicciardin.lib. 11. ut ad Regem Angliæ contra illum acriùs concitandum, Decretum Concilij nomine compoſuiſſet, quo titulus *Chriſtianiſſimi* in eum transferretur, Rexque ſpoliaretur Regia dignitate & regnum prædæ daretur. Sed Deus Julii & orbis miſertus ex hac vita eum ſubduxit nono Kalend. Martij poſt 5. ſeſſ. celebratam.

Digitized by Google

Concilium Gen. XVII. Lateran. V. CXIV. Epiſcoporum.

Anno 1512. *Julius Papa II. Concilium Oecumenicum inchoavit, die* 10. *Maij, ad extirpationem Schiſmatis, quod Piſano Conciliabulo propagatum fuit, ad Eccleſiæ & Romanæ Curiæ reformationem, Chriſtianorum Principum bello inter ſe mutuò digladiantium concordiam, Pragmaticæ ſanctionis abrogationem, & expeditionem contra Turcas ſuſcipiendum. Cùm autem Papa legitimè conſtitutus nulli Judici, præterquam Deo ſubjectus ſit, & à nemine judicari poſſit, erraret, qui crederet Julium hocce indixiſſe Concilium primariâ intentione, ut declinaret Judicium Piſani; cujus mandata quæ ſub Maximiliani Imper. promulgaverant, Schiſmatici, Maximil. ipſe revocavit, atque irrita reddidit; con-*

Digitized by Google

ſilio auxilióque promovens iſtud, quod Seſſionibus 12. abſolutum eſt: quinque ſub Julio, qui 25. Februarij obiit, anno 1513. & ſeptem ſub Leone X. Hujus autem Seſſione 2. lecta eſt Bulla condemnationis, & reprobationis Concilij Piſani, omniúmque Actuum ejus. Quartâ Pragmatica Sanctio abrogatur. Quintâ, definitum eſt Simoniacam Rom. Pontificis electionem nullam eſſe, ipſique electo nihil juris, vel authoritatis conferre. Cætera conſule. Abſolutum eſt Concilium 16. Martij, anno 1517. Julius contra majorum conſuetudinem primus omnium barbam prolixam aluit ad majorem reverentiam intuentibus incutiendam, idque ſucceſſores imitati ſunt. Vir fuit excelſi animi: bellica gloria Pontifici, ut dicitur, indecora clarus: intrepidus aſſertor ditionis Eccleſiæ, bellicoſus ultra morem prædeceſſorum, quos baculo Paſtorali B. Petri ſatis uſos fuiſſe dicebat, jamque ſibi aſſumendum B. Pauli enſem: Objicientibus autem dictum Chriſti Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. *Reſpondebat id impetra-*

tum ei poſt in ipſo factam percuſſionem.

Fuit ędificiorum, ſingularium imaginum & famoſorum pictorum cultor. Sedit ann. 9. men. 3. dies 12. Obiit ann. M. D. XIII. die 21. Februarii.

LEO X. Florentinus annorum 30. votis 25. electus, cujus aſſumptionem expectanti populo Cardinalis de more renuntians ait: Pontificem habemus Leonem X. vigeant, valeántque juniores. Coronatur 11. die Aprilis ſingulari pompa, eodémque vectus equo quo à Gallis in Ravennæ prælio captus fuerat, ut veterem fortunæ acerbitatem cumulo præſentis lætitiæ compenſaret, quæſtoribus per viam ſpargentibus argenteam aureámque pecuniam. Legatos expedivit hortatores pacis generalis. Reſtituit Cardinales Galliæ factionarios à Julio exploſos, qui ad Liburnum capti Florentiæ aſſervabantur. Synodum Lateranenſem à ſexta Seſſione abſolvit, cujus, octavæ advenientes Ludovici Regis Franc. legati rejecto Piſano Concilio adhæſerunt iſti; ſicque redintegrata eſt pax inter Papam & Regem, ut notat Guicciardi, anno 1515. mortuo Ludovico ſine maſcula prole Franciſcus Valeſius Dux Engoliſmenſis regno ſubrogatur. Qui mox Mediolanum recuperaturus in Italiam veniens, Helvetios ad Marignonum memorabili prælio quod toto biduo 13. & 14. Septembris duravit, cæcidit ac fugavit, atque ita Mediolanum recepit, Maximilia- 1513

no Sfortia duce, in Galliam relegato.

Deinde Pontifex, & Rex convenientes Bononiæ 10. Decembr. pactionem ineunt de pragmatica Sanctione, quæ fuerat ſtabilita in Concilio Baſileæ, abolenda in Gallia; ac viciſſim de nominatione ad Beneficia, quæ antea erat penes Canonicos, ad Regem derivanda: itémque de Annatis cæteríſque Capitulis in libellum illum relatis, quem *Concordatum* dixerunt, de quo vide Rebuffum. Anno 1517. finem habet Concil. Lateranum, inchoatum 1512. in quo cum decreta fuiſſet expeditio contra Turcas, (quorum Imperator. Solimus in dies creſcens, Syriam occuparat, & totam Ægyptum,) & ad hoc Leo PP. per Orbem Chriſtianum Cruciatam cum Indulgentiis promulgaſſet: ejus promulgationis munus in Germania, cùm Archiepiſcop. Moguntinus Joanni Tetſellio commiſiſſet, id uſque adeo moleſtè tulit Joannes Staupitius, Auguſtinianorum per Germaniam Vicarius Generalis, ac Martinus Lutherus ejuſdem Ordinis Vitembergæ Lector Ordinarius, qui id muneris ſperaverant; ut confeſtim Lutherus in ipſas Indulgentias propoſitis ultimo Octobris concluſionibus debacchari cœperit. Ex hoc principio ortæ innumerabiles hæreſes, quæ Orbem hactenus turpiſſimè inquinarunt. Franciſcus Rex impetrat à Pontifice canonizationem S. Franciſci de Paula. Carolus V. Rex Hiſp. eligitur Imperator. Una promotione. 31. Cardinales creavit Leo; quem non ſine veneni ſuſpicione,

alii j ex nimio de Gallorum è Mediolano expulſione concepto gaudio obiiſſe dicunt, cum ſplendidus, & in ſuos immodicè propenſus ſediſſet ann. 8. m. 9. minus 10. diebus, defunctus anno M. D. XXI. die I. Decemb.

ADRIANUS VI. Trajecta capitali Holandiæ oriundus, atque ex Theologo Lovanienſi, & Caroli Imperatoris præceptore factus Cardinalis, cum abſens in Hiſpania Cæſar Auguſtæ Proregem ageret, eligitur Romæ 9. Januarij in Pontificem, qui nomen non mutavit, ſed retinuit proprium Adriani Sexti dicti. Romam appulit menſe Septembr. ibique coronatus eſt. Duces Urbinatem, & Ferrarienſem redintegravit in ſtatibus ſuis ſicque à bello compeſcuit adjunxit ſe unioni juratæ ab Imp. & Potentatibus Italiæ pro excluſione Gallorum ab Italia & occluſione aditus Regni Neapolis quem Cardinalis Soderinus aperiebat, qua de cauſa carcere eum mulctavit, Ferdinandi fratris Caroli V. Legatus moroſitatis eum arguit, & tarditatis in expeditione rerum ſpecialiter in apparandis cupiis auxiliaribus adverſus Solimanum qui inſulam Rhodij occupavit in die Natalis Chriſti 1522. & adverſus Lutheranos, ſicque eum affatus eſt Beatiſſime Pater Fabius maximus Rempub. Rom. cunctando conſervavit, timeo ne Chriſtianam peſſundes temporizando. 1522.

S. Antoninum Archiepiſcop. Florentiæ, & S. Bennonem Germanum canonizavit. Aditum imperitis ad beneficia occluſit, abro-

gans plura officia à Leone vendita. Reformationem Cleri cogitans, obit anno 1. m. 8. d. 13. cùm 6 Septemb. facultatem dediſſet Regibus Hiſpaniæ legendi Epiſcopos, & præſentandi, defunctus die 14 Septemb. anno M. D. XXIII.

1523. CLEMENS VII. Florentinus, Leonis X. conſobrinus, cujus tempore Papale onus ſuſtinuit, eligitur à 39. Cardinalibus: Jubileum celebrat anno 1525. ea ſaltem re memorabilem, quòd ruſticanorum irruptio in Germania, qui propter onera quibus ſe nimiùm gravari quærebantur, diſſidere cœperunt à Dominis ſuis, prætextu libertatis Evangelicæ (gladio Gedeonis conceſſo ipſis à Deo, ad Chriſti regnum, aiebant, inſtituendum, & pœnas de Magiſtratibus, & Principibus Chriſtianis repetendas) partim vi partim dolo compreſſa eſt 150. millibus ipſorum occiſis. 25. Februarij Franciſco Rege Galliæ, dum Papiam obſidet capto ſub occiſo equo, & triplici accepto vulnere, indéque Hiſpaniam navi ducto, Papa cum Imperialibus tranſigit auro multo perſoluto, hacque conditione ut Rheggium Sedi reſtitueretur. Cæſare autem pacta hæc non probante, videt Parmenſem ac Placentinum agrum ab inſpectato Hiſpano hoſte depopulatum, & ideo cum liberato jam Rege Franciſco, Venetis, ac Longobardis fœdus

A Luthero prædicata.

1526 contra Carolum init 1526. pro tuenda Italica libertate: ſuperadditur cauſa, quòd in Hiſpania Carolus caviſſet edicto, ut Senatus Regius Pontificia diplomata examina-

ret. Interea Columnenſes qui ſtabant à Cæſare,criſtas erigunt, Vaticanum aggrediuntur & diripiunt. Clemens dilabitur in arcem, pacem componit: ſed indecoro rupto fœdere, ſpretóque quem dederat Neapolim miſſo obſide. Cæſarianis bellum infert, ſævitque in Columenſes Carolus Borbonius Conneſtabilis, qui 1523. defecerat à Rege ad Carolum Impèr. copiarum ejus in Italia ductor, Florentiam diripere parans, cùm fœderati adverſus Imperatorem obſtitiſſent 40. millium hominum converſo agmine Romam invadit 1527. 5.Maij, & dum inter primos conſcendit murum, ictu ſclopi occiditur, capta tamen urbs,templa ſpoliata, omniáque ſacra profanata gravì dedecore Religionis, ac Pontifex in Adriani mole obſeſſus in poteſtatem hoſtium deditione venit; quem ad duriſſimam capitulationem reductum, Rex Franc. cum Anglicano,communi ſumptu Papam liberaturi parant exercitum. Mittitur Odetus è Fuxo, Comes Lautretius copiis Præfectus, cui omnia proſperabant. Carolus ergo timens ab invaſione regni Neapolitani, mandat ſolvi Papam è detentione, impoſita ſolutione 350. millium ducatorum, quibus conquirendis dicitur venalem pileorum exhibuiſſe honorem; condicta autem libertatis die, Papa timens ab Hiſpanorum aſtu cuſtodes ſuos eluſi, aſſumptóque mercatoris hibitu, nocte elapſus venit Orvietum, Ludovico Gonzaga comitante. Amicitiam renovat cum Carolo; eúmque Bononiæ coronat Imperatorem 24.Feb.

Digitized by Google

cujus auxilio Florentiam obſidet, & capit, huicque pronepotem ſuum Alexandrum præficit Ducem primum. Ann.1634. Henricum] Regem] Angliæ, ob divortium Catharinæ ejus conjugis, atque ipſius Pontificis authoritatem dejectam, poſt longas moras, & diu fruſtra expectatam pœnitentiam publicè anathematizat: Rex autem publicis Comitiis menſe Novemb. decretum promulgat, quo ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ pronuntiat, pœnâ capitis ſtatuta in eos qui Pontificis Rom. authoritatem in ea agnoſcerent; ſibique eo nomine Beneficiorum annatas, & decimas perſolvi jubet: qui adverſus Lutheri doctrinam conſcripto libro, anno 1521. à Leone X. inſignem titulum *Defenſoris fidei* conſequutus fuerat.

Legatos à Davide Æthiopiæ Rege, obedientiam præſtantes Sedi Apoſtol. ſuſcipit Clemens, ſicque per adverſa & proſpera jactatus obit anno M. D. XXXIV. die 15. Sept.

1534. PAULUS III. Romanus, dictus Alexander Farneſius, à 35. Conclaviſtis aſſumitur: dúmque coronatur in Vaticano, Romani juvenes in area ſequeſtris pugnæ ludo perequitarant: hincque Paulus Capitolij privilegia auxit. Caroli V. expeditionem Tunetanam duodecim triremibus munivit, huncque triumphantem expugnato Tuneto Romæ excipit anno 1538. interea autem Franciſcus Mediolanum à Carolo uſurpatum expugnaturus venerat: pridie autem quàm Carolus Româ recederet, vehemen-

tem habuit publicam orationem Hiſpano idiomate, in qua ſuam in Gallos indignationem aperuit, omnia diſſidia commemorans, quæ inter Hiſpanos Auſtriacæque domus Principes, & Gallos interceſſerant, eáque in aggravatione hæc dixit: *Ne Franciſcus ſe imparatum inopinatò adventu comprimi queratur, ei bellum jam modò denuncio*; ſicque excanduit, ut ad duellum eum provocaverit: quo audito Paulus de Sede ſurrexit, placidóque ſermone delinivit, & Legatis regiis ſilentium indixit, incipientibus reſpondere. 1538. Apud Niciam in Provincia convenientes menſe Maio Paulus Imperatorem, & Regem Franc. unire tentavit, ut tamen inter ſe viderent impetrare non potuit, quiſque enim ſeparatim cum Papa egit; inducias tamen ad decennium obtinuit, & matrimonium Alexandri Farneſij nepotis ſui cum filia naturali Imperatoris vidua Alexandri Medices concluſit. Regreſſo verò Pontifice ad ſua, Imperator in Hiſpaniam rediens occaſione tempeſtatis, qua jactatus eſt, cùm Rex propè eſſet ad Aquas Mortuas, in mutuum veniunt conſpectum & colloquium: ac poſt aliqua de rebus ſuis utrimque agitata, amicè digrediuntur, verbo tenus, nam recruduit bellum eorum.

Paulus anno 1637. Oecumenicum Concilium Mantuæ indixit: ſed cum hæc civitas, niſi ſub certis conditionibus à dignitate Sedis Apoſt. alienis non concederetur, Vincentiam urbem copioſam Veneti obtulerunt: reluctantibus autem Germanis, qui

locum ſuſpectum proteſtantur, nec fore Concilium liberum, ac legitimum, niſi celebraretur in Germania; novo edicto Pontificis Epiſcopi Tridentum convenire jubentur, locum commodum, liberum, omnibúſque nationibus oportunum: deſignatique ſunt Legati Pontificis tres Cardinales, qui diutiùs adventum Epiſcoporum Tridentini morati ſunt, ſed novis exortis bellis res ſucceſſum non habuit. 1540. confirmavit Societatem Jeſu. Parentes Ducatu Parmæ & Placentiæ donavit.

Sacro-ſanctum Tridentinum Concilium Oecumenicum, & Generale.

Anno 1545. *Convenientibus tandem Epiſcopis, Archiepiſcopis, Prælatis, & Doctoribus civitatem Tridentinam, in finibus Italiæ & Germaniæ, inchoatur* Concilium 13. *Decembris, die, ſub Legatis* Pauli *Papę Tertij, tum adverſus hęreſes Lutheranorum, aliorum*

aliorúmque Novatorum, tum ad Chriſtianorum omnium, tam Clericorum, quam laicorum mores reformandos; quod aliquoties intermiſſum, demùm finem accepit anno 1563. *ſub Pio Quarto, cujus fuere Seſſiones* 25. *Magna interim exoriuntur bella in Germania.* Poſt *quæ anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Imperator* Comitia *celebrat Auguſtæ pro pace Religionis & Reipublicæ: in quibus actum, ut omnes ſe ſe Tridentino* Concilio *ſubmitterent, & interim formula quædam certa continens capita doctrinæ ac cæremoniarum, iis per Germaniam obſervanda conceditur, uſque ad definitionem* Concilij, *quæ inde* Interim *nuncupata eſt: quæ anno ſequenti ex iiſdem* Comitiis *Auguſtanis promulgata, non tamen ab omnibus accepta eſt. Quinimò* Bellum Andiophoriſticum, *inde inter eorum Doctores ortum de Adiaphoris, ut vocabant, hoc eſt cæremoniis, ac ritibus externis, ex deliberationibus an & quomodo formula* Interim *recipienda eſſet.*

Digitized by Google

Concilium Trident. ob ejus cœli inſalubritatem, & bella Germanica Bononiam transfertur, ac magno rerum detrimento, & piorum dolore curſus ejus retardatur: moleſtè etiam Pontifice *ferente, quòd Carolus V. Imp. ſibi tantum ſumpſiſſet in proponendo* Interim: *facta autem Seſſione* 7. *& tranſlationis Decreto edito, Seſſione* 8. 9. *&* 10. *de prorogatione celebratis Bononiæ,* Paulus *III. perſpicax in explorandis hominum ſtudiis, & ſenſibus, nam ſimulato rei quam probabat diſſenſu, animum cujuſque ſcrutabatur, creatis* 71. *Cardinalibus, è vita diſceſſit. Sedis an.* 15. *d.* 18. anno MDXLIX. die x. Novembris.

JULIUS III. Aretinus, dictus *Ioannes Maria de Monte*, poſt altercationem duorum menſium à 49. Card. eligitur: qui olim Clemens VII. datus obſes Germanis, & raptatus per evaporarium tubum funibus elevatus, à Pompeio Columna liberatus fuerat, & poſt alia officia deceſſoris Legatus præſederat in Conc. Trident. Jubileum celebravit: novo edicto revocat Epiſcopos ad inſtaurandum Conc. menſe Maij, miſſo Marcelo Creſcentio Card. Legato, ſub quo 11. Seſſio incœpta, & in 13. in qua actum erat de Sacramento Euchariſtiæ, decreta

eſt prorogatio, & ex decreto datus ſalvus conductus Proteſtantibus. XVI. autem quæ habita eſt 28. April. 1552. VI. & ultima ſub Julio, ſuſpenſum fuit Conc. per biennium ob exorta bella. Julius Philippum Regem Hiſpan. filium Caroli V. inveſtivit Regno Neap. Simonem Sulaxa electum Patriacham Aſſyrium, qui ad confirmationem petendam venerat, pallio poſt doctam fidei ſuæ confeſſionem donavit, & Viatico ad regreſſum. Sedit quietæ vitæ, & hilaris æmulus, annos quinque, dies 47. obiitque anno MDLV. die XXIII. Martij.

MARCELLUS II. Bellarmini Avunculus Montepulcinus in Tuſcia, eligitur à 39. Cardin. nomen non mutat, dictus primò *Marcellus Cervinus*: magnæ integritatis vir, qui accesſſum in Curia parentibus ſuis interdixit, duorúmque nepotum, qui erant Romæ, viſitationes congratulatorias ſuſcipere noluit. Dum multas de ipſo ſibi promittit Eccleſia, ſublatus eſt apoplexia 22. die. Nempe prima Maij. 1555

PAULUS IV. Neapolitanus, *Ioan. Petrus Caraffa* dictus, à 44. Cardin. ſufficitur, qui octo annis ſub Ferdinando Catholico, & Carolo Imper. in Hiſpania ſacelli Regij Sacerdos fuerat: Presbyterorum Theatinorum Ordinis ante ſuſceptum Pileum Auctor, & alumnus: vir antiquę Eccleſiaſticę ſeveritatis, & propoſiti tenax, qui hominum ſtudia promereri non curaret, nec pecuniæ eſſet cupidus: qui Archiepiſcopatum Teatinum, & Brindiſinum ante Cardinalat. reſpuerat; 1555

oblato tamen à Paulo III. honore pilei Archiep. 2. ſibi vendicavit, iiſque fruens induxit Paulum ad inſtituendum Tribunal Inquiſitionis. Multa in urbe optimè inſtituit: Hebræos in locum ſingularem coëgit, hóſque pro diſtinctione croceo pileo uti voluit. S. P. Q. R. ſibi multis beneficiis devinxit, cui ipſe ſtatuam marmoream in Capitolio erexit, centúmque Nobiles ad cuſtodiam aſſignavit, quos Paulus equeſtri titulo ſublimavit. Bellum grave cum Philippo Catholico ſuſcepit, avocatis Galliæ, & Helvetiorum præſidiis. Severus fuit adverſus deviantes à fide, hincque Moronum Cardinalem, & Thomam Stanfelium Epiſcop. Cavenſem quaſi reos hæreſis conjecit in vincula: cùm autem Moronus Antonium Michaëlem Giſlerium Inquiſitorem hæreticæ pravitatis judicem nollet agnoſcere, quem ſe minorem dicebat; illicò eundem fecit Cardinalem tit. S. Gabinæ. Conſcripſit formam Fidei ab Epiſcopis profitendam, antequàm confirmarentur. Tranſlationem Imperij in Ferdinandum Regem Hungariæ & Boëmiæ, fratrem Caroli, jam olim electum, quam anno 1558. præſtitit Carolus in Comitiis Francofurd. noluit approbare, uti ſe inconſulto factam: hincque Martinum Guſmanum Ferdinandi Legatum, uti Imperatoris noluit agnoſcere, cùm tamen eum privatum perhumaniter exciperet. Cæterum dum vitiis ſeveriùs puniendis intentus eſt, moritur, & execrationem populi incurrit, qui inſignia Caraffia & ſtatuam

dejecit (cujus caput per triduum circa Urbis vicos provolvitur) domúmque Inquiſitionis tumultuans incendit, & incarceratos liberavit. Pontificatum tenuit annis 4. menſes 3. Mortuus anno MDLIX. die XVIII. Auguſti.

PIUS IV. Mediolanenſis, Mediceus, poſt 4. menſ. & dies 7. ſubrogatur, ob morum benignitatem. Populo indulget, confirmat Imperium Ferdinando, Moronum abſolvit, & Stanfelium: nepotes Pauli Joannem Ducem Paliani, & Carolum Caraffam Cardinalem ob reatus Urbe ab avunculo jamdiu expulſos, è vita primum ſecuri, alium in carcere laqueo ſuſtulit. Accitos nepotes honoribus auxit: Concilium Tridentinum reſumit 14. Febr. atque fruſtra expectatis Proteſtantibus, quæ reſtabant examinanda, à 17. Auguſti ad 4. Decembris. Statuta ſcribuntur ab omnibus, ſcilicet 4. Legatis Cardinalibus, & 2. aliis. Patriarc, 3. Arch. 25. Epiſcopis 168. Abbatibus 7. Procuratoribus abſentium 39. Generalibus Ordinum 7. ſicque finē habuit, cōfirmavítque omnia Pius IV. cum 26. Cardinalibus Romæ 1563. 7. Kalend. Febr. Pōtificatus ſui anno quinto. Melitæ obſidioni per Muſtapham Præfectū Turcici ingentis exercitus, commeatum, & ſubſidium miſit: plura ædificia inſtauravit, unde exhauſto ærario vectigalia impoſuit, Montes Pietatis conſtituit. Præcedentiam legato ſeu Oratori Regis Galliæ, non obſtante publica conteſtatione Hiſpani, adjudicavit, optiméq; functus obiit anno 6. minus d. 16. die IX. Decembris anno MDLXV. 1560

Digitized by Google

1566. PIUS V. Alexandrinus in Longobardia, *Anton. Michael Giſlerius* dictus, Ordinis Prædicatorum, patre opilione, nolens & recuſans aſſumitur votis 49. à cujus electione cum audiſſet timere Romanos, dixit: *Fidamus in Deo, quo authore ita nos geremus, ut gravior Romanis noſtræ mortis quàm electionis ſit mœror*: Ideóque nomen Pij aſſumpſit. Conſtitutionem Innocentij III. renovavit, qua Medicos ab ægrotorum viſitatione, qui poſt 3. diem conſcientiam non expiaſſent, arcebat. Copias auxiliares Carolo IX. Regi Franc. contra Sectarios bellanti 1569. miſit, cujus victoriæ non parum contulerunt. Hoc anno Angliam proſcribit, ac Reginam Elizabetham anathematizat. Sequenti Coſmam Mediceum Ducem Florentiæ, Senarum & Piſarum, *Magni Ducis Etruriæ* titulo honeſtat, non ſine aliqua aliorum Principum obtrectatione. Jubileum pro concordia Regni Galliæ & Eccleſiæ, à Deo depoſcenda conceſſit. Breviarium, & Miſſale, & libros Rituales ad Conc. Tridentini Ordinationem promulgavit. Ferdinando Toletano res in Belgio pro Rege Hiſpan. ſtrenuè gerenti, auream ex more Roſam tranſmiſit: fœdus cum Philippo Catholico, ac Venetis init contra Selimum II. Dux ſummus expeditionis imperavit Joannes Auſtriacus filius naturalis Caroli V. cui additus Legatus Ludovicus Requeſenius magnus Commendator Caſtellæ, triremium Hiſpan. ductor, Genuenſium Joan. Andræas

Digitized by Google

Doria, Pontificiarum Marc. Anton. Columna, die 7. Octobris 1571. memorabili habitâ pugnâ in ſinu quem *Lepanticum* vocant, clariſſimam victoriam reportarunt; quâ 180 Turcarum triremes intra quinque horas captæ, 20. ſubmerſæ, 20. combuſtæ, cæſi hoſtes captique ad 25. millia, liberati Chriſtiani à ſervitute ad 20. millia, occiſus ſummus hoſtium Dux Hali Baſſa, ac duos ejus filij capti. Id unum ad fœlicitatis Chriſtianæ cumulum defuit, quòd Vchiali inſignis pirata Calaber, qui tunc Algeriæ Proſultanus erat, dextro Chriſtianorum cornu vexato cum non paucis triremibus evaſit, cùm ſegniùs eum Andreas Auria inſequeretur, unde brevi claſſem reparavit, Pius triumphum decrevit Columnæ redeunti. B. Thomam Aquinatem pro quinto Eccleſiæ Doctore promulgavit, tria millia ſcuta annui redditus applicavit ſancto officio Inquiſitionis. Dumque Principes ſollicitat ad novam expeditionem in Turcas calculi dolores patienter ſuſtinens, hac voce, *Domine adauge dolorem, & da patientiam,* obiit ann. 6. m. 3. d. 23. anno MDLXXII. die prima Maij.

GREGORIUS XIII. Bononienſis, *Hugo Boncompagnus* dictus, Legum ſcientia clariſſimus, votis 52. ſuccedit. 15. mille aureos, qui in populum ſpectatorem Pontificiæ inaugurationis ſolent diſſipari, religioſis locis impertivit, adjectis 20. millibus, partim in egenos ad uſus vitæ, partim in matronas honeſtiores ad ampliorem dotem 1572

Digitized by Google

diſtribuendis. Reges Gall. & Hiſpan. monuit per Oratores de inſectando Turca, ideóque ſumma celeritate militem, atque pecuniam ipſe expedivit in eum, qui jam claſſem reparaverat: ſed ſolitis procraſtinationibus agendi tempore elapſo, Veneti tarda Hiſpanorum auxilia incuſantes, ſequenti anno rupto Chriſtiano fœdere, pacem cum Turcis redintegrât, ſolutis mulctæ nomine, præter Cyprum, & alia loca in Illyrico deperdita, trecentis aureorum millibus, magnâ Reipubl.& Chriſtiani nominis infamiâ. Propagationem Chriſtianiſmi promovet, fundans & dotans 23. Collegia in diverſis Orbis partibus, quorum 5. Romæ exſtant. Jubileum advenarum commodo luculenter parato celebrat anno 1575. Viam quæ Lauretum ducit,magno ſumptu depreſſis montibus, & ſubtectis convallibus conſtravit. Porticum in Vaticano Palatio ornatiſſimam abſolvit: vallum in Adriani mole refecit, Sacellum, quod à ſe, & inductis Nazianzeni reliquiis Gregorianum dixit, magnificè conſtruxit: Bononiam patriæ memor Archiepiſcopatu aliiſque beneficiis inſignivit: Calendarium variis erroribus obnoxium, ac labantem Feſtorum rationem,juxta veterem Nicænæ, & Alexandrinæ Synodi normam reſtituit anno 1582. demptis è menſe Octobri eiuſdem anni, decem diebus, à 4. ad 14. & Æquinoctio verno deinceps diei 21. menſis Martij aſſignato, Epactiſque ad Lunæ mutationes deſignandas in aurei numeri locum ſubſtitutis, datis inſuper hac de re-

certis regulis æternùm daraturis. Vide Tractat. meum de Cõputo, fol. 647. Anno 1585. trium Japoniæ Regum Legatos, qui trienniũ impenderant in navigatione, ad pedes ſuos, & Eccleſiæ in obedientiam præſtantes ſuſcepit. Plenus meritis, variáque elogiorum cõmendatione, cui acceſſit ſtatuæ erectio. Sedit ann. 12. menſ. 11. minus 3. dieb. obiit die x. April. anni 1585.

SIXTUS V. de oppido Montaldo in Marcha Anconæ oriundus, *Felix Perretus* 1585
dictus, humili parentela natus, Minorum Conventual. profeſſus anno ſuo 16. 4. ab ingreſſu, ibique lauream, nec non Vicariatum Generalem conſecutus, & à Pio V. ſubinde Epiſcopatu S. Agathæ, conſequenter & Pilei honore ſublimatus, 41. Patrum ſuffragio, nullâ penè diſceptatione præviâ renuntiatur Pontifex, cui ſimilem vix reperire eſt: juſtitiæ admodùm cultor, ita ut malis omnibus penè inexorabilis fuerit, cujus formidine incuſsâ nulla latrocinia, cædes, rapina, vagique ac adulterini concubitus in Urbe committerentur, vel commiſſa publicarentur: erátque contentioſis commune effatum, *Memento Sixtum adhuc vivere*. Multa paucis inſinuantur in erecta ei in Capitolio æneâ ſtatuâ: SIXTO V. PONT. MAX. OB QUIETEM *publicam, compreſſa Sicariorum exulúmque licentia, reſtitutam*; ANNONÆ *inopiam ſublevatam*; URBEM *ædificiis, viis, aquæductu illuſtratam*. S.P.Q.R. Sed quid ipſa Eccleſia non proferet; cui pro

Terræ ſanctæ recuperatione theſaurum quinque milliorum aureorum reliquit, cùm jam tria aureorum millia in ſingulos annos Archiconfraternitari Confaloniæ, ad redimendos è ſervitute Turcica Chriſtianos conſignaſſet, Regem Navarræ & Principem Condeum anathematizavit ob hæreſim quam profitebantur, diſſidium habuit cum Rege Francorum ob repudiationem nuntij Apoſtolici Archiep. Nazarethani quem ſibi ſuſpectum cauſabatur Rex, eumdémque poſtea excommunicavit ob necem Cardinalis Cuiſiæ Bleſis ſuo mandato illatam. Sacellum in honorem Dominici præſepij à fundamentis erexit. Fabricam Beati Petri promovit, & fornicem, vel ut vocant Cupulam, quæ vulgò nunquam abſolvenda putabatur, abſolvit, deſudantibus in ea in dies ſexcentis operariis, obeliſcum altitudinis 72. pedum ingenioſa arte erexit in platea S. Petri. Lauretum & Montaltum civitates effecit, Epiſcopioque ſublimavit. S. Bonaventuram Doctorem Eccleſiæ numero adjunxit, & ſub ejus nomine Collegium Romanum in Conventu ſui Ordinis, annuo cenſu dotatum fundavit. B. Didacum ſolemniter canonizavit. Vulgatam Bibliorum Latinam editionem incredibili ſtudio ad nativam reduci puritatem, reductamque typis produci juſſit. Diem Mercurij fauſtum habuit, quo natus mundo, Ordini datus, Generalatu donatus, Epiſcopatu conſecratus, purpura inſignitus, Pontificatu ſublimatus, & 27. Auguſti, 1490. defun-

Digitized by Google

ctus, Sedis an. 5. m. 4. d. 3.

VRBANUS VII. Romanus, de familia Genuenſi Caſtagneorum, unanimi 47. Card. ſuffragio præficitur, ob eminentes ejus dotes, à quibus tota Italia experimento legationum, quas obierat, non parum ſperabat: Aſſumptionem ei prædixerat Sixtus: dum enim Cardinal. Cartagno menſæ ejus paucis ante obitum diebus accumberet, & inter bellaria, pira inferrentur, ipſe unum aut alterum diviſit, quæ cùm putida comperiſſet, hilari ore, En, ait, poſthac pyra faſtidio erunt, ut caſtaneæ pro deliciis apponãtur. Pyrorũm nomine ſeipſum, qui de Pyrettorum familia in gentilitio ſtemmate pyra oſtendebat, per Caſtaneas dictum Cardinalẽ. qui & nomen & arborem clypeo ſuo aptaverat. Quare celebratis Sixti exequiis Caſtaneus Pyrreto ſucceſſor electus eſt: ſed ante coronationem obiit, die 12. ab electione, Kalend. Octob. anni 1590. 1590

GREGORIUS XIV. Mediolanenſis, dictus *Nicolaus Sfondratus*, poſt longas Conclavis fluctuationes duobus menſibus protractas, tandem Supremus Paſtor deſignatur: moxque à coronatione, ſumma munificentia ſuorum animos demulcere cœpit, Urbem penuria ſublevans: Cardinalibus quibus res erat anguſtior, ſingulis mille aureos diſtribuit: iiſque qui ex Regulari profeſſione aſſumpti erant, qui nigris antehac pileis utebantur, purpureos tam præ- 1590

CLEMENS VIII. Florentinus, *Hippolitus Aldobrandinus* dictus, omnium ſuffragio expetitus, curam Paſtoralem Rom. Eccleſiæ ſuſcipit; cujus pondus à promulgatione Jubilei auſpicatur. Peregrinis Romæ excipiendis hoſpitium, & menſam adjunxit, veteri inſtituto. Acie immiſſa Banditos, cæde & rapinis Latium infeſtantes compreſſit. Anno 1594. in Aprili B. Hyacinthum Dominicanum Sanctorum Catalogo inſeruit ſolemni ritu: qui & abſolutionem anno ſequenti dedit Henrico IV. Regi Franc. eam per Legatos enixè petenti, abjuratâ jam hæreſi, factâque Religionis avitæ profeſſione in Urbe Sandoniſiana 25. Julij an. 1593. Pacem inter Potentiſſimos Hiſpaniarum & Francorum Reges conciliat, quæ in urbe Vervinci firmata fuit 2. Maij 1598. quo anno Clemens Ferrariæ Ducatum Eccleſiæ Romanæ feudum (mortuo jam, anno ſuperiori, Duce Alfonſo Eſtenſi, abſque liberis) cenſurarum vi & armorum minis vindicat, & ejuſdem Eccleſiæ patrimonio adjungit, eaque de cauſa ipſe poſt illius deditionem eò proficiſcitur. Anno 1600. Jubileum celebrat: affluentibus peregrinis liberalitatis, & humilitatis opera impendit, pecuniis eos ſublevando, accumbentibus miniſtrando, pedes lavando, confeſſiones audiendo. Cardinales alioſque Prælatos ad hæc eadem præſtanda, verbo & exemplo egregiè invitando: adeò ut non pauci ex hæreticis, qui Romam ſpectatum tene- 1592

Digitized by Google

rant, his viſis ſe ſe Eccl. Catholicæ addixerint.

Cùm verò anno ſup. matrimonium, quod inter Regem & Margaritam Valeſiam ſub Carolo IX. contractum fuerat, declaraſſet de conſenſu partium irritum & nullum, tum propter conſanguinitatem de qua nulla ſufficiens extitiſſet diſpenſatio, tum propter alias allatas & probatas cauſas, promovet; ratúmque, & legitimum declarat matrimonium ab Henrico cum Maria Medicea Franciſci olim Magni Etruriæ Ducis initum, quorum nuptias legatus Aldobrandinus Lugduni celebravit. Romæ 1601. S. Raymundum Pennafortium Dominicanum canonizat: cúmque Eccleſiam ſanctiſſimè gubernaſſet, Sedit anno 13. & 33. diebus. Obiit die 3. menſis Auguſti anno 1605.

1605 LEO X. Florentinus, dictus *Alexand. Medices*, Coſmi Ducis Etruriæ conſobrinus, ad Eccleſiæ univerſalis gubernium aſſumitur: ſed mortem ex morbo in cœremoniis inaugurationis ſuæ apud S. Joan. Lateran. concepto, obit 25. die ab electione, nempe die 27. April. anno 1605.

1605 PAULUS V. Romanus, *Camillus Burgheſius* dictus, Antonio Burgheſio Advocatorum conſiſtorialium Decano progenitus, vivâ omnium, penes quos hujus rei ſtat ſumma, voce acclamatur Petri ſucceſſor. Pontificalis regiminis exordia ſumit à ſublevatione annonæ, & diminutione pretij rerum venalium, & immunitione vectigalium. Familiam ſuam ita inſti-

Digitized by Google

tuit, ut nulla re magis quàm ſingulari modeſtia & vitæ ſanctimonia à vulgaribus diſcerneretur, cui & victus cultuſque parcimoniam adhibuit. De gravi illa controverſia, quæ ſub Clemente agitata fuerat de Gratiæ Divinæ auxiliis, & libero arbitrio inter Dominicanos & Jeſuiſtas, ita ſanxit, ut utriſque donec aliud decerneretur liberum eſſet ſuam in Scholis modeſtè tueri, ſed ſine damnatione alterius partis. Cum Venetis lis orta ob leges ab iis latas, quibus in Ordinem Eccleſiaſticum ſibi poteſtatem arrogarent, ac fundos, prædia, & alia ſtabilia bona additi Eccleſiis vetarent; nec moniti cùm ſatisfacere recuſarent, promulgat in eos interdictum; & dum rurſus, nec in hoc Pontifici ab Eccleſiaſticis obediri volunt, aliquot Religioſi Ordines è Veneta ditione diſcedere eligunt: inter quos fuere Patres Soc. Jeſu, quos licet poſtea re compoſita interventione Regis Chriſtianiſſimi, & miniſterio Franciſci Cardinalis Joeuſij, admitti noluerunt Veneti. Anno 1608. retulit in Sanctorum numerum B. Franciſcam nobilem Romanam viduam, crebris miraculis illuſtrem. Anno 9. legationem, & obſequium ſuſcipit à Rege Perſarum Xà Abâ: & 10. S. Borromeum Cardin. & Arch. Mediolanenſem. SS. Confeſſorum albo ſolemniter adſcribit. 15. Legatos Japonenſes ab Idate Rege Voxu Sedi Apoſt. ſubmiſſos excipit. Sedit digniſſimè annis quindecim, menſ. 8. obiit die 22. Januarij anni. 1621.

1621 GREGORIUS XV. Bononienſis Alexand. Ludoviſius dictus, variis antea legationib. fœliciter functus, aſſumitur; moxque ad ſupprimenda diſſidia electioni irrepentia Conſtitutionem de forma, qua deinceps legitimè fieri debeat, novam edidit. Miſſiones de fide propaganda induxit. *Iſidorum* agricolam Hiſpanum, qui vixit ante 450. & ampliùs annos, *Ignatium* inſtitutionem Soc. Jeſu, Franciſcum *Xaverium* Soc. ejuſdem Indiarum Apoſtolum, *Tereſiam* Fundatricem Carmelitarum diſcalceatorum, ac *Philippum Nerium* Auctorem Congregationis Oratorij unâ & eadem celebritate anno 1622. 12. Martij canonizavit. Bullam Apoſtolicam dedit erectionis Archiepiſcopatus Pariſienſis, anno 1622. 13. Kalend. Novembris. Decretum Pauli amplians edixit, ne etiam in privatis ſermonibus, & ſcriptis Deipara aſſeratur concepta in peccato originali, neque alio nomine in Officio & Miſſa, quam conceptionis uterentur Clerici: tumultus Italiæ ſedavit Regum Franc. & Hiſpaniæ in valletelina. Ferdinandum II. Imperatorem ſuſcitavit adverſus poteſtates Germaniæ quorum Palatinatus Rheni tranſlatus fuit ad Maximilianum Ducem Bavariæ. Sigiſmundo Regi Poloniæ de Oſmano Turca victori auxilium præbuit. Sicque functus explet duos annos, & men. 5. Obiit die 8. Julij anni 1623.

1623 URBANUS VIII. Senenſis, dictus Maffeus Barberinus, quamvis omni modo

declinet ab aſſumptione, promovetur juxta normam Gregorianam: anno ſequent. dat Carolo Gonzagæ Duci Niverniensi, poſteaque Principi Mantuæ & Montisferrati, confirmationem Ordinis equitum Glorioſæ Conceptionis Immaculatæ Virginis, ipséque accepit de manu Pontificis habitum, & Crucem Ordinis: quæ poſtea Cardinalis Sforſa, nomine Pontificio contulit aliis Viris primariis. Jubileum celebrat: obicéſque viarum ab exercitibus Valletelinæ, Pedemontij & Genuenſium, filium Regis Poloniæ majorem natu non morantur, quin Romam inviſat: qui Papæ gratia ſpeciali, Chriſti vultum, & lanceam manibus attingere permittitur: quod Paulus III. Carolo V. Imperat. conceſſerat anno 1626. Intelligens frequentiſſimum eſſe in Japonia Martyrium, litteras ad illud hortatorias miſit Chriſtianis Japonenſibus. 1628. Jubileum indicit ad res componendas inter Principes Chriſtianos, qui dimicabant in diverſis Europæ partibus. Aquileienſem Patriarchatum contulit Veneto; quod Imperatori Ferdinando nominationem prætendenti diſplicuit; & Albertus Perler Germanus Auguſto à conſiliis, in aula Pontificia teſtato reclamavit, ſtatimque Roma diſceſſit. 29. *Beat. Andream Corſinum* nobilem Florentinum, profeſſum Carmelitam inde Epiſcopum Feluſanum, Sanctorum albo inſcribit poſt 254. annos ab ejus obitu: cum ab Eugenio IV. obtinuiſſent Florentini 1441. ut ejus feſtum Florentiæ celebraretur. Congratula-

Digitized by Google

torias Ludovico XIII. Regi Franc. ſcripſit litteras de Rupella hæreticorum & rebellium aſylo capta, obſtructo per medias undas Oceano urbem alluente, longo & mirabili aggere lapidum, ut Anglicanum auxilium impediretur, edixit in publico Conſiſtorio Cardinales Eminentiæ titulo cohoneſtandos 1630. 10. Junij Eccleſiam Vaticanam pluries renovatam à Pontificibus & auctam cõſecravit, Regulares à facienda confeſſione deputato à ſuperioribus dumtaxat confeſſario exemit & eligendum conceſſit, vetuit exponit in locis ſacris imagines illorum quos Eccleſia non probavit ſanctos. Sedit 21, an. mortuus die 29. Julij anno ætatis LXXVII. Chriſti. M. DC. XLIV.

1644 INNOCENTIUS X. Romanus, dictus Pamphilius, 57. votis electus, hoc unum inter alia memorabile fecit: Eccleſiam Dei pravarum opinionum erroribus purgavit, & Janſeniſmum latè graſſantem extinxit miro modo, ut videre eſt in Conſtitutione, quam edidit 1653. anno 9. Pontificatus ſui, novem dies agonizavit quod populis imputabat divinæ vindictæ de nimia in rerum adminiſtratione conceſſa facultate ſorori ſuæ Olympiæ inde minus pia factæ.

Regnavit in throno Petri, annos 10. menſes 3 dies 22. defunctus 7. Januar. anni 1655.

1655 ALEXANDER VII. Senenſis *Fabius Chiſius* dictus, poſt tres menſes Conclavis eligitur 7. die April. à 65. Cardinalibus, quorum reſolutioni pro viribus obſtitit, neque conſenſum requiſitus dedit, quin prius

in lachrymas effuſus Deum in oratione conſuluiſſet, à qua ſurgens dixit ſe vocationi divinæ nolle repugnare, moxque Cardinalium adorationem ex more ſuſcepit, ducenteſimus quadrageſimus ſecundus Papæ hoc anno 1663. regnans; hincque Cardinalis Trivultius cum cæremoniarum magiſtro ad ultimam Palatij feneſtram populo præſtolanti ſe exhibens proclamavit, *Annuntio vobis gaudium magnum*, habemus Papam Eminentiſſimum & Reverendiſſimum D. Chiſium; qui ſibi nomen impoſuit Alexander VII. Tot ipſe, & tanta ſanctitatis, & contemptus mundi teſtimonia dedit, ut ab adverſariis Eccleſiæ laudatiſſimus habeatur, & ad oſcula pedum ejus frater Regis Dannermarci fortuitò exiſtens Romæ affectuoſè ïerit. In pompa inaugurationis ſarcophagum mortis memor in cameram ſuam induxit: ſpecialem curam pauperum ſuſcepit, in quorum ſubſidium pecuniam, quæ in die Aſſumptionis parentibus mitti ſolebat, erogavit.

Anno Domini 1657. die 5. Martij, Clericos Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia à ſtatu Regulari amovit, quem poſſidebant in vim unionis cum Clericis Regularibus de Somaſcha, non obſtantibus Innocentij Papæ X. litteris in forma Brevis die 30. Julij 1647. & die 30. Auguſti 1652. ac die 16. Novembris 1654. reſpectivè expeditis.

Ad hoc autem exequendum Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem Grimaldum,

Digitized by Google

Archiepiſcopum Aquenſem, Commiſſarium Apoſtolicum deputavit, qui Generale Capitulum præfatæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Avenione in domo S. Joannis veteris, authoritate Apoſtolica convocavit, menſe Julio, ejuſdem anni: & juxta tenorem Brevis Apoſtolici inhibuit, ne de ſtatu Regulari quovis modo à Sede Apoſtolica obtinendo ageretur, quoniam hanc petitionem Congregatio Romana ſuper negotiis Congregationis ſæcularis Clericorum ſtabilita, ſemel atque iterum cenſuit eſſe omnino rejiciendam. Sicque relaxatis votis quilibet ejuſdem Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ ſine ſcrupulo poteſt ad ſæculum remeare, aut ex legitimâ causâ, per diſcretos domus accuratè examinatâ, rejici poteſt.

Confirmavit Bullam ab Innocentio X. de damnatione Janſeniſmi editam, & declaravit ſenſum Cornelij Epiſcopi Iprenſis, in propoſitionibus à ſancta Sede damnatis, reprobum omnino fuiſſe. Hincque evulgata eſt hæreſis Janſeniana, licèt ipſe Cornelius Janſenius perſonaliter non ſit damnatus, quia ſanctæ Sedis Romanæ judicio ſe ſubmiſit, Elogia tamen, quæ tumulo præfati Epiſcopi inſculpta fuerant: VERUS INTERPRES DIVI AUGUSTINI, GRATIÆ DIVINÆ CATHOLICUS DEFENSOR, & familia expungi fecit, non obſtante Canonicorum Iprenſium reſiſtentia.

Reginam CHRISTINAM Suediæ, limina BB. Apoſtolorum Petri & Pauli viſitan-

tem ſuſcepit magnificentiſſimo apparatu; hancque poſt ejuratam, in qua adoleverat hæreſim, Sacramento Confirmationis, ſeu *plenitudine Chriſtiani* conſignavit.

Unde Clerus Gallicanus Pariſiis congregatus Majeſtatem ejus ibidem appellentem congratulatoriâ oratione ab eloquentiſſimo Epiſcopo pronuntiata mirificè collaudavit, id inter alia obſervando, quòd *tantam ac talem Heroinam videre reverentia erat, & innumeris loquentem linguis audire, miraculum*: Quam ipſamet Gratia cæleſtis in ejus ad fidem Catholicam converſione triumphans, ſingulare effecerat miraculum.

Pontifex nepotem ſuum Legatum Avenionenſem creavit, & pro ſtabilienda inter Chriſtianos Principes pace non modicè laboravit: imò ad arcendum communem Chriſtianitatis hoſtem annuos impendit ſumptus: aſſiduiſque vacat pietatis operibus pro ſancta Dei Eccleſia, quam utinam ad longos annos regat. Propenſior in ejus primogenitum filium Ludovicum XIV. Francorum Regem Chriſtianiſſimum, ne longius excurrat exortum diſſidium, amore, non armis conterendum.

Digitized by Google

Qui poſſint eligere Papam & quomodo.

QUÆSTIO ſexta articuli 37. qui eſt de Pontifice Romano in digeſto noſtro fidei profert decem & ſeptem mutationes in forma eligendi Pontificem Romanum factas intra tempus 1159. annorum uſque ad electionem Alexandri III. Senenſis creati eodem anno 1159. à 22. Cardinalibus, cui tres diſſentientes dederunt Anti-papam Victorem IV. nuncupatum, à quo Fridericus Imperat. ſtetit, eoque mortuo alium, & alium ſucceſſivè ſubrogavit, ſed anno 1177. abjuravit ſchiſma & pacem dedit Eccleſiæ petens ab Alexandro veniam in ſolemni conſeſſu Venetiis habito. Hinc Concilium Oecumenicum celebratum eſt 1179. Laterani 310. Epiſcoporum, in quo inter alia ſtatutum fuit ut non habeatur Romanus Pontifex qui non à duabus Cardinalium partibus eſſet electus. Totum autem jus eligendi devolutum fuiſſe ad ſolos Cardinales excluſo populi & Cleri interventu conſtat ex electione quem ii ſoli fecerunt Cæleſtini II. anno Chriſti 1143. quod jam Nicolaus II anno 1059. in Concil. Laterano eorum potiſſimùm eſſe edixerat, inde verò

ad cæteros quos ſive jura ſive conſuetudo admiſiſſent. Romanus autem populus rebellans adverſus Innocentium II. 1141. excommunicatione mulctatus fuit, & ab electione Papæ omnino excluſus.

Jus ergo eligendi Papam habent ſoli Cardinales à Petro per Alexandrum III. de conſenſu Concilij Generalis datum, conſequenter à Chriſto qui B. Petro dixit, *Paſce Oves meas*.

QUOMODO.

Ritus eligendi hodiernus talis eſt.

DEfuncto Pontifice cadaver exponitur in Eccleſia S. Petri triduo quo finito ſepelitur. Per novem autem dies Cardinales & Prælati conſtituunt Capellas & Miſſam celebrant, ultimo habetur Oratio funebris, & die decima Miniſtri Conclavis eliguntur.

Die undecima unus Cardinalium Miſſam celebrat de Spiritu ſancto, & pronuntiatur Oratio de eligendo Papa, deinde ordinatur Proceſſio ad Conclave cantando *Veni Creator Spiritus*, è qua non egrediuntur Cardinales donec electus ſit Papa, quod ſuper eſt diei hujus, relinquitur populo cui fas eſt perluſtrare Conclave, circa veſperam unus ex curſoribus urbanè expellit populum clamando, *Extra omnes*, moxque à Magiſtris cære-

moniarum clauditur ad intra de mandato Cardinalis Camerarij & ad extra per Principem Savelli cui hoc jus competit & præficiendi cuſtodes ad januam & ad rotas oſtiarias ciborum quibus explorandis deputatus erat Prælatús qui quolibet die mutabatur.

Quilibet Cardinalis habet duos famulos incluſos qui Conclaviſtæ dicuntur; includuntur enim ad commune ſervitium Magiſter cæremoniarum, Sacriſta, Medicus, Pharmacopola, Chirurgus, Faber lignarius, muralis Structor, adſunt & alij circiter viginti famuli, ut reliqua munera vilia exequantur quæ paſſim in Conclavi occurrunt.

Cellulæ Cardinalium ligneæ ſunt, unicamque quilibet habet more Cappuccinorum parciſſimique ſunt luminis, nam per diem neceſſariæ ſunt lucernæ pro lectura, quia obductà eſt feneſtra cancello lineo.

Poſt clauſuram Conclavis Decani ſeu capita trium claſſium Cardinalium quæ ſunt Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, una cum Magiſtro cæremoniarum & Camerario, qui internas Conclavis habent claves, totum diligenter cum facibus viſitant, ne fortè quis intus lateat.

Die duodecima peracta Conclavis clauſura quæ à Gregorio X. conſtituta fuit in Concil. Lugdunenſi anno 1274. inchoatur electio, ſic manè celebratur Miſſa de Spiritu ſancto, in qua communicant omnes Cardinales. Hæc autem electio tribus modis fieri poteſt juxta conſtitutionem Gregorij XV. & Urbani VIII. ſcilicet via inſpirationis,

Inſpirationis , via Compromiſſi & via ſcrutinij & acceſſus.

Primus modus eſt dum Cardinales abſque ulla prævia lite vel conteſtatione una voce eligunt Papam, talis autem electio ut ſit valida debet fieri poſt publicationem clauſuræ Conclavis , & intra ejuſdem muros oportet etiam ut fiat nullo diſcrepante Cardinali, & non præceſſerit propoſitio eligendi aliquem in particulari.

Secundus modus & via Compromiſſi qui aſſumitur tunc maximè cum vix convenire poſſunt, tuncque unum vel plures eligunt quibus totam ſuam tradunt authoritatem, ut quem admiſerint ſit electus : hoc verò jus traditur in ſcripto ſelectis Compromiſſariis ex quibus nemo ſibimetipſi ſuffragari poteſt: oportet etiam ut his per diem conveniant.

Tertius modus eſt via ſcrutinij & acceſſus cujus author fuit Alexander III. in Concil. Lateran. 1179. debet autem habere valida electio duas tertias partes ſuffragantium, v. g. ſex de novem ; ſcrutatio autem bis in die fieri ſolet, manè poſt Miſſam ſemel, & veſperè ſemel poſt hymnum *Veni Creator*.

Scrutinium fit modo ſequenti Magiſter cæremoniarum ponit tot ſchedulas in diſco ſupra menſam coram altari quot ſunt Cardinales, idémque facit pro acceſſu, hæque vacuæ ſunt, deinde eliguntur tres Scrutatores & tres infirmarij hoc modo.

Tot ponuntur in crumena pilæ ſeu orbi-

R

cui lignei, quot ſunt Cardinales in Conclavi; orbiculi autem perforati ſunt in medio in quo ſchedula membranea reponi debet, tum Diaconus Cardinalis poſtremus tres orbiculos accipit in crumena, & ij qui educuntur incluſi cenſentur Scrutatores. Iterum tres globulos educit, & ij quorum nomina incluſa reperiuntur: cenſentur infirmarii.

His peractis ſinguli Cardinales ſervato ordine dignitatis accipiunt ſchedulam in diſco Scrutinij, & recedentes juxta menſam ſcriptioni aptatam ſcribunt ſinguli ſua nomina & nomen illius quem eligunt Pontificem hoc modo & formula; Ego Cardinalis Barberinus eligo in ſummum Pontificem Reverendiſſimum Dominum meum Dominum Cardinalem Chiſi, ſigillo munitur, ſchedula, & in inferiori parte ejus ponitur ſententia Scripturæ ſacræ; ad libitum interim tres Scrutatores ſupradicti ſtant erecti ad menſam illis paratam, ad quos accedens Cardinalis ſuam fert ſchedulam ſigillo munitam, manu digitiſque erectis hæc dicens, teſtor Chriſtum Dominum qui me judicaturus eſt, me eligere quem ſecundum Deum judico eligi debere, & quod idem in acceſſu præſtabo. Quæ verba in tabella quadam ab omnibus videnda ſcripta ſunt juxta altare, facto jurejurando ponit ſchedulam ſupra patenam Calicis qui eſt ſuper altare, & recondit eam in Calice, tum cum gravitate & modeſtia recedit.

Si quiſpiam Cardinalium uſque ad altare accedere nequit tertius ſcrutator aſſumpto

diſco ſchedulis repleto vadit, ad ipſum qui capit unam ſchedulam, cui ſecretò ſuffragiũ ſuum inſcribit, ſuoque ſigillo munit & porrigit ſcrutatori preſtito jurejurando, ut ſupra, qui talem ſchedulam refert ad altare, & recondit eam in Calice, ut ſupra Cardinales ægroti viſitantur per infirmarios in cellulis ſuis vota eorum relaturos hoc modo.

Infirmarij itaque primò capiunt à ſcrutatoribus pixidem in ſuperiori parte perforatam, quæ ſeram habet & clavim: hanc ipſi primò aperiunt coram omnibus vacuam viſuris tum claudunt, & clavim ſuper altare reponunt. Infirmarij deferunt pixidem cum diſco argenteo in quo ſunt ſchedulæ tot quot ſunt Cardinales infirmi ad quos accedunt, qui ſingulariter unam depromentes ſchedulam ſuo replent ſuffragio & jurejurando immittunt pixidi: quod ſi hæc præſtare nequeat æger eligit quem vult, ut vicem ſui gerat taliſque erectus obligatur ſervare ſecretum: hinc infirmarij vadunt ad Sacrarium, & ſcrutatores aperta pixide projiciunt ſchedulam in Calicem.

His expeditis primus ſcrutator concutit Calicem ut miſceantur ſchedulæ. Tum tertius ſcrutator numerat illas ponendo in alio Calice (quorum numerus ſi peccet in exceſſu vel in defectu comburuntur) deinde primus ſcrutator capit unam ſchedulam ex Calice illam aperit & legit dando poſtea ſecundo ſcrutatori, & is tertiò legendam, iſte autem alta voce legit & enuntiat ſuffragium.

Interim ſinguli Cardinales notant nomi-

Digitized by Google

natum in catalogo Cardinalium quem habent.

Quòd ſi fortè duæ ſint ſchedulæ ita annexæ ut præſumantur latæ ab uno, ſi idem legatur in utraque cenſentur pro unico ſuffragio, ſi verò variè pronuntient, & pro diverſis ſupponant tunc comburuntur, ſcrutinium tamen ſemper eſt in bona forma expedita ſuffragiorum publicatione; tertius ſcrutator ſchedulas omnes filo interſerit cum actu, recitatque reponens ſub altari.

Acceſſus ſequitur dum ſcilicet non ſufficit ſcrutinium pro electione, fit autem quoad ſchedulas & publicationem ſicut ſcrutinium; nemo autem applicare ſibi poteſt proprium ſuffragium in ſcrutinio aut in acceſſu.

Cùm autem acceſſus ſit iterata ſuffragatio votum non poteſt dari niſi illi Cardinali qui ſaltem unum habuit in ſcrutinio, quod quidem votum ſeu ſuffragium non poteſt dari illi per Cardinalem qui jam dedit in ſcrutinio.

Infirmarij deferunt ad ſingulos ægrotos tabellam in qua continentur data vota cuilibet etiam deferunt ſchedulas acceſſus ut videant procedi canonicè in electione.

Scrutatores conferunt ſchedulas ſcrutinij filo ligatos cum ſchedulis acceſſus ritè examinantes, num idem ſit ſigillum & ſcriptura, & tertius ſcrutator publicat alta voce ſuffragia collecta in acceſſu. Inſcriptio ſchedulæ talis eſt: Ego Cardinalis N. accedo R. Domino meo Domino Cardinali N.

Poſt computum ſuffragiorum ille qui ha-

Digitized by Google

bet duas partes ex tribus cenſetur canonicè electus Papa.

Si plures habeant duas tertias votorum, vel plures tunc nulla eſt electio, & inchoatur iterum. Conſtituuntur etiam per ſortem tres Commiſſarij qui faciunt examen ſchedularum ſcrutinij & acceſſus, & vocantur hac de cauſa Recognitores poſtquam recognitionem ſive ſit electio, ſive non, comburuntur ſchedulæ omnes.

Ad exactam omnium prædictorum ordinum, qui expreſſis habentur in Bulla de electione ſummi Pont. Gregorij XV. edita anno Domini 1621. confirmata ab Urbano VIII. anno 1625. obſervationem contravenientes incurrunt excommunicationem abſolutè reſervatam Papæ.

Electo Papa eminentiſſimo Cardinale Fabio Chiſi Senenſi poſt multiplicata ſcrutinia duo Cardinales cum Decano rogarunt eum ſi electionem ſui acceptaret qui conſulto Deo per orationem reſpondit affirmativè, & nomen Alexandri VII. aſſumpſit, moxque Papalibus paratus indumentis, deductus ante altare, & ibi ſedens ſuper cathedram ſuſcepit ſalutationem vulgò adorationem Cardinalium illum in pedibus, manibus & genis deoſculantium, effringitut Conclave, acclamatur, in jubilo ubique vivat Alexander VII. poſt aliquot dies coronatur, & poſſeſſionem capit Epiſcopatus qui eſt in Eccleſia Sancti Joannis Lateranenſis.

NOTA vacaſſe Sedem Apoſtolicam in-

Digitized by Google

terdum paucis diebus, quia deceſſori mox dabatur ſucceſſor, interdum verò pluribus menſibus, v. g. poſt Sixtum II. *undecim menſibus & dimidio*, poſt Joannem III. *decem*, poſt Pelagium II. *ſeptem*, poſt Gregorium I. *quinque*, &c. interdum vacaſſe anno integro imò & pluribus annis, ut ex ſerie temporum & ſcriptoribus Eccleſiaſticis videre eſt, v. g. poſt Sabinianum anno 604. *anno integro*, poſt Honorium anno 622. *anno & ſeptem menſibus*, poſt Martinum I. *anno & duobus menſibus*, poſt Agatonem I. *anno & quinque menſibus*, poſt Leonem II. *anno*: poſt Paulum *I. anno & menſe*, poſt Nicolaum *I. annis octo & ſeptem menſibus*: poſt Clementem IV. *annis duobus & novem menſibus*: poſt Nicolaum *IV. annis duobus & tribus menſibus*: poſt Benedictum *IX.* dictum *XI. anno & menſe*: poſt Clementem V, *annis duobus & tribus menſibus.*

Digitized by Google

INSTITUTIONES

PONTIFICIÆ.

Anno Chriſti 45.

SANCTUS Petrus inſtitutus à Chriſto ſupremus Eccleſiæ ſuæ Paſtor & Pontifex, Romanam Eccleſiam omnium totius orbis Principem & Matrem inſtituit ex quo Sedem ſuam ibi fixit anno Chriſti nati 45. Claudij Imperatoris III. quam non mutavit, ſed propria morte crucis conſecravit. Hinc Petri in Pontificatu ſucceſſores Primatum ejus hæreditarunt, hocque jure varias pro ſacro regimine ſanxerunt inſtitutiones.

Linus conſtituit ut mulier velato capite 70
in Eccleſiam introiret (quod pro futuris ab illo temporibus intelligendum crediderim) nondum enim Chriſtiani habebant Eccleſias aut publica ad cultum divinum loca. Ordinationes Presbyterorum, Diaconorum, qui Rom. Eccleſiæ inſervirent fecit, nec non Epiſcoporum quos ad exemplum Petri in varias Provincias evangelizandas miſit.

Cletus ordinavit in urbe 25. Presbyteros. 81
Primus in litteris uſus eſt iis verbis, ſalutem

Digitized by Google

& Apoſtolicam benedictionem.

93 Clemens multa ſcripſit de conſtitutionibus Apoſtolicis, Petri formam conſecrationis Euchariſticæ quæ hodie obſervatur, tradidit.

103 Anacletus conſtruxit ſuper corpus Petri memoriam ſive Eccleſiam, conſtituit quòd Sacerdotes non ſacrificent ſoli, ſed teſtes adhibeant, idque non ubique, ſed in locis Deo ſacris. Exigit Epiſcopum à tribus Epiſcopis conſecrari. & ne clerici comam nutriant.

112 Evariſtus titulos ſeu domos fidelium cultui Divino mancipatas in quibus Synaxes fiebant diviſit Preſbyteris & Diaconis, qui Regionarij Cardinales in Concli. Romano anno 325. nominati reperiuntur.

131 Alexander I. Aquam luſtralem ab Apoſtolis inductam decreto ſuo confirmavit, alióſque ritus, ut de aqua vino conſecrando immiſcenda in Calice quod à Chriſto manavit, ut docent SS. Patres.

132 Sixtus I. qui ſe univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum in Epiſtola inſcripſit, decrevit ne vaſa ſacra ab aliis quàm à ſacris Miniſtris tangerentur, & ut populus caneret hymnum *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth*, Sacerdote Miſſam incipiente, quod jampridem erat in uſu.

142 Teleſphorus numerum dierum quadrageſimalis jejunij qui variè obſervabatur in Oriente & Occidente determinavit, ſtatuit etiam cantari tres Miſſas in die Natali Chriſti, & ut ante ſacrificium diceretur hymnus

Gloria in excelſis Deo, &c.

Higinus traditionem Apoſtolicam de ſuſceptoribus ſeu Patrinis in Baptiſmo baptizandum præſentantibus corroboravit decreto. Clerum compoſuiſſe, & gradus diſtinxiſſe vel illuſtraſſe dicitur. 154

Pius Apoſtolorum traditionem de Paſchate die Dominica celebrando firmavit ad corrigendas hactenus judaizantes Eccleſias. Primus notatur qui Romæ templum conſecravit, Thermas Novati dictum, domum ſcilicet Pudentis Senatoris, Patris Novati & Timothei, & virginum Pudentianæ & Praxedis ad quam Petrus primò receptus fuit. 158

Anicetus addidit decreto Anacleti, ut Clerici caput deſuper in modum ſpheræ radant, cavit à paucioribus quàm tribus, ne conſecraretur Epiſcopus, Metropolitanus autem ab omnibus ſuffraganeis Epiſcopis ordinaretur. 167

Soter decrevit ut non ſacrificent Sacerdotes niſi jejuni & duobus præſentibus ſibique reſpondentibus; mulieres etſi Diaconiſſas aut Monachas arcuit à Miniſterio incenſi, & à contactu vaſorum ſacrorum id cautum fuit, quia Montani ſecta fœminas ſacris miniſteriis immiſcebat. In malum vergentia juramenta & incautè non ſervanda, definivit. 175

Eleutherus ſcripſit Galliæ Provinciis nulles eſcas ſuperſtitiosè refutari debere, quoniam Deus univerſas ad cibos tribuit fidelibus ſuis Math. 15. & Act. 10. jam tranquillabatur Chriſtianiſmus. 179

194 Victor Aſianas Eccleſias excommunicavit, quòd Paſchâ celebrarent 14. Luna, quacunque accideret die quæ uſque ad Concil. Nicænum permanſerunt in ſchiſmate, decrevit Baptiſma conferri quocunque loco vel momento à quovis viro aut muliere in neceſſitate, licet daretur tantum ex ritu Eccleſiæ in Paſchate vel Pentecoſte.

203 Zephirinus promulgavit edictum de recipiendis mœchis pœnitentibus, inde obſtrepentem Tertullianum anathemate mulctavit. Decrevit quod Calices & Patenæ eſſent vitreæ, quod diu obſervatum fuit. Indixit omnibus Chriſtianis ſi 12. vel 13. annum attigerint communicare in feſto Paſchatis.

221 Calliſtus quatuor anni tempora cum jejunio obſervanda ex Apoſt. traditione edixit, ædificavit Eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim, prohibuit matrimonia inter conſanguineos.

226 Urbanus fecit vaſa argentea pro ſacro miniſterio vitreis excluſis, ſtatuit ut oblationes fidelium, hæreditates agri non vendantur, ſed relinquantur Eccleſiis quibus Epiſcopi præſunt, cujus ſit Clericis diſpenſare fructus pro exigentia, nondum enim dona erant privata.

233 Pontianus præponi juſſit Miſſæ *Confiteor*, univerſos fideles docuit per epl. quòd venerandi ſint Sacerdotes, quoniam ore proprio conficiunt corpus Chriſti, & populus tradunt, edixit cantari Pſalmos in Eccleſiis die ac nocte.

237 Anterus docuit licitas eſſe mutationes

Epiſcoporum, ſi utilitas communis aut neceſſitas id exigat.

Fabianus coronata martyrio uxore electus conſtituit quotannis confici chriſma, 238
ætatem 30 annorum ad ordinationem Presterij determinavit, & ut fideles ter in anno communicent, in Paſch. Pentecoſt. Natali, vetuit illiteratos Sacerdotes celebrare Miſſam, injunxit fidelibus oblationem panis & vini ſingulis Dominicis faciendam.

Lucius mandavit eligi continentes Miniſtros altaris, iiſque prohibuit contubernia, & 256
frequentationes cum mulieribus.

Stephanus ex ſola authoritate traditionis definit contra decretum Concilij Car- 257
thaginenſis à Cypriano indicti non rebaptizandos qui à quacunque hæreſi ad Eccleſiam venirent, ſtatuit Levitas non uſurpare ſacras veſtes extra Eccleſiam.

Dionyſius ſcripſit de Parochiarum diviſione, tamque data per Galienum Imp. pace 270
vel avulſis in Valeriani perſecutione Presbyteris & Epiſcopis vel aliis loca aſſignaſſe.

Felix ſtatuit Miſſas celebrari ſuper ſepulchra Martyrum; hinc interpres Apoc. 6. do- 273
cent altare fuiſſe ſepulchrum.

Eutichianus decrevit excommunicandos Chriſtianos qui vitium ebrietatis vitare no- 275
luerint, confirmavit uſum benedicendi ſuper altare fruges, v. g fabas, vuas, &c. juſſit ſepeliri Martyres cum dalmatica purpurata.

Caïus ſtatuit ex Apoſt. Traditione, ne quis epiſcoparetur niſi miniſtraſſet conſue- 284

to tempore in ſingulis Ordinibus.

304 Marcellus quieſcente paululum perſecutione Diocletiani & Maximiani, qui ſe abdicarant, conſtituit 25. titulos in urbe, & quaſi Diœceſes propter Baptiſmum & pœnitentiam multorum qui convertebantur ex Paganis, & propter ſepulchra Martyrum.

309 Euſebius decrevit celebrari in panno lineo conſecrato ab Epiſcopo excludens ſericum aut tinctum: definivit Sacramentum Confirmationis perficiendum à ſolis Epiſcopis, nec ab aliis in principio quàm ab Apoſtolis peractum.

311 Melchiades vetuit jejunium die Dominico, erogationem panis benedicti inſtituit in ſymbolum unionis inter fideles.

315 Silveſter ritum Conſecrationis templorum inſtituit, decrevitque ut à ſolo Epiſcopo Chriſma conficeretur, ut Diaconi uterentur Dalmaticis in Eccleſia, & palla linoſtima ad lævam, tempus exercendi ſuſceptos Ordines præſcripſit, primúſque uſus eſt mitra phrygia.

336 Marcus inſtituit ut poſt Evangelium in Miſſa decantetur à Clero & populo ſymbolum Nicænum.

336 Julius reſtitutor Athanaſij è Sede ſua ab Arrianis expulſi amplexus eſt diſciplinam Monaſticam Romæ adhuc incognitam, quam S. Marcella aliæque fœminæ conſectari cœperunt.

367 Damaſus inſtituit dici *Gloria Patri*, &c. in fine cujuſlibet Pſalmi, & Alleluia uſurpari extra tempus Paſchale Symbolum Con-

Digitized by Google

cilij conſtantinop. enucleans divinitatem Spiritus ſancti, dicendū edixit in Miſſa cui à Florentino ſuperadditum eſt, quod & à filio procedit Bibliorum editionem quam Hieronymus juſſu ſuo edidit, approbavit hincque vulgatæ LXX. interpretum ſucceſſit.

Siricius Statuit ſymbolum Conſtant. decantari loco Nicæni Monachos ad Clerum accerſiri, & ad ordines promoveri decrevit, & ut non celebretur Baptiſmus quàm in Paſch. & Pentecoſt. 385

Anaſtaſius ſtatuit ut ad Evangelium ſtarent Sacerdotes, quod & omnibus qui eſſent in Eccleſiis, injunctum eſt. 398

Innocentius ſtatuit conferri Baptiſmum parvulis, primum lego qui excommunicarit Imperatorem & uxorem ejus, ſcilicet Arcadium & Eudoxiam vexantes Chryſoſtomum hos poſt humilem excuſationem abſolvit, Arſacium tamen quem in Archiepiſcopis produxerant exauctoravit. 402

Zoſimus vetuit ne ſervi aut ſpurij reciperentur in Clerum definivit tempus interſtitiorum circa Ordines ſacros. Cæleſtium & Pelagium hæreticos circa peccatum originale quod negabant, & gratiam Chriſti quam exagitabat, conceſſit Parochiis licentiam benedicendi cereum Paſchalem quam majores duntaxat baſilicæ jamdudum habebant, vigebat tunc uſus cantandi omnes Miſſas. 417

Cæleſtinus inſurgentes innovatores qui Clericis novum indicebant veſtitum, eoſque palliatos renibuſque præcinctos, ex cap, 12. 423

Lucæ volebant, coërcuit jubens retineri quem à majoribus accepiſſent.

440 Leo adhibuit in Miſſa ſanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam tunc ex miraculo uſurpatum eſt Triſagion.

467 Simplicius vetuit Clericos recognoſcere beneficium Eccleſiaſticum à Laicis, interdixit Epiſcopum malè dividentem redditus Eccleſiaſticos.

483 Felix III. Conſtituit ne Eccleſiæ non niſi ab Epiſcopis conſecrarentur.

492 Gelaſius decretũ edidit de Primatu Eccl. Romanæ, utriuſque Teſtamenti libros ac Doctorum ſcripta Eccleſiaſtica authentica diſcrevit ab ambiguis & apocryphis Ordinum collationem à menſe Decembri 4. temporum Sabbatis attribuit, præfationes ad Canonem Miſſæ edidit.

498 Simmachus in Concilio Palmari arcet Laicos etſi Reges ab electione Pontificis, edicitque non alienanda Eccleſiaſtica bona. Conſultus anno 502. à Cæſario Epiſc. Arelatenſi, reſpondet poſſeſſiones dari poſſe ad tempus Clericis, hincque origo beneficiorum Eccleſ.

535 Agapitus ritum expiandi catholicè quæ hæretici polluerunt induxit, nam omnes templi ædes, & altaris ſediſque velamina Anthimi Epiſcopi quem hæreticum comperiit infecta flatibus Catholicis eluit precibus.

577 Pelagius II. Vetat aſſumi nomen Oecumenici Patriarchæ aut Epiſcopi, quod Joan. Arch. Conſtantinop. ſibi arrogabat, docet-

Digitized by Google

que illud ſoli Papæ convenire ex privilegio Petri una cum jure convocandi & firmandi Concilia generalia.

Gregorius ſervum ſe ſervorum Dei appellare inſtituit, Cantum plenum, ſtationes, proceſſionem in Ramis & Purificatione, induxit, privilegia & exemptiones conceſſit Monaſterio Claſſenſi quod à Diœceſano Epiſcopo Ravennæ dura pati cogebatur. Anno 606 Phocas Imp. ſancivit Univerſalis nomen decêre dumtaxat Romanam Eccleſiam tanquã caput omnium ſolique Papæ congruere. 590

Sabinianus Officij Divini diſtinctiones pulſu campanæ diu & noctu præſignari voluit, cum antea Clerus niſi ſciotericis horologiis aut clepſidris uteretur. 604

Deus dedit, juſſit ſuſceptores in Baptiſmo propriorum liberorum abſtinere à copula carnali. Secundum in Clero inſtituit peragendam Miſſam ſingulis diebus, unde patet unicam prius dici ſolitam. 615

Bonifacius V. confugientes ad Eccleſias, ne vi retrahi poſſent ſancivit Eduino Regi Anglorum ſcribens, præfatur ſe ſervum ſervorum Dei. 617

Theodorus, Pyrrhum Patriarcham Conſtantinop. relapſum in hæreſim damnat & deponit, accedenſque ad ſepulchrum S. Petri de ſanguine Chriſti ex calice diſtillato in atramentum depoſitionem Pirrhi excommunicati conſcripſit, quo ritu 8. Synodus uſa eſt in Photium. 641

Vitalianus cantum Eccleſiaſticum ad Organorum conſonantiam ordinavit exem- 655

plum Davidis ſecutus.

669 Adeodatus Monaſterium Turonẽſe Sancti Martini exemit à poteſtate Epiſcopi.

683 Leo II. Sancivit dandum gratis pallium Archiepiſcopis; Baptiſmum quolibet die conferendum ſtatuit.

688 Sergius adjunxit Miſſæ *Agnus Dei* ter decantandum, Litanias B. Virginis in 4. ejus feſtis decantari ſtatuit.

726 Gregorius II. ob promulgatum edictum Leonis Iſauri Græc. Imperatoris, ut ſacræ imagines ubique delerentur init fœdus cum Francis vocans in Italiam Carolum Martellum quem Chriſtianiſſimum filium appellat.

747 Zacharias conſultus à Proceribus Galliæ transfert regnum à Childerico in Pipinum cui & nominationem Epiſcoporum pro vacantibus Galliæ Eccleſiis conceſſit.

787 Adrianus in 7. Generali Conc. quod Niceæ Bithyniæ habuit cultum ſacrarum imaginum ſtabilivit, & Symbolum recitatum fuit cum hac profeſſione de Spiritu ſancto, *qui ex Patre Filioque procedit*, Bullas quæ primo ſigillabantur cera plumbo muniri conſtituit.

803 Leo III. Miſſam celebrans pronuntiavit Carolum magnum Romanorum Imperatorem & unxit. Supplicationes trium dierum ante Aſcenſionem inſtituit, progreſſus ex Gallia quo convenerat Carolum, in Germaniam canonizavit ſolemni ritu S. Suvibertum Confeſſorem: notatur celebraſſe Miſſam ſepties & novies in die pro implorando

auxilio divino ob vexationes quas tempore Papatus ſui patiebatur.

Leo IV. Laicos ab ingreſſu presbyterii dum Miſſa celebratur decreto edito arcuit, qua de re Ambroſ. olim. Theodoſium Imp. arguit, Octavam Aſſumptionis Deiparæ celebrari juſſit, Crucem quam ex more antiquo Subdiaconus ante equum Papæ ferre ſolet renovatam auro & gemmis ornavit. 847

Benedictus III. Immediatè Leonis IV. exploſa Papiſſæ fabula ſuccedit, conſtituitque ut Pontifex interſit Sacerdotum funeribus, quod ipſe obſervavit. 855

Joannes VIII Abſolvit Ludovicum II. à juramento quod coactus præſtiterat incarceratus Adelgiſo Duci Beneventi, reſtituit Hincmarum in Epiſcopatum ſuum Laudunenſem, permiſitque ei excæcato Miſſam celebrare. Conceſſit indulgentiam imitantibus aut occiſis pro Eccleſiæ defenſione. 872

Adrianus III. Conſtituit ne in electione aut conſecratione Papæ expectaretur authoritas Imp. 884

Stephanus VII. Sacrilegus in cadaver Formoſi deceſſoris ſui quos ordinaverat gradu depoſuit, iterumque ordinavit, quod deteſtatum poſtea fuit ſub Joan. IX. in Synodo, vetitúmque ne deſcendente Papa Patriarchium expilaretur. 897

Joannes X. Confirmavit electionem pueri quinquennis filij Comitis Aquitaniæ electi in Archiep. Rhemenſem delegans interim munera paſtoralia Epiſcopo Sueſſioni, quod Ingens fuit malum. 925

Digitized by Google

934 Joannes XI. coactus conceſſit in carcere quod Patriarchæ Conſtantinop. abſque Papæ permiſſu utantur pallio, hincque mos inolevit, ut & Epiſcopi Græciæ omnes iis utantur.

955 Joannes XII. 16. annorum primus mutavit nomen quo vocabatur Octavianus, ut audiret fuit homo miſſus à Deo, &c.

995 Gregorius V. Electores Imperij inſtituit in Conc. Rom. non determinando numerum, nam defuncto Ottone omnes feudatarij Principes Imperij per 200. annos elegerunt, Imperatorem VII. autem determinati fuere in Lugdunen. Concilio Oecumenico ſub Innocent. IV. 1245.

1041 Benedictus IX. Caſimirum Monachum Cluniaci Diaconum diſpenſavit, ut hæreditarium ſuſciperet regnum Poloniæ, & Matrimonium iniret pro generandis ſucceſſoribus.

1073 Gregorius VII. Renovavit in Conc. Rom. decretum de continentia Clericorum, ita neglecta in Germania, ut ferè omnes Sacerdotes eſſent conjugati.

1086 Victor III. Decrevit pœnitentiam & communionem deberi potius omitti quàm ab hæreticis vel ſchiſmaticis ſuſcipi, ex voto enim ſeu affectu communicamus Deo inviſibiliter.

1088 Urbanus II. Indicit in Conc. Claramontis in Alvernia Cruciatam quæ trecentos mille Chriſtianos tranſmiſit in Africam. Officium Deiparæ induxit.

1120 Caliſtus II. Contulit Primatum ſuper 7.

Digitized by Google

Provincias Archiep. Viennæ, & ut eis vices
papæ ageret, inde aſſumptus fuerat.

Adrianus IV. Obſeſſus Beneventi à Guil- 1157
lelmo Rege Siciliæ cogitur dare diploma,
quod in Sicilia non ſit jus appellationis ad
Papam, nec Legationis à Sede mittenda, niſi
ad petitionem Regis hæredumque ipſius. Id
abrogavit Innocent III.

Alexander III. poſt humiliatum Frideri- 1159
cum Imp. habet Conc. Oecumenicum Late-
ran. in quo ſtatuitur ut non habeatur Papa,
qui à duabus Cardinalium partibus non eſ-
ſet electus.

Urbanus III. dicitur diſpenſaſſe Conſtan- 1185
tiam filiam Rogeris Regis Siciliæ Monialem
ad nuptias cum Henrico Rege Germaniæ,
Scriptores hujus temporis nihil habent de
hoc Monachatu; Conſtantia mortuo 1189.
Guillelmo Rege Siciliæ hæreditavit regnum,
hoc autem Tancredus ſibi vendicavit armis,
habuitque à Clemente III. inveſtituram
anno 1189.

Honorius III. Primus ab incluſione Car- 1223
dinalium electus, Peruſiæ confirmatum or-
dinem S. Franciſci ab Innocent. III. appro-
bavit.

Urbanus IV. Feſtum Corporis Chriſti in- 1264
ſtituit.

Bonifacius VIII. inito Papatu primus 1294
profeſſionem fidei fecit. Feſtos indixit dies
Apoſtolorum, & quatuor Eccleſiæ Docto-
rum, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, Gre-
gorij, jubileum inſtituit centeſimo quolibet
anno.

Digitized by Google

ſibus reſervavit, quibus etiam aſſignavia pannos ejuſdem coloris, quibus equos ſternerent.

Sixtus IV. ex ordine S. Franciſci interdixit altercari de Conceptione B. Virginis: feſtum ejus, & Præſentationis B. Annæ, Joſephi, Franciſci aliis annumeravit, Bonaventuram canonizavit, privilegia mendicantium confirmavit, jubileum ad 25. annum reduxit. 1475

Julius II. Poſt durum cum Ludovico XII. Regem Francorum diſſidium habet Laterani Concil. in quo abrogatur pragmatica ſanctio & ſimoniaca Papæ electio nulla omnino declaratur. 1512

Paulus III. inchoavit Conc. Tridentinum, quod ſub Pio iv. finem 1563. accepit, intra illud tempus bella Germaniæ induxerunt Carolum V. Imp. pro Religionis & Reip. pace,ad promulgandam quandam formam interim dictam, quæ bellum generavit adiaphoriſticum, id eſt, de retibus externis. 1545

Paulus iv. inſtituit tribunal inquiſitionis. Hebræos in locum ſingularem coëgit, & pileo croceo uti voluit. 1555

Pius V. Breviarium, Miſſale, & libros rituales ad Concilij Trident. ordinationem promulgavit, B. Thomam Aquinatem declaravit quintum Eccleſiæ Doctorem. 1566

Gregorius XIII. Calendarium variis erroribus obnoxium ac labentem feſtorum rationem reſtituit juxta veterem Nicenæ Synodi rationem & normam demptis è 1582

menſe Octobri, hoc anno decem diebus à 4. ad 14. & aſſignato deinceps Æquinoctio verno die 21. menſis Martij.

1585 Sixtus V. Vulgatam Bibliorum Latinam editionem ad nativam puritatem reduxit & promulgavit.

1590 Gregorius XIV. Purpureos pileos conceſſit Cardinalibus de clauſtro aſſumptis, qui hucuſque nigris uſi erant.

1595 Clemens VIII. Abſolutionem dedit Henrico Regi Franc. poſt avitæ Religionis profeſſionem, declaravitque de conſenſu partium irritum matrimonium Henrici cum Margareta Veleſia ſub Carolo IX. contractum, hincque Rex Mariam de Medicis duxit.

1610 Paulus V. Controverſiam de gratia & libero arbitrio inter Dominicanos & Jeſuiſtas compreſſit, ſic ut quiſque à parte ſua ſtaret ſine damnatione adverſæ ſententiæ.

1621 Gregorius XV. Conſtitutionem de forma electionis Papæ novem edidit miſſiones de fide propaganda induxit, vetuit ne in privatis ſermonibus & ſcriptis B. Virgo aſſeratur concepta in peccato originali, & ne alio nomine quàm Conceptionis uterentur Clerici in Miſſa & Officio.

1627 Urbanus VIII. Ordinem Conceptionis Immaculatæ B. Virginis dedit Carolo Gonzagæ Duci Nivernenſi cum habitu ſingulari, & cruce quem Cardin. Sfotza dedit nomine Papæ primariis viris. Vetuit exponi imagines in locis ſacris eorum, quos Eccleſia ſanctos non edixit, Cardinales titulo eminentiæ donavit.

Digitized by Google

Innocentius X. Janſeniſmum latè graſſantem extinxit. 1653

Alexander VII. Clericos Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia amovit à ſtatu regulari, profeſſorúmque vota relaxavit. Senſum Cornelij Epiſcopi Iprenſis in quinque propoſitionibus à Sede Apoſt. damnatis declaravit reprobum, hincque evulgata eſt hæreſis Janſeniana, licet Janſenius non ſit perſonaliter damnatus, quia ſe ſubmiſit judicio Sedis Apoſtolicæ. 1657

Brevis Pontificatus aliquot dierum.

Siſinius dies 20. vixit in Sede Petri.
Theodorus 20.
Leo V. 40.
Valentinus 40.
Stephanus III. dies 3,
Vicedominus ipſa die electionis defunctus eſt.
Damaſus II. dies 23.
Cœleſtinus IV. 18.
Adrianus V. 40.
Pius III. 26.
Marcellus II. 22.
Urbanus VII. 12.
Leo XI. 25.

Triginta duo Pontifices annum non compleverunt.

DOnus menſes vixit tres. Bonifacius totidem. Severinus, Gregor. VIII. Inno-

cent. IX, duos. Sabinium, Joan. XVI. Cæleſtinus I I. Innocent. V. Cæleſtinus V. Hi quinque menſes quinque Romanus 4.

Diuturnus, vigeſimum excedens annum aut attingens notatur in quinque Pontificibus poſt Petrum qui Sedem tenuit annis 24. menſibus 11. diebus 12. cujus dies nemo hactenus vidit.
Silveſter vixit annis 22. menſib. 11.
Adrianus annis 23. menſ. 10. dieb. 17.
Leo I I I. annis 20. m. 5.
Alexander I I I. annis 22.
Urbanus V I I I. annis 21.

Paſchalis I I. Innoc. I I I. Joan. XXIII. ad 18. pervenerunt. Gregor. I I. Joannes X. Eugenius I V. ad 16. Julius I. Simplicius, Symmacus, Bonifacius I X. & Paulus V. decimum quintum annum aſſequẽti ſunt, aliqui tertium decimum,

Anno Chriſti.	*Pontifices ætate non provecti.*
931	JOannes X I. Sergij I I I. ex Scorto Marozia filius 20. annorum.
955	Joannes X I I. annorum 16.
1033	Benedictus I X. puer 10. annorum.
1198	Innocentius I I I. annorum 37.
1370	Gregorius X I. annorum 35.
1389	Bonifacius I X. annorum 30.
1513	Leo X. annorum 30.

Inviti

Digitized by Google

Inviti & renitentes electi. *Anno Chriſti.*

CLemens antiquus Petri & Pauli diſcipulus ordinatus à Petro ſibi in Pontificatu ſucceſſor recuſavit ex humilitate Lino & Cleto, qui Coadjutores ſeu Chorepiſcopi Petro fuerunt, locum cedens, quem iis defunctis ſuſcepit. 93

Bonifacius invitus & reluctans conſecratur.

Benedictus III. diu reluctatus. 419

Gregorius abſcondit ſe in ſpelunca, egreſſus in habitu diſſimulato. 855 590

Gregorius IV. Latebras quærens aſſumitur. 827

Paſchalis II. è latebris eductus ſubrogatur, & anno 1112. in Conc. Rom, ſe abdicavit depoſitis mitra & manto quæ monitus eſt à Patribus reſumere. 1099

Adrianus II. Ab omnibus expetitus cum exquiſitis excuſationibus ſubterfugiſſet poſt obitum Leonis IV. iterumque poſt Benedicti IV conſecratur nonagenario major. 867

Honorius II. poſt 7. dies ſe abdicavit, & denuo electus fuit. 1124

Gelaſius renitens & invitus creatur. 1118

Cæleſtinus III. ſe omnino abdicavit eremum repetens. 1294

Innocentius III. renitens & lachrymans. 1198

Nicolaus V. Reluctans & meliorem ſuadens electionem. 1447

Pius V. nolens & recuſans aſſumitur. 1566

Gregorius VII. Reluctans, & ideo aſſenſum Regis Germaniæ requiſitum impediens per nuntios. 1073

Victor III. Vi electus poſt 4. dies egreſſus Roma, dimiſit inſignia Pontificatus, 1086

Digitized by Google

nec reſumpſit niſi poſt annum.

Intruſi Pſeudopontifices, ſeu ſchiſmata facientes.

Anno 254 NOvatianus contra Cornelium legitimè electum.

354 Felix qui poſtea defuncto Liberio ſedit legitimè.

367 Urſicinus contra Damaſum.

419 Eulalius contra Bonifacium.

498 Laurentius contra Symachum.

530 Dioſcorus contra Bonifacium II.

536 Vigilius qui poſtea legitimè ſedit defuncto Silverio.

688 Theodorus & Paſchalis contra Sergium.

768 Cōſtantinus Laïcus intruſus à fratre Toto.

824 Zinzinus contra Eugenium II.

855 Anaſtaſius Ptesbyter contra Benedictū III.

891 Sergius Diaconus contra Formoſum.

964 Leo Protoſcrinarius contra Benedictū V.

995 Epiſcopus Placentinus dictus Joannes XV. contra Gregorium V.

1044 Silveſter dictus III. contra Benedictū IX.

1061 Cadalous Epiſc. Parmæ contra Alexandrum II.

1080 Guibertus Epiſc. Ravennas contra Gregorium VII.

1099 Albertus & Theodoricus & Silveſter contra Paſchalem II.

1118 Mauritius Burdinus Arch. Bracarenſis contra Gelaſium II.

1130 Petrus Leonis contra Innocentium II.

1159 Guido Card. contra Alexandrum III. cui & Abbas Strumenſis dictus Calixtus ſe oppoſuit.

1316 Petrus de Corbario Franciſcanus dictus

Digitized by Google

Nicolaus V. intruſus ab Imperat. contra Joannem XXII.

Robertus Card. Gebennenſis contra Urbanum VI. ſubſequenter & Petrus de Luna dictus Benedictus XIII. & eo defuncto, in Aragonia Ægidius munio. 1378

Felix Sabaudiæ intruſus à Concilio Baſileæ contra Eugenium IV. qui poſtea ceſſit Nicolao V. Eugenij ſucceſſori, ſicque ceſſavit 76. & ultimum ſchiſma. 1447

Vexati & infauſtè habiti Pontifices, prætermiſſis triginta primis S. Petri ſucceſſoribus.

Recenſeo illos quos infœlix & calamitoſus eventus Pontificia de Sede in varias detrudit ærumnas.

JOannes II. detruditur Ravennæ in carcerem ubi ex pædore & inædia juſſu Theorici Regis mori coactus eſt. 523

Vigilius cæſus ac fune collo tractus per Conſtantinopolim carceri mancipatur, demum in exilio deportatus eſt. 553

Martinus traditur aſportandus in Orientem, agit annum in inſula ærumnosè ſeminudus & catenis onuſtus per Conſtantinop. tractus eſt, & per ſex menſes in carcere detentus inde in Cherſoneſam relegatus obit. 649

Gregorius II. Vi & dolo perquiſitus ad necem à Leone Imp. qui Legatos ejus mori in exilio coëgit, 726

Conſtantinus quem frater ejus Toto ho- 768

minem laicum per vim intruſerat depoſitus eſt & incluſus in Monaſterium à quo per milites tractus excæcatus fuit.

799 Leo III. elinguatur crudeliter cæſus & exoculatur à Paſchali Primicerio & Campulo Adriani deceſſoris nepotibus ob Leonis electionem invidia tabeſcentibus.

879 Joannes VIII. malè audit, & contumelioſè Papiſſa dicitur ob mollitudinem animi qua ad legationem & preces Baſilij Imper. Photium in Sedem Conſtantinop. reintruſum confirmavit, inde fœmina non vir qui evirato Photio non reſtiterit, nuncupatur.

898 Stephanus VII. ſacrilegus in cadaver deceſſoris ſui Formoſi quod extractum digitis quibus benedicere moris eſt, mutilavit, detruſus in carcerem, ſtrangulatur.

907 Leo V. poſt dies 40. expellitur, & detruſus in Monaſterium à Chriſtophoro familiari ſuo mœrore obit.

907 Chriſtophorus invaſor poſt 7. mẽſes deturbatur à Sergio & in Monaſterium detruditur.

928 Joannes X. Suffocatur incluſis cerviculi faucibus, quia victoriam de expulſis ab Italia Sarracenis ſibi arrogabat.

928 Leo VI. detruſus in carcerem moritur.

932 Joannes XI. Sergij III. ex Scotto Marozia filius detruſus in carcerem, cogitur Alberico petita concedere.

939 Stephanus IX. Facie deformatus crebris ictibus impetitus in Alberici tumultu, abſtinet à publico congreſſu.

963 Joannes XII. poſt octo annos Sedis deponitur à 963. Epiſcopis ad id ab Ottone Imp. convocatis. Sede autem reſumpta per-

cuſſus in temporibus dum uxore cujuſdam viri extra Romam oblectatur, perit.

Joannes XIII. amandatur in Campaniam à Rothfredo Præfecto urbis. 965

Benedictus VI. poſt 15. menſes detruditur in carcerem & ſtrangulatur à Bonifacio Diacono Cardinale Sedis invaſore quem Benedictus VII. coëgit abire. 972

Joannes XIV. poſt 3. menſes fame perit detruſus in Caſtellum S. Angeli ab iniquo. Bonifacio qui eum mortuum ſpectandum, expoſuit pro foribus. 984

Bonifacius ſacrilegus invaſor poſt 4. menſes morte repentina percuſſus à Deo, confoſſus eſt lanceis & nudus per pedes tractus, inſepultus, abjectus eſt. 984

Joannes XV. infectatus à Tyranno Creſcentio occupante munitionem S. Angeli, cogitur ſecedere in Tuſciã, inde tamen ab eodẽ honorificè revocatur ex timore Ottonis. 985

Joannes XVI. ex Epiſc. Placentino elevatus ad Petri Sedem à Creſcentio Conſule adverſus Gregorium V. Ottonis Imp. conſanguineum auribus manibuſque truncatus exoculatur ab Ottone. 995

Benedictus IX. decemnis introductus, de multis criminatus expellitur poſt 2. annos, reſtitutus & cunctis inviſum ſe probans, Sedem remiſit quam pluries invaſit. 1033

Gregorius VI. poſt 19. menſes exauctoratur ab Henrico Rege Germaniæ ſub prætextu tranſactionis pecuniariæ. 1045

Victor II. proditoriè tentatur venenum haurire immiſſum Calici à Subdiacono mi- 1055

niſtrante, ſed Deus obſtitit ne biberet, & detexit authorem.

1086 Victor III. Henrici Imp. ſchiſmatici & Antipapæ inſidiis veneno propinato in Miſſa obit Caſſini.

1099 Paſchalis II. detinetur in arctiſſima cuſtodia 61. diebus ab Henrico Imp. ſic extorquente inveſtituras.

1118 Gelaſius II. diſtrahitur de Sede, pugnis ac calcibus cruentatur à Cincio Frangipane Henrici Imp. ſectatore, & in domum reductus catenatur.

1144 Lucius II. conans depellere Romanos à Capitolio, incerto inde lapidis ictu percuſſus obiit.

1181 Lucius III. tentans ſupprimere gradum Senatoris expellitur à Romanis, qui fautoribus ejus oculos eruerunt.

1276 Joan. XX. ruina cubiculi recens ſtructi in Palatio Viterbij occubuit menſe octavo.

1294 Bonifacius VIII. in lecto decumbens apprehēditur, & à Sciarra Romano de familia Columna percuſſus alapa, & Romam perductus à Nogarato intimatè ei appellationem ad Concilium ex parte Philippi Regis Franc. fervore iræ caput muto concutiens obit.

1328 Joannes XXII. ignominioſè tractatur Romæ à Ludovico Bavaro qui depoſitum eum evulgat & excommunicatum, opponitque Antipapam.

1415 Joannes XIII. poſt quinque annos Sedis proceſſatur & deponitur à Concilio Conſtantienſi, traditus Ludovico Bavaro Duci cuſtodiendus in Caſtro munitiſſimo, in quo per triennium captivus detentus eſt.

Digitized by Google

Clemens VII. in Adriani mole obſeſſus à Carolo V. Imp. non ſolvitur niſi datis 350. millibus ducatis, quibus conquirendis Cardinalitium venalem exhibuit pileum. 1526

Pontifices qui Galliam pro aſylo habuerunt.

Clodoveus Rex Franciæ factus Chriſtianus anno Chriſti 484. miſit Hormiſdæ Pontifici Romano anno 514. coronam auream gemmis ornatam in obſervantiæ ſuæ & devotionis teſſeram erga Sedem Apoſtolicam. Anno 726. Gregorius II. iniit fœdus cum Francis mittens ad Carolum Martellum legatos cum muneribus ſacris clavium ſepulchri, & cathenarum S. Petri eique Romanum Conſulatum obtulit, ſi cum auxiliari exercitu Italiam veniret.

Gregorius III. deceſſorem imitatus diverſis epiſtolis implorat opem Martelli quem pluries filium ſuum Chriſtianiſſimum compellat. cui poſt Deum plenè confidit. 731

Stephanus III. recurrit ad Pipinum, & petiit ut mitteret qui ipſum Pontificem deduceret in Gallias, quod protinus fecit. 752

Adrianus I. advocat Carolum magnum. 772

Leo III. convenit in Gallia Carolum. 799

Stephanus V. convenit Ludovicum. 816

Joannes VIII. accerſit Carolum calvum. 876

Urbanus II. receſſit in Gallias & Cruciatam promulgavit in Conc. quod Claramonti habuit. 1088

Paſchalis II. 1099

1118 Gelaſius I I.
1130 Innocentius I I.
1147 Eugenius I I I.
1162 Alexander I I I.
1247 Innocentius I V.
1305 Clemens V. transfert Sedem Avenione, ad declinandas Italiæ ſeditiones : hanc priſtinum in locum retulit Greg. XI. anno 1378.

PROPHETIA S. MALACHIÆ Archiepiſcopi.

ADducitur hic à quibuſdam Scriptoribus Eccleſiaſticis *Prophetia*, ut vocant, *de Romanis Pontificibus*, ſucceſſores Innocentij II. uſque ad finẽ mundi per certa ſymbola deſignatos prænuntians, authore inquiunt S. Malachia Monacho Bercorenſi inde Archiepiſcopo Ardmacenſi in Ibernia, qua Sede humilitatis cauſa poſt aliquot annos ſe abdicavit anno Domini circiter 1137. & Dunenſi Epiſcopatu contentus in eo uſque ad finem vitæ permanſit, defunctus anno 1148. die 2. Novemb. charus in vita S. Bernardo Abbati Clarevallenſi cujus ad ipsũ tres extãt in operibus ſuis Epiſtolæ annotatæ 311. 316. 317. ex quo novimus S. Malachiam inter alia ſingularia chariſmata dono Prophetiæ claruiſſe.

An autem hæc quæ circumfertur Prædictio de futuris Pontificibus Romanis ſit S. Malachiæ.

Hocque conceſſo. An ſit divina aut di-

vinis accenſenda vel æquiparanda, quæ fidem exigat quis audeat citra temeritatem aſſerere? cùm Sedes Apoſtolica cujus ſolius eſt oracula dare & credenda proponere, ſenſum ſuum ſuper his non aperuerit.

Et quidem unde depromta emerſerit prætenſa hæc de futuris enunciatio nemini, quod ſciam, in comperto eſt, nequidem Scholiaſtes & commentator illius R. P. Ciaconius Ordinis S. Dominici qui hanc evulgavit. Symbola quæque in Chronologia ſua Pontificum interpretatus ex ingenij ſui ubertate, ne quidem in hoc ſcivit, quod ſilentio non obvolviſſet, ne injuſtus veritatis detentor audiret apud litteratos, hoſque maximè quibus ex ejus ſcriptis innata eſt prurigo ſcribendi de hac, ut ajunt, Prophetia quales citantur Arnoldus Vvionus lib. 2. de arbore vitæ cap. 40. Boucher Doctor Theol. Archidiaconus Tornacenſis in corona ſua myſtica typis dato 1623. Thom. Meſſinghanus Irlandorum Pariſienſi Collegio Præfectus, in ſuo Sanctorum Iberniæ florilegio Angelus Mantiques Ordinis Ciſtercienſis in Chronico ſuo: noluerit ergo, imò nequiverit Ciaconius authorem exprimere aut indigitare, debebat ſaltem originem producti & diffamati illius Vaticinij notare, aut unde illud ipſe eruiſſet aperire, an ex manuſcripto S. Malachiæ aliquóve ejus commentatore, vel à famoſa quadam bibliotheca, de quibus omnibus tacendo os cæteris occludit, mihique aperit ad concludendum, quòd ſi in ſubjecto Papali Papa dubius

cenſetur nullus; quæ de longiſſima Pontificum ſerie obtruduntur ab incerto & incognito Vaticinatore fictitia ruinoſa apocrifa, & nullius momenti ſunt, ſaltem apud cordatos & probati ingenij & authoritatis viros.

Dato autem ex ſuppoſitionis indulgentia conclamato authore S. Malachia quid inde! num dicta ſcriptave illius nobis erunt veluti cognominis Malachiæ Prophetæ ulimit Canonica oracula, ut tertius decimus inter parvos Hybernus iſte Præſul computetur, cùm prior egerit de ſubſtitutione ſacrificij novi in Eccleſia Chriſti, iſte vaticinetur de ſubſtitutione ſacrificantium.

Res apud Orthodoxos indubitata: hunc de quo eſt quæſtio Malachiã ſubleſtæ eſſe fidei, & nullo modo Canonicæ in hoc Vaticinio, idque probo variis convincentibus argumẽtis, ſi enim Paulus 1. Theſſ. 5. dixit *Prophetias nolite ſpernere*, adjunxit *omnia probate*.

Primum, Pſeudopontifices quos Deus & Eccleſia reprobant inſeruntur Ordini Pontificum à ſancto Spiritu electorum: Ergo Prædictio hæc non eſt à Deo, nec dicas hos deſignari ſchiſmaticos; nam obſervo illud bis tantum præſignari, primò ubi dicitur *Cervus ſchimaticus* anno 1328. Secundò, ubi habetur *ſchiſma barcinonicum* 1424. Præceſſerant Schiſmatici duo 1159. contra Alexand. III. & ſubſequutus Amedeus Sabaudiæ 1439. hi non præſignantur.

Secundum, cæci & obtuſi vident contortas, violentas, & plerúmque aberrantes à Scopo interpretationes Ciaconij, unamque earum diverſis nominibus & gentilitiis ap-

plicari, & ad inſtar veli nautici ad ventum contorqueri; adde mutationi obnoxia eſſe Magnatum inſignia & cognomina, ut in aliquibus videre eſt, Alexandro III. cujus familia *Bandineli* poſtea *Paparona* dicta eſt Sixto IV. quia Sabaudo Magnate, cognomen & arma impetravit. Alexandro VI. de gente Lenzolia cognominato cum inſignibus Borgiæ per Caliſtum III. ejus avunculum, quale ex duobus cognomen & ſcutum objicitur Symbolo quis revelabit; ut interpretationem affixam admittamus.

Tertium, prænuntij Symbolorum caracteres debent deſignare Pontificem futurum qualis ſit ante promotionem, non qualis in Sede futurus eſt, jam enim effectum ſuum ſortita eſt prædictio, plures autem Ciaconij interpretationes de moribus in moribus ſubſequutis loquntur.

Adde, quód ſeries & Ordo imò uninomiorum numerus non legitur in hiſtoricis fixus, qui vel ab omiſſione vel ſupputatione ſchiſmaticorum variat, verbi gratia, in Joanne, Benedicto, Martino, Leone, &c. hinc Symbola locum mutant & perſonam, ſic fruſtranea eſt elucidatio.

Quartum mihi ponderoſiſſimum, Prædictio hæc concutit Evangelium, & oppugnat Chriſtum in illo docentem *de die Iudicij*, ſeb fine mundi *nemo ſcit neque filius hominis*, ſcilicet ut revelet. At ex 29. futuris poſt Alexandrum VII. Pontificibus per totidem Symbola præſignatis quorum nullus videbit dies Petri, quo enim privilegio ulti-

mi primos ſuperarent? Colligeretur præfixum tempus judicij. Dato enim cuilibet decemnali Pontificatu ſupereſſent tantùm trecenti anni uſque ad finem mundi, quem longè tardius eventurum infero ex nondum abſoluto vel uno circulo aliquorum orbium cœleſtium, quos à ſua creatione unicum ſaltem perfecturos gyrum formæ ſuæ naturali convenientem (ſi plures non conceduntur motus completi) credibile eſſe quis non autumet?

Quintum, ſtabilita credulitate vel tantilla fide de cœleſti origine hujus Prophetiæ per S. Malachiam deprompitæ aut quemvis alium refunditur in ſuffragantes graviſſima obligatio perquirendi, & diligentiſſimè examinandi obvium quid portendat Symbolum, & quem de conclavi deſignet, quod maximam ingereret confuſionem ſcrupulis implexam, id autem alienum eſt à revelatione divina ſeu Prophetia qua ut docet S. Thomas 2. 2. q. 17. inſtruimur in fide & in noſtris operibus gubernamur: pro varietate capitum tot eſſent præmeditati ſenſus Symboli cujus veritas unde aucupanda non conſtat. Quis, verbi gratia, ex Symbolo *Gens perverſa* Borgheſium cujus inſignia draco & aquila, præſentiet!

Ad hæc opponi ſolet obſervata Symbolorum ad electos congruentia, quæ à cœlo dumtaxat haberi poteſt, hancque quis non videt in ævi noſtri Pontificibus Urbano VIII. Innocent. X. Alex. VII.

Reſp. deluſoriè, id afferri, extrinſecum enim eſt perſonæ indicandæ, quòd

tali vel tali die aſſumatur ad thronum, quodque in decurſu vel fine Pontificatus hæc aut illa definiat Innocentius: Nec Alexandri regnantis ſcutum ex ſex impreſſis montibus hunc prænotat, ad quid enim ſupra lucebit ſtella aut ramos extendet quercus? Si Fabius Chiſius dicatur Cuſtos Romæ quæ ſepticollis eſt, unde Symbolũ habet *Montium Cuſtos*, ex defectu unius montis corruit Prædictio.

Dico præterea Dæmonem ſagaciſſimum eſſe in futurorum præviſione colligenda, obſervantiſſimumque propenſionum hominum & conjuncturæ, rerum, earum etiam quæ à libero pendent arbitrio: multa itaque prænuntiat quæ ipſe Deo permittente ita diſponit & moderatur ut prædictioni coaptentur aut coaptata reputentur ob varias & amphibologicas voces & Symbola quibus illudit hominibus. Ut quid autem ſummum omniũ Pontificẽ Chriſtũ poſt duodecim ſæcula ſtatũ Eccleſiæ ſuæ Catholicæ motu proprio aperuiſſe Prælato Hyberniæ credamus quem cælavit dilecto ſuo Joanni cui Apocalypſim dedit. Quod ergo gratis & ſine fundamento dicitur Prædictionem hanc de ſummis Pontificibus eſſe S. Malachiæ Archiepiſcopi Iberniæ, hancque obſervatione & fide dignam, nego cum bona venia ſecus credentium ne dixerim delirantium.

ANno 1143. Cæleſtinus II. deſignatur futurus Paſtor ovilis Dominici, Petrique ſucceſſor hoc Symbolo quod prodidit oraculum Sancti Malachiæ, *Ex Caſtro Tiberis*.

Interpres ejus R.P. Ciaconius laconicè ſe-

hic habet. Cæleſtinus II. *Typhernas* quod ut intelligatur præſupponendum eſt Cæleſtinũ primò nuncupatum Guy de Caſtello, Caſtellum autem ſeu civitatem Typhernas ſitam eſſe ad ripam Tiberis. Vix autem cordatus Lector annuet huic interpretationi quam textui vim inferre conſtat, non enim probatur Caſtrum Tiberis genuinè dici *Typhernas* cum univerſale reſtringat ad ſingulare, plura enim caſtra ad ripam Tiberis conſtructa quis ignorat? Et ſi patriũ ſolum Caliſti *Typhernas* dicat Ciaconius prophetat ipſe, adde oraculũ iſtud alteri Pontifici inde oriundo coaptari poſſe, offendens ergo in ipſo limine Ciaconius mihi nec aliis magnus erit Apollo.

1144. Lucius II. cujus Symbolum Propheticum, *Inimicus expulſus.*

Gloſſarius ait ſic præſignari, ex Bononienſi proſapia *Caccianimici.* At in electione ſua nullum fuit obſtaculum aut hoſtilis oppugnatio, ipſeque à rebellantibus Romanis vexatus & quaſi expulſus non poteſt dici inimicos expuliſſe.

1145 Eugenius III. Piſanus habet pro prænuntio Symbolo. *Ex magnitudine montis.*

Licentiosè vertit Ciaconius *Mentis*, quia ex magnitudine illius cùm non eſſet de gremio purpuratorum aſſumptus eſt ad thronũ Petri. Quæro cuo jure depravatur Scriptura Prophetica, cujus apex & jota mutari nõ poteſt quin tota corruat, quis quæſo hominũ corpus in ſpiritum mutabit, & de monte mẽtem & intelligentiam concinnabit.

Anaſtaſius IV. *Abbas Suburranus.* 1153

Abbas fuerat S. Ruffi, huncque Onuphrius lib. 2. Epitomes dicit de regione *Saburræ*, ſeu de vico Romano *Savornæ*, non autem de familia Saburræ. Leviſſima eſt hæc interpretatio & ventis hanc concutientibus pondus non facit; nam Anaſtaſius in electione ſua de Canonico regulari erat Epiſcopus Cardinalis S. Sabinæ.

Adrianus IV. *de Rure albo.* 1153

Ciaconius exponit vilis natus in Anglia quæ vocabatur olim Albion ob roſas albas quibus abundat; vel quia Adrianus erat Epiſcopus Albacenſis. Peto autem quo jure Epiſcopatus pro rure ſumatur, & albus color pro expreſſione loci ſeu regionis.

Victor IV. Antipapa adverſus Alexandrum III. *Ex tetro carcere.* 1559

Hæreat hic interpres, qui ut ſe expediat recurrit ad titulum intruſi Octaviani quem dicit fuiſſe S. Nicolai in carcere Tulliano, antiquiores autem hiſtorici agnoſcunt titulum S. Cæciliæ.

Paſchalis III. Antipapa, *Via tranſtiberina.* 1164

Inſequitur hic interpres tranſgreſſionem Antipontificis qui declinans à legibus Eccleſiæ tranſiliat. At id quid de Tiberino itinere: Si via Tranſtiberina ſumi debet pro inordinata electione: ergo de omnibus Antipapis idem pronuntiandum erit nullo ſpecialiter deſignato.

Caliſtus Antipapa, *de Pannonia Tuſcia.* 1170

Exponit Ciacon. Caliſtus tertius in Alexandrum Antipapa Hungarus natione, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, nullum hic video ænigma, ſed perſonæ deſignationem per innatos catacteres, quod poſt rei eventum nemo non cognoſcit.

1159 Alexander III. *ex Anſere Cuſtode.*

Nodus hic Gordianus quem nec ipſa Alexandri poteſtas diſſolvit, ſolertiores enim interpretes hærent poſt rei eventum in adaptando hoc Symbolo Cardinali Rolando Bandineli Senenſi, cujus familia poſtmodùm *Paparona* dici voluit, quaſi *Pavarona*. Suffragantibus 23. Cardinalibus tribus tantum ſchiſma facientibus electus eſt Alexander in Cuſtodem Eccleſiæ, qui cum electoribus ſe recepit ob tumultum in munitionem S. Angeli in qua per novem dies obſeſſus fuit ab Octaviani ſatellitio. Papa autem quaſi Anſer Capitolij Cuſtodes excitavit, & Octavianum quaſi alium Brennum obſidentem Capitoliũ excuſſit & fugavit, hocque ex eventu familia ejus dicta eſt paparona quaſi pavarona, forrè autem Symbolum id innuit.

1181 Lucius III. *Lux in Oſtio.*

Ciaconius exponit, Lucius III. Lucenſis Cardinalis Epiſc. Oſtienſis Symbolũ reſpondet patriæ, Luca enim denominatur à luce, & ſic omnes Lucenſes dicentur Lux aut Lucij iique in Oſtio ſi Oſtium inhabitent, aut inde aliquid habeant.

Urbanus III. *Sus in cribo.*

1185 Interpres dicit, Urban. III. Mediolanenſis

familia cribella quæ ſuem pro armis gerit, congruit hoc ſtemmati gentilitio, ſi ſola hæc familia ſuem aſſumpſerit; quæ Cardinalem aut Eccleſiaſticum inſignem protulerit, quod nec apud Italos obſervabitur.

Gregorius VIII. *Enſis Laurentij.* 1187.

Prophetat hic ſpiritu humano Ciacon. Gregor. VIII. Cardinalis Sancti Laurentij cujus inſignia enſes falcati, quo jure interpres pro uno enſe plures accingit emblemati! quod unum pro titulo geſtat. Numerus hic nec augendus nec minuendus eſt.

Clemens III. *De Schola exiet.* 1188.

Appoſitè legit interpres Clem. Romanus de domo *Scholares* dicta at æquivocum eſt nomen, Schola multò plura quam familiam ſingularem prenuncians.

Celeſtinus III. *De Rure Bovenſi.* 1191.

Ciaconius reddit de familia Buenſi. At Bullarium Romanum hanc à bubonibus nominat, & Onuphrius legit *Bubona* diſcrepant non parum termini iſti.

Innocentius III. *Comes Signatus.* 1198.

Erat de domo Comitum Signiæ, hocque dato Symbolo ſe eligendum præſenſit, quaſi *deſignatus Comes*, hincque ipſe in ſcrutinio appoſuit ſchedulæ ſuæ ſuffraganti *fac mecum Domine ſignum in bonum* Concedo quidem perſonam indigitari. Sed in conclavi potuit alius eſſe Comes; plures enim in Italia hoc præfulgent honore.

Digitized by Google

1216 Honorius III. *Canonicus de Latere.*

Interpres vertit H. III. familia Sabellâ Canonicus S. Joannis Lateranenſis quaſi verò Lateranum ſit latus.

Gregorius IX. *Avis Oſtienſis.*

1227 Interpres, G. familia Comitum Signiæ Epiſc. Card. Oſtienſis, cujus inſignia Aquila nigro & rubeo variegata. Sic deſignari perſonam obſervat; at avis eſt vox generica, nihilque commune habet cum Cardinalatu Oſtienſi.

Cæleſtinus IV. *Leo Sabinus.*

1241 Interpres Clem. IV. Mediolanenſis cujus inſignia Leo Card. Epiſc. *Sabinus* animal gentilitium cum titulo Cardinalatus favent Ciacono prophetanti ad libitum.

Innocentius IV. *Comes Laurentius.*

1243 Interpres Innoc. IV. domo Fliſca Comes Lavaniæ Cardinalis S. Laurentij in Lucina. Inſto Papam nunquam vocatum Laurentiũ qui ante promotionem dictus eſt Sinibalbus de Fliſca, tranſeat ergo metonymia qua titulus Cardinalitius denominet titularem. Forſan prævidit Malachias ardentem Innocentij zelum quo Federico II. Imp. animosè reſtitit & Cardinales ad hoc rubeo pileo donavit, & inde eum flammis ferróque cedere neſcium prænominavit Laurentium.

1254 Alexander IV. *Signum Oſtienſe.*

C. exponit A. IV. de Comitibus Signiæ Epiſcop. Card. Oſtienſis. Hoc qua-

drare poteſt in ſimiles titulares, & ſi pro Signia aut ſignienſi ponitur ſignum, voces deſinunt eſſe ſignâ conceptuum. Signum equidem lethale fuit PP. adverſus Manfredum in quem Epiſc. oppugnantem anathemata movit.

Urbanus I V. *Troyæ in Gallia natus.* 1261
Si nullum Trecenſem habeat Conclave ab iſto, prænotatur PP.

Clemens I V. *Draco depreſſus.* 1264
Interpres elucidat Clem. I V. cujus inſignia Aquila unguibus Draconem tenens, loquela hæc eſt ſtemmatis tacente interprete & quovis alio moralia expoſitoria ingerente ex vita Clementis.

Gregorius X. *Anguinus vir.* 1271
Interpres Gregor. X. familiâ Mediolanenſi Vicecomitum quæ anguem pro inſigni gerit. Tranſeat eventus hæc declaratio Prophetam obteſtor non poſſe dici anguinum & vafrum qui in Syria exiſtens nec de Papatu cogitans; aſſumptus fuit Lugduni ex Archidiaconatu Leodienſi.

Innocentius V. *Concionator Gallus.* 1276
Addit interpres, *Ordinis Prædicatorum*, ludit autē prænuntius in Symbolo, & fallitur in natione cùm Tarentaſienſis, Burgundus aut Sabundus potius quàm Gallus fuerit.

Adrianus V. *Bonus Comes*, 1276
Ciacon. Adrian. V. Ottobonus, familia

Fliſca ex Comitibus Lavaniæ, ex medietate nominis inditi & qualitate originis coagulatur Symbolum *Bonus Comes*, hoc autem plures afficere poſſe patet.

Omittitur Vicedominus poſt electionem ipſa die defunctus, qui non debet omitti: fuit Minorita & Archiep. Aquenſis.

1276 Joannes XXI. *Piſcator Thuſcus.*
Riſum movet litteratis inſulſa hæc Prædictio de Medico Uliſipponenſi, qui licet fuerit ante Papatum Cardinalis Tuſculanus nequaquam tamen Thuſcus fuit neque piſcator.

Nicolaus III. *Roſa compoſita.*
1277 Ciac. N. III. familiâ Urſinâ quæ roſam in inſigni gerit dictus compoſitus nullam hic proponit interpres doctrinam. Huic Ordo Minorum bonus odor fuit, mihique iſte Pontifex odorifera roſa.

1281 Martinus IV. *ex Telonio liliarci Martini.*
Ciacon. ſubſcripſit Martin. IV. cujus inſignia lilia Canonicus & theſaurarius Sancti Martini Turonenſis. Crediderim adjectivum liliacei ad diſtinctionem Eccleſiarum Sancti Martini poſitum potius quam ad prænotanda inſignia Papæ, Turonenſis enim Eccleſia præ cæteris liliata dicitur, quia urbs Regia & Sedes Regum fuit.

1281 Honorius IV. *Ex roſa leonina.*
Recurrit enodatio ad familiam Sabellam Honorij cujus inſignia roſa à Leonibus geſtata.

Nicolaus IV. *Picus inter eſcas.* 1288

Nihil hic habet Ciacon. præter regionis ſeu Piceni & Patriæ Aſcoli mentionem. Ego autem non capio pronoſticum iſtud pro Generali Minorum aſſumpto, neque enim Picenus ſeu ex Marcha Anconæ dici poteſt Picus, neque urbs Aſcoli Eſca neque Pontifex iſte ſolus inter eſcas. *Qui poteſt capere capiat.*

Cæleſtinus V. *Ex eremo celſus.* 1294

Tranſeat Symbolum ſicut in brevi tranſivit celſitudo Pontificia, qua ſe abdicavit poſt quinque menſes.

Bonifacius VIII. *Ex undarum benedictione.* 1294

Interpres exponit Bonif. VIII. vocatus Benedictus Caietanus cujus inſignia undæ. Ex nomine mutuatur benedictionem, & ex cognomine undas; vix capio quod huic nomen proferat benedictiones, cùm tot eodem inſigniti peſſimè audierint, & iſte pejus habeatur ab Hiſtoricis de quo vulgo dicitur Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis, tum dato quod familia iſta Hiſpana dicta ſit Caëtana à Caieta urbe mari adjacente Bonifacius erat Romanus.

Benedictus XI. *Concionator Patereus,* 1303

Silet hic interpres poſtquam dixit Fr. Nicolaus Ordinis Prædicatorum: dicam alludi cognomini Bocaſinus, nam eloquentia claruit, aliiſque mentis dotibus quæ ex Generalatu ad ſummum Pontificatum evexere: forſan qui B. Nicolai de Patara nomen præferebat ſortitus eſt ab oraculo per metonymiam cognomen *Patereus.*

Digitized by Google

1305 Clemens V. *De feſſis Aquitanicis.*

Interpres exponit C. V. natione Aquitanicus cujus inſignia feſſæ erant : vanam faciunt prædictionem, qui Burdegalum cujus erat Clemens Vaſconiæ recenſent.

1316 Joannes XXII. *De ſutore oſſeo.*

Demonſtratium & non propheticum eſt Symbolum ponit enim ob oculos Jacobum Oſſam Sutoris filium Cadurcenſem Lugduni creatum, ubi ſtirps vulgo cognita.

1328 Nicolaus V. Antipapa, *Corvus Schiſmaticus.*

Interpres habet N. V. qui vocabatur frater Petrus de Corbario contra Joann. XXII. Antipapa Minorita. Hoc eſt hiſtoriam adducere, & Symbolum, quod unicuique Pſeudopontifici poteſt aſſignari præterire : ad plenam hiſtoriæ notitiam vide noſtrum digeſtum fidei, fol. 1063.

1334 Benedictus XII. *Frigidus Abbas.*

Interpres exponit B. XII. Abbas Monaſterij Fontis frigidi Diœceſis Narbonenſis. Plenius dicam Monachum hunc Ciſtercienſem verè frigidum fuiſſe Abbatem qui parentes non foverit cujuſque erat ſententia, *ſi mei non fuerint Dominati, tunc immaculatus ero.*

1342 Clemens VI. *De Roſa Attrebatenſi.*

Interpres habet C. VI. Epiſcopus Attrebatenſis cujus inſignia roſæ. At iſtud gentilitium nihil habet commune cum Epiſcopatu ut roſam, ne dicam roſas denominet domus Canillaceæ.

Digitized by Google

Innocentius VI. *De Montibus Pammachij.* 1352

Interpres ſubſcribit Innoc. VI. Cardinalis S. Joannis & Pauli tituli Pammachij, cujus inſignia ſex montes: alluditur ad patriū locum dictum mons in Lemovicenſi ſolo vel ad ejus Epiſcopatum Claromont. ſimulque ad Cardinalatus titulum diffuſior mihi videtur metonymia hæc qua nomen tituli ſacri transfertur ad gentilitium.

Urbanus V. *Gallus Vicecomes.* 1362

Quæratur ad hoc Oedipus quod enim affert Ciacon. Urban. V. Nuncius Apoſtolicus ad Vicecomites Mediolanenſes extraneum eſt, delegatio enim ad aliquem non transfert qualitatem ejus ad Nuntium: nec ullo modo Guilelmus de Griſaco Abbas S. Victoris Maſſilienſis dici poteſt Vicecomes.

Gregorius XI. *Novus de Virgine forti.* 1370

Interpres ſit legit Gregor. XI. qui vocabatur Petrus Belfortis Cardinalis S. Mariæ Novæ, agnoſco metalepſim ſeu tranſſumptionem unius rei ad aliam ex conſequentia colligendā aut ex converſione. *fortis de Virgine Nova* perſonam ad titulum Cardinatus transferendo. Rem expreſſius tangam ſi dixero Gregorium deveniſſe novum Pontificem ex reſolutione referendi Romam Petri Sedem quam ſuaſit Catharina Senenſis virgo fortis.

Clemens VII. Antipapa, *De Cruce Apoſtolica.* 1378

Digitized by Google

Interpres habet Clem. VII. qui fuit Presbyter Cardinalis XII. Apoſtolorum, cujus inſignia *crux* non aperitur Symbolum declarando ſimpliciter inſigne Clementis ex ſtirpe Comitum Genevæ, ut ſic enim non eſt crux Apoſtolica ſeu tituli 12. Apoſtolorum. Sed ſchiſma in Clemente cœptum & per 50. circiter annos Avenione prolongatum vera fuit crux Sedis Apoſtolicæ.

1393 Benedictus XIII. Antipapa, *Luna Coſmedina.*

Petrus de Luna Arragodius Diœceſis Sarragocæ, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin cujus gentilitium Luna quam in inſtabilitate imitabatur pacem & unionem Eccleſiæ modo requirens modo impediens contra præſtitum juramentum.

1424 Clemens VIII. ſucceſſor Benedicti in ſchiſmate, *Schiſma Barcinonicum.*

Benedicti duo tantum ſuperſtites Cardinales ſubrogant Ægidium Munionem Canonicum Barcinonenſem. Conſtat autem recuſaſſe nomen dignitatis hancque impellente Alphonſo Rege Aragoniæ ſuſcepiſſe, & poſt 4. annos abdicaſſe quare applicatur Symbolum quòd cum Clemente, ceſſarit ſchiſma.

1378 Urbanus VI. *De inferno prægnanti.*

Interpres referat Urban. VI. Neapolitanus natus in vico qui dicitur infernus. Non hic ſtat ſumma ænigmatis: quæro quid parturiat

turiat iſte infernus per Bartholomeum Prignanum, odia, vindictas immanes, immerſionem quinque Cardinalium ſacris incluſorum, &c.

Bonifacius IX. *Cubus de mixtione.* 1389

Interpres legit, Bon. IX. de familia Tomacella Genuenſi cujus inſignia cubi. Quæro unde extracti & qua mixtione ſolidantur.

Innocentius VII. *De meliore Sydere.* 1404

Ciacon. ſubſcribit. Innoc. 7. vocatus Coſmas de melioratis patria Sulmonenſis in regno Siciliæ cujus inſignia ſydus: ſæpe jam vidimus domum & gentilitium enucleare Symbolum tantiſper obſcuratum.

Gregorius XII. *Nauta de ponte nigro.* 1406

Interpres habet. Greg. XII. Venetus dictus Angelus de Carrerio Commendatarius Eccleſiæ Nigri Pontis. Quæro cur nauta quæve relatio nautæ ad præfecturam Eccleſiæ: Modernus Chronologiſta Gallus nuncupat hunc *de Carriere*, movet ergo me cognominis identitas ut ejus ſymbolum enucleem: nautam dico quia Venetiæ mari immerſæ cives ſuos ſic facit compellare ſæpius aſſidentes navigiis quàm terræ quorum numerus intra ſepta civitatis mille quadringenta excedit, quibus canales obeundo quadrigentis & quinquaginta Pontibus diſtinctos neceſſe eſt ut quiſque nauticam calleat, ſicque Venetus Nauta dicitur, iſte autem præ-

nunciatur de Ponte nigro fortè ob pontem adjacentem Palatio ſuo ſic dictum.

1409 Alexander V. *Flagellum ſolis.*
Interpres legit Alex. V. ex Creta Græciæ ex Ordine Minorum Archiep. Mediolan & Cardin. tituli 12. Apoſtolorum cujus inſignia ſol: addam ego ſolis hujus ſeptem radios eſſe flagellum terræ, unde David de viro à Deo protecto ait, *Sol non uret te.*

1410 Joannes XXIII. *Cervus Syrenæ.*
Interpres habet Joan. XXIII. Diaconus Cardinalis S. Euſtachij qui cum cervo depingitur Legatus Neapolitanus. Capiat qui poterit intentum Prophetæ, dato enim quod Cardinalitius titulus per cervum innuatur vox hæc non concordat Syrenæ niſi dicamus ingenium Baltaſaris Coſſæ indicari, qui quaſi cervus fugit à Concilio Conſtantienſi, ne promiſſis & fidei datæ de abdicando Papatu ad exterminium ſchiſmatis ſtare cogeretur, retractus autem ſtudio Sigiſmundi Imperatoris & Concilij loquebatur quaſi Syrene, fallebat tamen, ideoque formato in eum proceſſu depoſitus fuit.

1417 Martinus V. *Corona veli aurei.*
Ciacon. legit Mart. V. familiâ Columnâ Cardinal. S. Georgij ad velum aureum. Jungo coronam auream familiâ titulo Cardinalitio ſic quadrat ſymbolum.

1431 Eugenius IV. *Lupa cæleſtina.*

Interpres habet Eug. IV. Canonicus antea regularis Cæleſtinus & Epiſcopus Senenſis. Nihil hic eruitur à ſtemmate. Canonicatus congregationis S. Georgij in Alga ſub habitu Cæleſtino cum homuſia & pelle lupina vel alia in ſignum humilitatis & ſolitudinis aſſignata, ut moris eſt ſymbolum ſemiaperit.

Felix V. Antipapa. *Amator crucis.* 1439

Interpres ſubſcripſit F. v. qui vocabatur Amedeus Dux Sabaudiæ cujus inſignia crux, quæro cur amator crucis non ideo tantùm, quia conſignato Ducatu Comiti Genevæ Ludovico primogenito ſuo ſeceſſit in ſolitudinem Ripaliæ Diœceſis Lauzanæ, ſed quia inde à Concilio Baſileenſi adductus & declaratus Papa, ceſſit ob amorem crucis Nicolao V. & renuntiavit.

Nicolaus V. *De modicitate Lunæ.* 1447

Interpres legit N. v. Lucenſis de Sarſana humilibus natus parentibus. Luna quæ Diœceſi nomen confert urbs fuit æquata ſolo ex cujus ruinis facta eſt Sarſana, ut ſcribit Aviti tomo 3. Coſmographiæ. Inde natus N. eſt de modicitate Lunæ,

Caliſtus III. *Bos paſcens.* 1455

Interpres C. III. Hiſpanus cujus inſignia bos paſcens: Alphonſus Borgia Jureconſultiſſimus loca maritima Turcarum depaſtus eſt.

Digitized by Google

1458 Pius II. *De oapra & Albergo.*
Ciacon. P. II. Senenſis qui fuit à ſecretis Cardinali Capronico & Albergato. Quàm extrinſecum ſit hoc ad promotionem ſupremã quæ ſic prænuntietur quis non videt!

Paulus II. *De Cervo & Leone.*
1464 Interpres ſic habet. Paul. II. nobilis Venetus qui Eccleſiæ Cervienſis commendatarius fuit, & Cardinalis tituli S. Marci, itaque ex Cardinalatu & Diœceſi coaptatur ſymbolum.

1471 Sixtus IV. *Piſcator Minorita.*
Ciacon S. IV. Piſcatoris Genuenſis filius Franciſcanus genus & ordo verificant ſymbolum ejus qui per ſingularem eloquentiam in prædicando piſcator fuerat amicitiæ nobiliſſimæ familiæ in Sabaudia Roboreæ ſeu du Roüere quæ gentilitia ſua & cognomen ei tranſmiſit.

Innocentius VIII. *Præcuſor Siciliæ.*
1484 Interpres Innoc. VIII. ex nobili familia Genuenſi *Cibo* vocatus Joannes Baptiſta, & vixit in curia Alphonſi Regis Siciliæ nomen Baptiſmi & famulatus id exponunt, omne ergo qui baptiſta dicentur præcurſores erũt.

Alexander VI. *Bos albanus in portu.*
1492 Ciacon. Alex. VI. Rodericus Borgia dictus ex materno ſuo avunculo Caliſto III. qui ex gente Lenſolia ortus erat Epiſcopus Cardinalis Albanus & Portuenſis. Itaque ex

cognomine & gentilitio Borgiano, bos, & ex duobus Epiſcopatibus, cætera, bos equidem laſciviens qui in Italiæ deſolationem, ut nothos ſuos exaltaret natus viſus eſt

Pius III. *De parvo homine.*

Ciacon. P. III. de familia Piccolomini addit Onuphr. in Epitome brevis Pontificatus 26. dierum, ſed ingens gloria, non ergo parvus homo qui & nepos Pij II. 1503

Julius II. *Fructus Jovis juvabit.* 1503

Interpres Jul. II. ligur ſeu Saonenſis cujus inſignia, quercus Jovis arbor. Apertius expono, Julius nepos erat Sixti IV. fuitque Novitius Minorita Peruſiæ. Sixtus juvit ad promotionem vel iſte deſignatus per quercum juvabit Eccleſiam bona ejus recuperando ab occupantibus, & Gallos ab Eccleſia explodendo, à quorum potentia timebant Principes Italiæ.

Leo X. *De craticula Politiana.* 1513

Ciacon. Leo X. filius Laurentij Medices, & ſcholaris Angeli Politiani. Puerile hoc dico qui ad Grammaticam recurrit & colludit in nomine Parentis. Abecedarium ſapit.

Adrianus VI. *Leo Florentius.* 1522

Ciacon. Adrian. VI. Hollandus Florentini filius cujus inſignia Leo, quæro cur Leo prænuntietur qui nomen Baptiſmi retinuit, & nihil minus fuerit quam Leo timiditatis inculpatus.

Digitized by Google

1523 Clemens VII. *Flos pilei ægri.*

Ciacon. Clem. VII. florentinus de domo Medicea cujus inſignia pilæ & lilia: ægrè poſt iſtud enucleari licet retrocedas ad Julianum Mediceum occiſum in Eccleſia S. Reparatæ, qui Clementem utero Matris adhuc incluſum reliquit tanquam florẽ Patris metonymice per pileum ægrum repræſentati. Hoc commentus eſt P. Gorgeu Minimus.

1534 Paulus III. *Hyacinthus Medicorum.*

Interpres legit Paul. III Farneſius qui lilia pro inſignibus geſtat, & fuit Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani: cærulea ſex Farneſiorum lilia ex imitatione naturali pro hyacintho uſurpantur, & ad Cardinalitium titulum SS. Medicorum traducuntur an congruè viderit lector.

1550 Julius III. *De Corona Montana.*

Interpres habet Julius III. antea vocatus Joannes Maria de Monte cognomen & gentilitium trium montium duabus lauri coronis cinctorum, pronoſticum confirmat.

1555 Marcellus II. *Frumentum floccidum.*

Ciacon. M. II. cujus inſignia cervus & frumentum floccidum, quòd citius exaruerit Pontificatus eique 21. die.

1555 Paulus IV. *De Fide Petri.*

Neapolitanus ex familia Charafe, id eſt chara fides ſic deſignatur; qui Petri Sedem occupabit, & charaſis.

Digitized by Google

Pius IV. *Æſculapij Pharmacum.* 1560

Ciac. P. IV. Mediolanenſis ex familia Medicea vocatus Angelus Medices. Peritiſſimus medicinæ & ex Medicea gente ortus abſolvit Conc. Tridentinum quod pro Pharmaco ſalutis ſpiritualis agnoſcitur.

Pius V. *Angelus nemoroſus.* 1566

Interpres P. V. Michael vocatus natus in oppido *Boſchi* quaſi verò ſi vocaretur Gabriel, &c. non diceretur Angelus.

Gregorius XIII. *Medium corpus pilarum.* 1572

Ciacon. G. XIII. cujus inſignia , *medius Draco* Cardinalis creatus à Pio IV. qui pilas in armis geſtabat. Quid quæſo influunt Symbolo diſcretivò aliena inſignia.

Sixtus V. *Avis in medietate ſigni.* 1580

Interpres S. V. qui axem in medio Leonis geſtat, quid hæc ſignificent, enarrent Minoritæ qui eum ab aratore Felice Perreto natum in oppido montulco ſuſceperunt & ſublimarunt, & ut ſtellam polarem in medio Eccleſiæ inconcuſſum viderunt.

Urbanus VII. *De rore cœli.* 1590

Interpres Joan. Baptiſta Caſtanneus, qui fuit Archiep. Roſſonanenſis in Calabria , ubi manna colligitur Principatus in quo habetur iſte Archiepiſcopatus Roſſona vocatur, non ſapit mihi calebreſe hoc prognoſticum , neque profuit ros Urbano defuncto die 12.

Gregorius XIV. *De antiquitate urbis.* 1590

Digitized by Google

Explicat hic Ciaconius dicens G. XIV. Senatoris Mediolanenſis filius dictus Nicolaus Sfondratus. Inſulſum videtur hoc prognoſticum cùm Roma quæ tot protulit Pontifices ſit antiquior Mediolano 359. annis duntaxat ante Chriſtum fundato, & opera S. Barnabæ religione imbuto 17 poſt Chriſtum.

1591 Innocentius IV. *Pia civitas in bello.*

Alludit Symbolum ad tempus electionis Roma enim partiaria Hiſpanicæ linguæ adverſus Galliam & Regem Navarræ Henricum IV. copias militares ſuppeditabat, quia de pietate & religione prætexebatur bellum.

1592 Clemens VIII. *Crux Romulea.*

Hippolitus Aldobrandinus à ſtirpe Romuli per primum familiæ Chriſtianum deſcendere notatur, ſi ergo crux deſignet Hippolitum florentinum non hæreo in Romuleo.

Leo XI. *Vndoſus vir.*

1605 72. Ætatis ſuæ anni 27. diebus Papatus immerſi ſunt Alexander Mediceus filius Octaviani, conſobrinus Coſmæ magni Etruriæ Ducis in mediterraneo potentiſſimi, cum eadem habeat inſignia conſanguinei qualitatibus indicari poteſt & dici undoſus vir.

1504 Paulus V. *Gens perverſa.*

Camillus Borgheſius Senenſis laudabiliter regnavit 16. ferè annis, currit, ergo ſimbolum per antiphraſim ut lucus quòd minimè luceat neque inſignia draco & aquila, etſi

Digitized by Google

animalia feralia magis enucleabunt.

Gregorius XV. *In tribulatione pacis.* 1621
Ex Bononienſi antiqua Ludoviſia familia punicei ſcuti tribus lemniſcis ſeu vittis aureis obliquè diffindit, hiſtoria temporis declarat prognoſticum, bellantibus enim inter ſe Ducibus Carolo Emmanuele Sabaudiæ, & Ferdinando Mantuæ intermixtoque Philippo III. Rege Hiſpaniæ Paulus V. Archiep. Bononienſem Alexand. Ludoviſi negotiatorem pacis delegavit ad Oratores Frãciæ & Hiſpaniæ, qui ex felici eventu Cardinalatũ à Paulo obtinuit, & toto Pontificatu bellum viguit in omnibus fere partibus Europæ.

Vrbanus VIII. *Lilium ex roſa.* 1623
Maffeus Barberinus Florentinus ejus inſignia tres apes aureæ in ſcuto cæruleo inſedere ſolent apes liliis & roſis, & ſuccum exprimere quo nutriuntur ad ſatietatem, unde dicuntur metonymicè lilium & roſa; Sicutque auro & melle nutritur, inde dulcis & mel nuncupatur. Similiter Urbanus ex affabililate innata lilium & roſa prænuntiatur. Adde quod roſam lilio annexuit diſpenſando Henrietam filiam Franciæ liliis deſignatam ut roſam, id eſt Angliæ Principem poſtmodum Regem aſſumeret in maritum.

CONTINUATIO HISTORIÆ CHRONOLOGICÆ PONTIFICUM ROM.

1644 INNOCENTIUS X. Urbano VIII. ſucceſſit; es defuncto Cardinales conclave ingreſſi ſunt die IX. menſis Auguſti, & die XIV. Septembris electio cecidit in Joannem Baptiſtam Cardinalem pamphilium, qui ſibi Innocentij X. nomen impoſuit, dieque iv. Octobris ſancto Franciſco Aſſiſiati ſacro Pontificia Thiara coronatus eſt. Romæ natus erat nonis maii anno MDLXXIV. eum Gregorius XV. Nuncium Apoſtolicum Neapolim direxit; ac dein Urbanus VIII. ex ea provincia removit, ut Franciſco Cardinali Barberino Nepoti in Gallica & Hiſpanica Legatione ſupplicibus libellis præfectum, *Datarium* vocant, daret. Cùm apud Philippum IV. Hiſpaniarum Regem Apoſtolicis Nuncij munere fungeretur, Cardinalis renunciatus eſt.

Factus Pontifex Jubilæum anno MDCXLIX. indixit, dieque XXIV. Decembris portam ſanctam, ut vocant, aperuit, quam anno inſequenti clauſit. Durante Jubilæo omnes

& ſingulas Indulgentias quibuſvis Eccleſiis conceſſas nulli prodeſſe debere decrevit; peculiari tamen reſcripto die v. Julij anni MDCL. emiſſa declaravit, Indulgentiam portiunculæ, olim ſancto Franciſco conceſſam, & diei ſecundæ menſis Auguſti eam Eccleſiam viſitantibus alligatam, non comprehendere.

Eo Eccleſiam gubernante prodiit in Gallia liber quidem Anonymus, in quo aſſerebatur omnimoda æqualitas ſanctorum Petri & Pauli ſine ſubordinatione & ſubjectione iſtius ad illum poteſtate ſuprema & in regimine univerſalis Eccleſiæ. Ad eam propoſitionem examinandam cætum Cardinalium, Prælætorum, & Theologorum inſtituit Innocentius, quibus auditis propoſitionem illam hæreticam declaravit. Hujus libelli occaſione varia Opuſcula edita, quibus demonſtratum eſt, imaginem Pauli à dextris Petri ex inſtituto Eccleſiæ vetuſtiſſimo poſitam, neque Paulum Petro facere parem, neque de principatu Petri aliquid minuere, ex quibus præſertim legenda Exercitatio Petri de Marca Archiepiſcopi pariſienſis *de ſingulari primatu Petri*, quæ inter ejus Opuſcula poſtuma à Baluzio edita eſt.

Damnavit etiam quinque alias propoſitiones à Catholica veritate alienas, è Cornelij Janſenij Yprenſis, dum viveret, Epiſcopi libro deprompṭas, conſtitutione data Romæ anno MDCLIII. pridie Kalendas Junias, Pontificatus ejus anno ix.

Anno MDCLIV. Chriſtina Sueciæ Regina

coronam depoſuit, & jam privata Hamburgum, indeque in Belgium & Bruxellas venit, ubi Lutheranam ſuperſtitionem privatim ejuravit, & orthodoxam fidem profeſſa eſt. Quæ cùm Innocentio per literas ſignificaſſet, ſe quam primùm ad eam publicè profitendam Romam acceſſuram, nuncium illud Pontifici à Deo gratum fuit, ut non multò pòſt moriens, duabus tantùm de cauſis mortem ſibi immaturam videri dixerit, quòd nempe nec Catholicam ſueciæ Reginam, nec finem belli, quo Europa ardebat, videre poſſet.

Eo etiam Eccleſiam adminiſtrante Turcæ Candiam fortiſſimam Reipublicæ Chriſtianæ arcem aggreſſi ſunt, & per plures annos ejus obſidionem continuarunt quare Innocentius Triremes Pontificias ſingulis annis venetis in ſubſidium miſit, impetravitque, ut Triremes Neapolitanæ, Hetruſcæ & melitenſes ad Turcas repellendos eis concederentur. Obiit die ſeptima menſis Januarij anni MDCLV. poſtquam ſediſſet annos decem, menſes tres, dies viginti quinque.

1655 Alexander VII. poſtquam Cardinales die xviii. Januarij Conclave introiſſent, die ſeptima menſis Aprilis Pontifex creatus eſt, & Alexandri VII. nomen aſſumpſit, cùm antea vocaretur Fabius Cardinalis Chiſius. Coronatus autem fuit die xviii. ejuſdem menſis. Senis in lucem prodierat idibus Februarij anne MDXCIX. Poëſim præcipuè excoluerat, in qua hymnos, epigrammata, & elegias plures ſcripſerat. Conventui Mona-

Digitized by Google

ſterienſi Nuncius Apoſtolicus interſtuit, in quo omnem lapidem movit, ut optata pax in Europa ſanciretur, quem finem cum aſſecutus eſſet, jura Eccleſiæ adverſus hæreticos in tractatu pacis, in quantum potuit tuitus eſt.

Chriſtinam ſuecorum Reginam ejurata hæreſi Lutherana abdicatoque regno, Catholicam fidem amplexam ad Urbem Alexander VII. invitavit; cumque ad eam veniſſet, Regis honore & apparatu excepit die xxiii. Decembris anni MDCLV. quo Romam ingreſſa eſt.

Kalendis Novembris anni MDCLVIII. Thomam de Villanova Ordinis Sancti Auguſtini in Sanctorum numerum retulit; cumque palatium Caſtri Gandulfi ad Lacum Albanium, quò ad animi remiſſionem Pontifices ſecedere ſolent, ad Regiam magnificentiam perduxit, in eo caſtro erexit, dedicavitque ædem eidem ſancto Thomæ ſplendidè pro loci illius conditione extructam.

Sub ejus pontificatu Turcæ Hungariam afflixêre, annoque MDCLX. poſt mortem hagorzij Tranſylvaniæ Principis fortiſſimi & audaciſſimi, Uaradinum munitiſſimum oppidum obſidione cinxêre; quam quidem ſolvere, Chriſtianis fortiter reſiſtentibus; ſed cùm eam iterum reſumpſiſſent, tandem die xxvii. menſis Auguſti poſt trimeſtrem oppugnationem eo potiti ſunt. Eo bello durante Alexander VII. quantum ex Apoſtolico ærario exprimere auri potuit, Imperatori miſit; eumque ſex decimis Clero Italiæ

Digitized by Google

impoſitis juvit; vidua enim Ragotzij principis, ut auxilium ab Imperatore obtineret, aliquas arces ei tradiderat.

Anno inſequenti videns Turcas impetum in citeriores provincias ingenti apparatu meditari, miſeraſque clades univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ minitari, ex veteri Romanæ Eccleſiæ more die ſecunda Martij Jubilæum univerſale ad implorandum opem divinam contra hoſtem tunc adeo formidabilem largitus eſt.

Eodem anno Turcæ Tranſylvaniam repetiere, qua parte minus expectabantur, eamque totam ſui juris factam, Michaëli Abaſtio commiſere. Tum ſub initium menſis Junij anni MDCLXIII. ſe ſe ad invadendā Hungariam pararunt, & primus Viſirus Belgradum venit, cum ingenti exercitu bellum inchoaturus. Tandem anno MDCLXIV. Germanos inter & Othomanos ad Arrabonem fluvium die prima menſis Auguſti pugnatam eſt, victoriaque à Chriſtianis ſtetit, Gallicæ cohortibus à Ludovico Galliarum Rege miſſis Barbaros pene jam victoria potientes fortiter repellentibus. Poſt hanc victoriam Turcæ inducias in annos viginti cum Cæſare pepigere.

Gliſcente apud Hiſpanos controverſia de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione in grave aliquod diſſidium eruptum, niſi periculo ob viam iretur, Epiſcopus placentinus ab Hiſpaniarum Rege Romam delegatus, Alexandro VII. ſupplicavit, ut recepta pene omnium Ordinum opinio Beatæ Virgini

ſavens, Pontificio oraculo ſanciretur. Alexander, qui in Theologicis verſatus erat, eam quæſtionem diu diligenterque perpendit, & poſtquam totam rem cum viris in Urbe doctiſſimis communicavit, conſtitutionem edidit die viij. Decembris anni MDCLXI. in qua quidem abſtinuit à referendo inter fidei dogmata articulo Immaculatæ Conceptionis, ſed priorum Pontificum decreta illi faventia non ſolùm confirmavit, ſed etiam in multis auxit, graviſſimis pænis propoſitis, ſi quis adverſus eam ſententiam quovis prætextu ſeu occaſione diſputare, vel aliquo modo diſſerere præſumeret.

Franciſci Saleſij virtutes & ſcripta præ ceteris Sanctis viris coluit, ejuſque monita pro vitæ ſuæ regula habuit, ex quibus illud identidem inculcabat: nihil petendum; nihil recuſandum. Cumque magni nominis præſul conqueſtus alicubi eſſet, primam quidem ejus dicti partem in poteſtate ſua eſſe, ſeque ei jam pridem libenter ſatisfacere, alteri verò, quæ eſſet in pontificis poteſtate, ſatisfaciendi nullam adhuc præbitam ſibi occaſionem; ubi id reſcivit Alexander renunciari illi juſſit: ad duo Saleſianæ ſententiæ membra addendum eſſe tertium, quo præcipitur, nihil dolendum. Eum tamen præſulem non multò pòſt egregio munere & Eccleſiaſtico reddita liberaliter ornavit; Franciſcum* verò Saleſium anno MDCLXI. die xxviii. Decemb. in album Beatorum, annoque MDCLXV. die XIX. menſis Aprilis in Sanctorum numerum retulit.

Digitized by Google

Literatos viros plurimi fecit; eorumque conſuetudine remiſſionem animi quærebat, de re literaria ſermones conferens, & ad Oratorum & Poëtarum delicias aliquando deſcendens poëſim tamen, cujus aliàs ſtudium nequidem inter graviores curas unquã dimiſerat, poſtquam ad pontificatum pervenit, in pretio quidem habuit, ſed nunquàm attigit, ultimaque ejus carmina fuerunt viginti hexametra, quæ in comitiis vaticanis ad ferdinandum Fuſtembergium jocabundus ſcripſit, de forma & ſtatu Comitiorum.

Latinè ex tempore propriè & dilucidè loquebatur; non tamen in verborum delectu: ea erat religione, ut non niſi Auctoribus, qui Auguſti ſeculo floruerant, uteretur. Imò ridebat nonnullos, ceteroqui claros Scriptores, & in his Petrum Bembum & Paulum Jovium, qui ut deſignarent res in artibus, vel in Republica noviter inventas, ineptis circumlocutionibus uſi ſunt, ne voces novas proferent, quibus tamen hi ipſi uſi fuiſſent, quos ſe imitari gloriabantur. Dolebat quòd in Italia literæ à ſuperioris ſeculi laude in dies magis exciderent, & inter viros eruditos Holſtenium Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodem & Leonem Altatium hujus in eo munere ſucceſſorem æſtimabat.

Bibliothecæ Uaticanæ adjunxit Bibliothecam Urbinatum Ducum magnâ omnis generis manuſcriptorum copiâ refertam, cujus jacturam Urbinatibus aliunde rependit. Eorumdem verò Ducum Bibliothecam impreſ-

ſorum librorum penſato pariter civibus damno donavit Archigymnaſio Romano, quod etiam toto ambitu perfecit, & in eo ædem in honorem ſancti Ivonis ab Innocentio *X*. inchoatam abſolvit.

Venetos Cretam adverſus Turcas propugnantes pecunia juvit & milite, bellumque Othomanicum cauſam Eccleſiæ judicavit. Quare illi difficile non fuit patres ſocietatis Jeſu ab omnibus venetæ ditionis urbibus extorres in priſtinum ſtatum reſtituere, reſciſo nempè à Senatu Veneto decreto hujus ſeculi initio adverſus eos dato: poſt plura ad Urbis ornatum & ad Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem peracta vitam cum morte commutavit die xxii. menſis Maij anni MDCLXVII. Sedit annos XII. menſem. I. & aliquot dies.

Clemens I X. Alexandrum VII. excepit. 1667.
Die ſecunda Junij Cardinales Comitia ingreſſi ſunt, dieque viceſima ejuſdem menſis unanimi ſuffragiorum conſenſu Julius Hieronymus Cardinalis Roſpiglioſus Pontifex electus eſt, qui Clementis IX. nomen adſcivit. Tum die XXVI. Junij, die Dominico de more coronatus eſt, in Baſilica Vaticana. Natus erat anno MDC. die xxvii. Januarij in urbe poſtorienſi. In Antonij Barberini Cardinalis familiam coaptatus, literatorum hominum congreſſus coluit, à quibus ipſe pariter cultus eſt, & ab Urbano VIII. magno in honore habitus, aliis ſuper alios honoribus cumuloſus eſt. Nuncius Apoſtolicus in Hiſpaniam miſſus, non ſolùm ſedis Apoſto-

Digitized by Google

licæ jura, dignitatemque in graviſſimis caſibus, qui Innocentio X. ſedente acciderunt, præclarè ſuſtinuit; ſed etiam Regis illius animum ita ſibi devinxit, ut ab eo annuam ac perpetuam quatuor aureorum millium penſionem Baſilicæ Liberianæ impetrarit. Alexander VII. ubi Pontifex renunciatus eſt eum Secretarium ſtatus, ut vocant, ac biennio pòſt Cardinalem creavit.

Poſtquam ad Pontificatum pervenit, ejus præcipua cura fuit exitus belli à Turcis adversùs venetos moti; ita enim jam cretenſi bello hi attriti erant, ut pace cum Barbaris per æqua per iniqua illud finire cogerentur, niſi prævalido aliquo præſidio Candiæ maturè ſuccurreretur. Galliæ, Hiſpaniæque Reges, quorum præcipuè ope omnis Cretæ tuendæ ſpes nitebatur, Belgicum bellum diſtinebat. Quare Clemens IX. miſit Jacobum Camilli flatris ſui filium ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem, qui patrui mandata impigrè executus flexit Regis animum, qui in medio victoriarum curſu exorari ſe paſſus per literas ſignificavit, ſe ejus officiis & deſiderio obſecutum arma inhibuiſſe.

His actis Pontifex totus incubuit ſollicitandis Europæ Principibus ad opem Cretæ ferendam, quod ei ultimum periculum immineret. Incredebile dictu eſt, quanto animorum ardore pro ſe quiſque Clementis vocibus ad commune periculum propulſandum occurrerint, uno vel altero excepto, quos vel anguſtæ domi res, vel recèns o[illegible]

diſſidia retardarunt. Sabaudiæ Dux plurimos & fortiſſimos milites ſub egregiis belli ducibus ſuppeditavit, Ferdinandus magnus Hetruriæ dux copias, quæ ære ſuo in Dalmatia adversùs Turcas militabant, novo ſupplemento militum auctas miſit: Ferdinandus Bavariæ dux, ex Electoribus unus mille fermè milites ſuis ſtipendiis omnes ad exitum belli alendos contulit, aliique Electores Germaniæ aliarumque regionum orbis Chriſtiani Principes laboranti Reipublicæ venetæ hac occaſione non defuere.

Maxima in Ludovici Gallorum Regis præſidio repoſita ſpes erat. Quapropter Clemens omnibus paterni animi officiis eum ſibi devinciendum ratus, nihil omiſit, in quo ei gratificari poſſet; quod imprimis apparuit in conceſſione indultorum nominandi ad Eccleſias & monaſteria, aliaque Beneficia in Provinciis Gallicæ ditioni nuper adjectis ſita. Rex ita ſe geſſit, ut non publicam rei Chriſtianæ, ſed privatam ſuam cauſam tueri videretur, ideoque miſit Beltortium ducem, quem Regiæ claſſi octo armatorum millia, & omnem belli apparatum ſub fortiſſimis ducibus vehenti præfecit, cum mandatis, ut claſſis duces à Pontificis nepotis natu arbitrioque penderent.

Interim ad extrema jam redacta erat Creta; res enim arctiores in dies fiebant, & crebri tormentorum ictus ac fœdæ cuniculorum miſſiliamque ignium ſtrages vix ullum receptui locum relinquebant. Unde viſus eſt ſibi Belfortius dux rem generis gentiſque

ſuæ gloria dignam facturus, ſi lectiſſimorum juvenum manu ſtipatus in Turcarum nihil tale metuentium caſtra irrumperet, utque erat præfervido vir ingenio, prima nocte incredibili ardore hoſtem invadit. Res ex voto ceſſiſſet, ſubito eventu conſternatis & effusè fugientibus Turcis verùm metus in Chriſtianos verſus eſt fortuita nitrati pulveris conflagratione;ex eâ enim ſuſpicati ſe in hoſtiũ inſidias incidiſſe terga verterunt,Turcæque animis ac viribus collectis eos fortiſſimè dimicantes interfecerunt.

Mortuo itaque Belfortio duce, & amiſſo Gallici roboris flore, Ueneti pacis conditiones accepere, Cretamque dedidere die VI. Septembris annis MDCLXIX. Incredibili dolore Clementem perculit malè rei geſtæ nuncius, conſtanſque fama fuit Cretæ caſum mortem ejus acceleraſſe. Triduo enim poſtquam illum accepit, in morbum incidit,neq; eo ſæviente perſuaderi potuit, ut à ſollicitudine rerũ publicarum paululum quieſceret.

Non ſolùm in Cretico bello proſequendo; ſed etiam in variis aliis bonum Eccleſiæ ſpectantibus zelus ejus eluxit. Luſitaniam pace cum Hiſpano compoſita excepit datis eidem Epiſcopis, quibus jam pridem carebat,& Eccleſiaſticâ diſciplinâ diligenter inſtauratâ. Cumque Alfonſo portugalliæ Regi poſtquã regimẽ abdicavit Petrus ejus frater ſucceſſiſſet, & ejuſdem Alfonſi uxorem ſibi matrimonio junxiſſet,prioribus nuptiis eo nomine ſolutis, quòd maritus iis perficiendis naturâ impar eſſet;magni ex eo matrimonio motus & periculoſa diſſidia orta eſſent, niſi Clemẽs

Digitized by Google

cauſæ cognitione ſibi aſſumpta modum inveniſſet ex eo labyrintho egrediendi, ſalvâ Eccleſiæ diſciplinâ.

In Hiſpania motus ingens erat inter Joannem Auſtrium Regij Sanguinis Principem & primarios regni Miniſtros, qui non ſolùm Matritum regiam urbem, ſed totius Hiſpanici imperij ſtatum turbare potuiſſet, niſi Clementis ſollicitudo, ac vigilantia, operam ſtrenuè navante Borromæo ejus in Hiſpania Nuncio, ingruens malum avertiſſet, & ſumma omnium ordinum acclamatione rem compoſuiſſet.

Idem pontifex conſiderans congregationes Canonicorum ſancti Georgij in Alga venetiarum, ac Jeſuatorum ſancti Hieronymi de feſalis ſub Regula ſancti Auguſtini militantium defeciſſe à primo Religionis vigore, nullamque vel valde modicam in Eccleſia Dei utilitatem præſtare, utramque ſuppreſſit litteris die VI. Decembris anni MDCLXVIII. datis.

Beatum Petrū de Alcantara Ordinis Minorū ſancti Franciſci diſcalceatorū anno MDCLXIX. die xxviij. menſis Aprilis Sanctum eſſe decrevit, & ab univerſa Eccleſia coli quolibet die xviii. Octobris, quò ad cælum migravit. Gratias Deo agebat, quòd ſibi hanc mentem inſpiraſſet decernendi ſupremos honores huic viro admirabili, quem præcipuo cultu venerabatur, & in quo ſalutarem opem in maximis infelicium temporum diſcriminibus præſertim contra ſuperbiam & ferociam

Digitized by Google

Turcarum, implorabat. Canonizavit etiam ſanctam Mariam Magdalenam de Pazzis florentiæ natam, quæ ſuſcepto habitu Ordinis Carmelitarum ſe omnium virtutum exemplar, dum viveret, exhibuerat, & in vita ac poſt mortem miraculis claruerat. Roſam de ſancta Maria Limanam in Regno peruano Indiarum occidentalium, tertij Ordinis ſancti Dominici die xii. Februarij anno MDCLXVIII. Beatificationis honore donavit, eamque anno insequenti in Patronam principaliorem ejuſdem civitatis Limanæ totiuſque Regni peruani elegit & declaravit. Brevis ejus Pontificatus fuit, obiit enim die nona Decemb. anni MDCLXIX. poſtquam ſediſſet annos duos, menſes quinque, dies viginti,

1669 CLemens X. patria Romanus, antea Æmilius Laurentius Cardinalis Alterius, poſt quadrimeſtre ſpatium electus eſt Pontifex die xxix. menſis Aprilis anni MDCLXX. die XXI. maii, quæ Dominica quinta poſt Paſcha fuit, ſolemniter coronatus: quia verò ad ſummam jam ſenectutem pervenerat, Alteriæ domus nomen & inſignia in palatiam tranſtulit, & palatiam Cardinalem virum ad tractandas res publicas aptiſſimum primarium ſuum miniſtrum declaravit.

Ipſe Clemens dum in minoribus eſſet, variis negotiis conficiendis magna prudentiæ fama præfuit. Ad Epiſcopatum Camertium promotus, nihil eorum prætermiſit, quæ ad divini obſequij rationes pertinere videban-

ciæ. Univerſi piceni regimini ſemel atque iterum impoſitus provinciam illam præclarè gubernavit. Quare Innocentius X. eum Neapolim Apoſtolicum nuncium deſtinavit, ubi per plures annos inter civiles tumultus atque ſeditiones, quarum adhuc recens memoria, utrimque partibus acceptus fuit, quia eas mira dexteritate ad optatum quietis portum dirigere conatus eſt. Alexander vii. eum Sacræ Congregationi Epiſcoporum & Regularium voluit eſſe à ſecretis; quod manus ei non tam domi foriſque labores, quàm apud omnes cujuſque ordinis homines benevolentiam auxit & commendationem. Clemens I X. Paulò ante mortem eum Cardinalem creavit, nondumque Galerum ac titulum acceperat, quando dictus eſt Pontifex. Cùm ſuffragia Electorum in ſe inclinare vidit, cùm precibus tum lachrymis plurium horarum ſpatio obſtitit tantam dignitatem averſatus, & non niſi piâ quadam violentiâ ad ſolemnem inaugurationis locum deductus eſt.

Anno MDCLXX. die xii. menſis Auguſti confirmavit ſententiam Epiſcopi Giennenſis latam ſuper cultu ab immemorabili tempore exhibito ſancto Paſchaſio de Valentia martyri ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Tum die vii. menſis Februarij anni MDCLXXI. dedit indultum de celebranda Miſſa & officio in honorem ſancti Ferdinandi III. Regis Caſtellæ & Legionis per regna Hiſpaniæ, ſicuti in Eccleſia ſanctorum

Jacobi & Idelfonſi de Urbe nationis Hiſpanorum, ut die xxx. Maij ſub ritu duplici recitari poſſet; quod conſtaret per immemorabilem temporis curſum, cum ſcientia vel tolerantia Ordinariorum cultum huic ſervo Dei fuiſſe exhibitum.

Eodem anno die xii. menſis Aprilis Caietanum ordinis Clericorum Regularium inſtitutorem, quos Theatinos vocant, Franciſcum Borgiam è Societate Jeſu, Philippum Benitium, Ordinis ſervorum B. Mariæ reſtitutorem, Ludovicum Bertrandum ex ordine ſancti Dominici & Roſam à ſancta Maria Monialem ejuſdem inſtituti Sanctorũ albo adſcripſit, Roſam Clemens IX. jam ad aras promoverat, & de eadem Officium & Miſſam recitari poſſe decreverat.

Pius quintus ſummus Pontifex in vita & poſt mortem miraculis ſanctitatem ſuam confirmavit, ut liquet ex Relatione Auditorum Rotæ facta Urbano VIII. anno MDCXXIX. quæ in calce vitæ ejus legitur. Quare Clemens X. Kalendis Maij anno MDCLXXII. ipſum Pium V. ſolemni ritu in Beatorum ordinem retulit, & conceſſit facultatem officium eccleſiaſticum in univerſa religione Prædicatorum, cujus Regulam profeſſus erat, recitandi. Erat is annus ab ejus morte centenarius Kalendis enim mari anni MDLXXII. animam Deo reddidit.

Templum Beatæ Mariæ Majoris, cujus ſanctuarium ſeu ſummam partem exteriùs ornare cæperat Clemens IX. ſed morte præventus opus imperfectum reliquerat, Cle-

Digitized by Google

mens X. abſolvit; quam in rem percuſſi Romæ nummi, in quibus ea Eccleſia viſitur, & circùm hæc verba leguntur: *Deus fundavit eam.* A. MDCLXXII.

Die xxvi. Septembris ejuſdem anni cum ab Urſino Cardinali regni polonici protectore accepiſſet, Turcas Caminiecum fortiſſimum Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculum, ſæpe aliàs à Turcis & Tartaris irrito conatu tentatum, expugnaſſe & in illo regno res non parum turbari, eidem promiſit ſuũ Polonis auxilium non defuturum, interimque ſummam quinquaginta millium ſcutorum ad eum finem numerari, & Paulò pòſt Jubilæum publicari juſſit, ut per totum Chriſtianum orbem ad Dei iram ſedandam preces effunderentur.

Anno inſequenti die decima menſis Novembris Michaël Poloniæ Rex, vix integro imperij luſtro exacto ſupremum diem obiit, & poſtridie Poloni Joanne Sobieſkio magno regni Mareſcallo duce celebrem victoriam de Turcis reportarunt, horum exercitu ad arcem Chotimenſem prælio debellato, tribus Baſſis occiſis, internecione Janiſarorum octo, Spachiorum ſelectiſſimorum præter militare vulgus viginti millibus, caſtris cum omni apparatu at tormentis bellicis captis & direptis. Quamobrem die xxii. menſis Maij anni MDCLXXIV. Comitia regni eundem Joannem Sobieſkium in Regem elegêre exemplo Crucigerorum militum, qui olim Hieroſolymorum regnum Godefrido Builleonæo duci detulere, quòd pri-

V

mus mænia illius urbis conſcendiſſet.

Magnus Jubilæi annus in annum Chriſti MDCLXXV. incidit, ideoque die XXIV. Decembris anni ſuperioris Clemens X. portam ſanctam de more aperuit, & ad ejus memoriam ad poſteros propagandam numiſmata cudi voluit in quibus præter nomen ejus legitur. *Domus Dei & porta cæli.*

Eodem anno menſe Aprili Joannem à Cruce Beatorum numero adſcripſit. Fuerat is divinitus datus ſanctæ Thereſiæ in auxilium promovendæ reformationis Ordinis Carmelitarum, quam reſtituta antiqua Regula ad priſcum rigorem ac diſciplinam revocavit ſub nomine Carmelitarum diſcalceatorum. Multis ſervis Dei Clemens divinos honores decrevit; nam præter jam memoratos, Albertum Magnum Ordinis Prædicatorum Epiſcopum Ratisbonenſem, & Franciſcum Solanum Ordinis ſancti Franciſci inter Beatos recenſuit, eundemque honorem Ludovicæ Albertoniæ viduæ Ordinis ſancti Franciſci decrevit.

Ut bello, quo Reſpublica Chriſtiana affligebatur, finem imponere poſſet, Aloyſium Bevilaquam Patriarcham Alexandrinum nuncium ſuum ad Imperatorem, alios verò eodem munere fungentes ad Galliæ & Hiſpaniæ Reges, qui eos ad pacem ineundam adhortarentur, miſit. Apud Noviomagum Legati Principum de pace acturi convenêre; ſed poſt tractationem inchoatam Clemens X. die XXII.

Digitized by Google

menſis Julij anni MDCLXXVI. mortalitatem explevit

Innocentius XI. ante Pontificatum Benedictus Odeſcalchius appellatus, patricius Comenſis, natus eſt, anno MDCXI. Sub Urbano VIII. Cameræ Apoſtolicæ præſidens, univerſam Marchiæ provinciam obivit, Commiſſarius ad colligenda auxilia belli Italici occaſione iis populis imperata. Quo negotio feliciter abſoluto Maceratam, eique adjunctam provinciam per aliquod tempus ſumma laude adminiſtravit. Ab Innocentio X. anno MDCXLV. in Sacrum Cardinalium collegium coaptatus fuit, & poſt aliquot annos Epiſcopus Novarienſis renunciatus. Quam tamen Eccleſiam diu non rexit, quia ob ejus cæli naturam valetudini ſuæ valde infenſam Epiſcopatum dimiſit; neque enim cum reſidere non poſſet, ejus titulum retinere voluit. *1676.*

Tandem die ſecunda menſis Auguſti anni MDCLXXVI. Cardinales conclave ingreſſi, die XXI Septembris eundem Odeſcalchium Cardinalem Pontificem Romanum elegere, qui Innocentij XI. nomen ſibi impoſuit, coronatus die IV. menſis Octobris ſancto Franciſco Aſſiſiati Sacra.

Inter multa ſummæ moderationis illuſtria ſpecimina, quæ Pontificatus ſui tempore dedit, illud hic non prætermittendum, quod Livio Odeſcalcho nepoti juveni egregiis moribus ac præclaris animi

Digitized by Google

dotibus prædito, ipſo Pontificatus exordio prohibuit, ne Principis nomen aſſumeret, eique omnia bona ſua cedens, quæ ingentia erant, nullum aliud à ſe emolumentum expectare debere ſignificavit, quòd bona quæ inpoſterum habere poſſet, ea non hæredum eſſent, ſed pauperibus & Eccleſiæ deberentur. Eamque in rem majorem Officialium & domeſticorum, qui præcedentium Pontificum domum componebant, partem ſuppreſſit.

Joanni Poloniæ Regi, qui ab aliquot annis graviſſimum bellum adversùs Turcas ſuſtinebat, ſummam quinquaginta millia ſcutorum, ex propriis quibus ante Pontificatum potiebatur bonis, provenientem miſit, & ſubſequentibus annis tam eundem Regem, quàm Imperatorem ac Rempublicam venetam, poſtquam in ejuſdem belli ſocietatem venere, adeo ſæpè ac liberaliter juvit, ut munificentiores ex ſuis prædeceſſoribus in bello Turcico promovendo æquarit, & alios omnes ſuperaverit.

Sed quia videbat bella inter Chriſtianos enata, quam ſibi proponebat fini non parum obeſſe, principes Chriſtianos inter ſe diſſidentes ad pacem ineundam vehementibus litteris invitavit, & Brevi ſuo die XXVI. Februarij anni MDCLXXVII. emiſſo Aloyſio Bevilaquæ ſuo in Germania nuncio in mandatis dedit, ut ſe Noviomagum, ubi ad tractandam pacem Principum Legati coacti erant, transferret,

Digitized by Google

eumque ſuum de pace Legatum declaravit. Anno inſequenti pax in eadem urbe menſe Auguſto ſancita eſt, & illud obſtaculum ceſſavit.

Verùm anno MDCLXXXIII. licèt vicennales induciæ, quæ anno MDCLXIV. Cæſarem inter & Turcas ſancitæ fuerant, nondum expiraſſent, nunciatum eſt in imperio Turcico bellum undique apparari. Muſtapha tamen primus Viſirus Legatum Cæſareum Conſtantinopoli inanibus verbis vanaque ſpe paſcebat. Cùm tandem fraus patuit, Cæſar Viennam haud obſcure petendam communivit, juſſitque Carolo Lotharingo ſummo exercituum ſuorum præfecto, ut Vivarinum obſidione circumcingeret. Sed cùm hic inaudiit Turcam jam in Auſtriam uſque penetraſſe, exercitum in alium locum tranſtulit, ubi hoſtium conatibus obniti faciliùs poſſet. Cæſar die ſeptima Julij Viennâ exceſſit, urbis curâ & defenſione commiſſa Rudgero Erneſto Starembergio Comiti ejuſdem Præfecto. Interim Tartari duobus circa Viennam milliaribus omnia loca devaſtarunt aut igne abſumpſerunt.

Illuceſcente die quinta & decima menſis Julij Vienna hoſtibus circumvallata fuit, & Muſtapha primus Viſirus eam attractis in aggeres tormentis verberari juſſit. Quamvis Starembergius, milites præſidiarij, ipſique cives urbem fortiter defenderent, Carolus princeps die vigeſima prima Julij Turcis nequidquam advertentibus, hominem

in eam immiſit cum litteris, quibus jubebat, ut bono eſſent animo; ex Imperio quippe ceteriſque hæreditariis cæſaris Provinciis militem amplum convenire, cui brevi jungendus ſit Joannes Poloniæ Rex cum regni ſui nobilibus; adeo ut juvante Deo certa ſit hoſtium repulſio. Non hic narrabo felices præſidiariorum eruptiones, nec repetitos hoſtium inſultus fortiter ſemper repreſſos, quia res ea majoris otij eſt. Die xxii. menſis Auguſti poſtquam præſidiarij dato ſigno ſe prompto auxilio indigere indicaſſent, Carolus litteras miſit, quæ docebant commeare jam in unum undique exercitus, & appropinquare Crembſio Bavaros, Saxones, polonos, alioſque; ipſum Poloniæ Regem, uti & Bavariæ, Saxoniæque Electores accelerare, in eoque totius negotij cardinem verſari, ut tantillo adhuc tempore hoſti reſiſtatur, quò in unum omnes exercitus cogi poſſint. Hæ litteræ obſeſſis gratiſſimæ fuere; quia graſſante in urbe diſſenteria quotidie alij infirmabantur, alij moriebantur.

Poloniæ Rex, à quo præcipuè urbis liberatio expectabatur, die x. menſis Auguſti ſancto Laurentio Sacra Miſſam ſolennem Cracoviæ audivit à palavicino Nuncio Apoſtolico celebratam, & ab eo benedictionem pro felici ſua in Hungariam profectione accepit. Eum comitatus eſt Alexander filius natu maximus cum præcipuis Poloniæ proceribus. Ad Elbronem oppidum quatuor lucis Vienna diſtans die ſecunda Septembris

exercitus Polonicus advenit, quo & adventavit Carolus & ſupremi exercitûs Cæſarei duces, ubi de ſecuriori modo, quo urbs liberari poſſet, in conſilio militari actum. Cumque jam die prima ejuſdem menſis Starembergius ad Carolum ſcripſiſſet, urbem ad ultimas anguſtias redactam eſſe, ſubeundamque prælij aleam, exercitus Chriſtianus ſexaginta millibus militum conſtans ad urbem tandem acceſſit, dieque duodecima menſis Septembris, in quam Dominica infra octavam Nativitatis Beatiſſimæ Virginis incidebat, Turcas in ſua feritate confiſos Deus virtute ſua contrivit, eos in fugam conjecit, victoriamque Chriſtianis dedit. In tanti beneficij perenne monumentum Innocentius XI. eam diem perpetuâ divini Officij memoriâ in Eccleſia univerſali celebrari præcepit.

Innocentius XI. qui ingentibus pecuniarum ſummis Cæſari auxiliatus erat, ejuſque exemplo plures Cardinales ac Romanæ urbis Magnates. quique Poloniæ Regem cum eodem Cæſare fædere junxerat, cogitavit de Turcis ab univerſa Hungaria, quam ſeculo elapſo ſub jugum miſêre, expellendis, quod impoſſibile non videbatur, ſi Veneti cum Cæſare & Poloniæ Rege conjunctis viribus eos aggrederentur. Quare nullum non movit lapidem, ut eoſdem ad fœdus inter ſe ineundum adduceret. Res ei ex ſententia ſucceſſit; die enim xxiv. menſis Maij anni MDCLXXXIV. jurejurando & ſolenni pompa coram eodem Pontifice & Sa-

cro Cardinalium Collegio illud firmatum fuit, à Pio Cardinali nomine Cæſaris, à Barberino Cardinali Poloniæ Regis nomine, & ab Ottobono Card. Reipublicœ Uenetæ nomine. Fædus illud fons & ſeminarium fuit victoriarum ac triumphorum; non ſolùm enim Buda regni Hungarici caput, ſed & univerſæ ejuſdem regni arces Turcis à Cæſare ereptæ. Inter has victorias Innocentius XI. die duodecima menſis Auguſti anni MCLXXXIX. ad meliorem vitam tranſivit.

1689 ALEXANDER VIII. Innocentio XI. ſucceſſit poſt interpontificium duorum fermè menſium. Nam die VI. menſis Octobris anni M. D. C. L. XXXIX. electus, die XVI. ejuſdem menſis in quem Dominica cadedebat, Thiara Pontificia coronatus fuit. Vocabatur antea Cardinalis Ottobonus, ſed Alexandri VIII. nomen accepit. Venetiis in lucem prodierat die XIX. Aprilis anni M. D. CX. Et ab Urbano VIII. utriuſque Signaturæ Referendarius creatus, plures ditionis eccleſiaſticæ urbes rexerat, Iriteramnenſem nempe, Reatinam, & Tyfernatem. Eum poſtea idem Pontifex Rotæ Judicibus. Senatûs Veneti nominatione adſcripſit, & Innocentius X. anno M. D. CLII. Cardinalem creavit, ac poſt biennium Epiſcopum Brixienſem; cui tamen Eccleſiæ poſt aliquot annos, annuente Alexandro VII. nuncium remiſit. Clemens IX. ipſo primo ſui Pontificatûs die eum Libellis dan-

Digitized by Google

dis præfectum, vulgo *Datarium*, dixit, & non multò poſt inter patres Congregationis Epiſcoporum & Regularium & Sacri Concilij Interpretes adſcripſit.

Opportuna hæc electio Reipublicæ Venetæ, quæ bellum cum Turcis ducebat, accidit. Eam enim non ſolùm Triremibus Eccleſiaſticis juvit, ſed pecuniâ & milite. Ad hæc cùm Chriſtina Sueciæ Regina Romæ moriens locupletem Bibliothecam reliquiſſet, eandem emit Alexander, & omnia manuſcripta quæ illa magnâ curâ & ſumptibus collegerat, Bibliothecæ Vaticanæ donavit, ubi nunc ea viſuntur ſub titulo Bibliothecæ Alexandro Vaticanæ.

Die XVI. menſis Octobris anni M. D. CXC. ejus coronationis Anniverſario Laurentium Juſtinianum primum Patriarcham Venetum & Canonicum religionis ſancti Georgij in Alya nuncupatæ, inter ſanctos retulit, quemadmodum & Joannem de Capiſtrano Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, Paſchalem Baylonem Laicum Ordinis minorum diſcalceatorum ſancti Franciſci, Joannem à ſancto Facundo Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, & Joannem à Deo Fundatorem Congregationis Fratrum, qui de Charitate appellantur, & hoſpitalium veram gerant Paulus V. Congregationem ejuſdem Joannis, Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ Xenodochia comprehendentem in veram Religionem erexerat, ſub tribus votis ſubſtantialibus, & voto de Javandis Infirmis. Obiit Alexander VIII. die prima

Digitized by Google

menſis Februarij anno M.D.CXCI. poſtquam annum unum & menſes quatuor, paucis diebus exceptis, Eccleſiam adminiſtraſſet.

1691 Innocentius XII. qui hodie Eccleſiam tanta cum laude regit, die duodecima Julij ejuſdem anni electus fuit, dictus antea Antonius Pignatellus, qui Innocentij XII. nomen aſſumpſit, & die XV. ejuſdem menſis coronatus eſt, Cardinales die XII. menſis Februarij in Conclave ingreſſi erant. ſed tarditatem electionis tanti Pontificis promotio compenſavit, ejus enim clara progenies, præclarior, indoles, cura pauperum, & comparata per omnes dignitatum gradus rerum agendarum peritia neminem ad ſummum illud faſtigium digniorem evehi potuiſſe ſtatim manifeſtarunt. Sub Urbano VIII. Legati Urbinatenſis officio perſunctus, ſub Innocentio X. Inquiſitor ad melitenſium inſulam miſſus, indeque Viterbienſem Præturam adeptus eſt. Ab Alexandro VII. Cracoviam, à Clemente IX. Viennam delegatus, ut ſedis Apoſtolicæ & orbis Catholici potiora negotia promoveret. Tum à Clemente X. in patriam revocatus Epiſcopatum Lycienſem per biennium geſſit, Epiſcoporum & Regularium cauſas judicavit, & ad magiſterium cubiculi Pontificij admiſſus, introducendis Regum & Magnatum oratoribus præfuit, partim ſub Clemente X. partim ſub Innocentio XI. hujus ſucceſſore, à quo in Sacrum Cardinalium collegium adſcitus, indeque ad Epiſcopatum Faventinum promotus, illa munia tanta rectitudine adminiſtravit, ut ad Lega-

Digitized by Google

tionis Bononienſis dignitatem, & ad Archiepiſcopatum Neapolitanum evectus ſit.

A primo ſuſcepti Pontificatus die cum Romanis & cum exteris quaſi cum liberis parens converſari cœpit, & ſtatis diebus miſeros quoque, ac pauperes ad audientiam admiſit, ut faciliùs eorum neceſſitatibus occurrente, eorumque miſerias ſublevare poſſet. Quare ex tunc de Palatio Lateranenſi in Xenodochium mutando cogitavit, non multò poſt operi manum admovit, ac è palatio domum pauperum effecit, quam magnis annuìſque redditibus dotavit, alios parentes non agnoſcens quàm pauperes.

Innocentius non ſolùm hanc ſanctam diſciplinam ſervat, ut in bonorum & redituum ad ſanctam ſedem, & Cameram Apoſtolicam ſpectantium diſtributione, juſtitiæ, ac prudentiæ leges ac regulas accuratè cuſtodiat & nulla carnis & Sãguinis aut cujuſcumque humani affectus ratione habita; ſed etiam normam ac legem conſtituit, quã ejus ſucceſſores ea in re ſervare debeant. Quare celebri conſtitutione Romæ decimo Kalendas Julij anni Incarnationis MDCXCII. data decrevit, ut inpoſterum non liceat de bonis, pecuniis, officiis venalibus & juribus quibuſcumque ad ſedem & Cameram præfatas ſpectantibus à Pontificibus Romanis diſponi in favorem fratrum, nepotum conſanguineorum, vel affinium. Quod ſi iſti inopia laboraverint, poſſit Romanus Pontifex pro tempore exiſtens eandem eodem omninò modo ſublevare, quò pauperum extraneorum inopiæ ſubvenire fas eſt, certis

ad id præfixis regulis ne quod directè prohibetur, indirectè permittatur. Ad hæc ſtatuit, ut ſi aliquis ex fratribus, nepotibus, aliiſque conſanguineis vel affinibus Romanorum Pontificum ad Cardinalatus dignitatem aſſumi contigerit, ea inpoſterum ſervetur moderatio, ut beneficia ſeu officia Eccleſiaſtica eiſdem conferenda valorem annuum duodecim millium ſcutorum in totum non excedant. In ea tamen taxatione non comprehenſis emolumentis officiorum quæ ipſis non ad vitam, ſed ad tempus conceſſa fuerint. Occurrente autem ſedis vacatione Cardinales in conclavi juramentum præſtabunt de præſenti conſtitutione per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, inviolabiliter obſervanda.

Hoc anno MDCXCIII. Congregationem Cardinalium inſtituit ad examinandos proceſſus factos de viſionibus cœleſtibus, ſpiritu Prophetiæ & inſignibus virtutibus, quibus deus cumulavit beatam Catharinam virginem Bononienſem Ordinis Clariſſarum, cujus corpus ſuavem odorem ſpirans etiamnum integrum Bononiæ viſitur, ita tractabile ac flexibile, ut non mortuum, ſed quaſi ſomno oppreſſum appareat. Hujus Pontificij vitam quam omnes boni longam exoptant, de noſtris Deus augeat annis.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google